


3 3433 08158322 5








EPITOME CHRONOLOGICA RERUM HUNGARICARUM, TRANSSILVANICARUM ET ILLYRICARUM,

CONCINNATA

A

STEPHANO KATONA.

METROPOLITANAE COLOCENSIS ECCLESIAE CANONICO.



PARS II.

PERIODUS MIXTA.



BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS.

MDCCXCVI.

Talis igitur mihi ſit hiſtoricus, intrepidus, incorruptus, nulli obnoxius, libertatis et veritatis amicus, ficum, vt inquit comicus, appellans ficum, et ſcapham ſcapham. *Lucianus in lib.* Πῶς δεῖ ἱςορίαν συγγράφειν.



PARS II.

PERIODVS MIXTA.

I.

Andrea III. virilis Arpadianae ſtirpis vltimo, praematura morte ſublato, regum e quacumque ſtirpe legendorum poteſtas ad libera gentis Hungaricae ſuffragia deuoluta fuit. Hac vſi poteſtate Hungari, quia variis e domibus ſibi reges adſciuerunt, mixtae ſtirpis appellatione veniunt XIV. illi reges, qui 226. annorum interuallo Hungariae ſceptra tenuerunt. In mixta porro hac periodo praefuit I. ordine XXIV. Wenceslaus Bohemus annos 4. II. ordine XXV. Otto Bauarus annos 3. III. ord. XXVI. Carolus I. an. 34. IV. ord. XXVII. Ludouicus I. an. 40. V.—XXVIII. Maria I. an. 5. VI. — XXIX. Carolus II. dies 39. VII. — XXX. Sigismundus imp. an. 51. VIII. — XXXI. Albertus imp. an. 2. IX. — XXXII. Wladislaus I. an. 4. X. — XXXIII. Ladislaus V. an. 13. XI. — XXXIV. Mathias I. Coruinus an. 32. XII. — XXXV. Wladislaus II. an. 26. XIII. — XXXVI. Ludouicus II. an. 10. XIV. — XXXVII. Ioannes Zapolya an. 14.

§. I.

WENCESLAVS, REX XXIV.

Coepit A. C. 1301. *desiit A. C.* 1305.

A. C. 1301. *Wenc.* 1. *Ind.* 14. *P.* 2. *A.*

II. Quamuis, exstincta virili stirpe regum ex Arpadiana domo, Hungari hereditarium succedendi ius in feminis non agnouerint; libertate tamen eligendi reges ita deinceps vsi sunt, vt, praecipuam sanguinis Arpadiani, per sequiorem sexum propagati, rationem habendam esse, semper existimauerint. Neque vero semper eosdem, Arpadiano sanguini genere materno propinquiores exterarum familiarum principes remotioribus antetulisse, prima statim electio libera docet. Nullus enim genere materno propius Arpadianam stirpem contigit Ottone Bauaro, qui matrem Elisabetham, Belae IV. filiam, habuit. Hungari tamen, isto primum neglecto, quum alii Carolum Robertum, Mariae Hungarae, Stephani V. filiae, nepotem, admisissent, plures in Wenceslaum Bohemum, Annae Hungarae, Belae IV. filiae, peraeque nepotem, vota sua transtulerunt. *Qui Wenceslaus*, inquit Turotzius, (*a*) *venire noluit; sed filium suum, ex filia imperatoris Rudolphi procreatum et genitum, nomine similiter Wenceslaum, — in regem Hungariae tradidit naturalem: et ipsi, confectis instrumentis litterarum, et roborato fidei firmamento, vnanimiter susceperunt.* Atque hic Wenceslaus, inter Bohemiae principes aliis tertius, aliis quartus, nobis quintus, hunc nexum cum Arpadiana stirpe habuit:

Bela

(*a*) Chron. P. II. cap. 24.

Bela IV. R. H. = Maria Graeca

Anna = Radislaus, dux Halic.

Cunegundis = Ottocarus II. R. B.

Wenceslaus IV. = Gutha, Rud. F.

Wenceslaus V. Rex Hung. Boh.

Ottocarus porro II. qui Cunegundem, Belae IV. neptem, coniugio sibi iunxerat, auiam habuit Constantiam, Belae III. filiam, quae coniux Ottocari I. fuit, et Wenceslaum III. patrem Ottocari II. genuit. Praeter geminum hunc sanguinis nexum, id quoque Hungaros ad Wenceslaum V. admittendum permouere potuit, quod Elisabetham, Andreae III. filiam illi pater desponsauerit anno 1298. licet numquam matrimonium illud coaluerit (*a*).

III. Turotzius praecipuos Caroli fautores nominat *Matthaeum*, *Omodeum et Vgrinum*; Wenceslai vero *Dominicum*, *Demetrium et Henricum*; praeterea *Ioannem*, *archiep. Colocen. Andream*, *ep. Agrien. Emericum*, *ep. Varad. Haab*, *ep. Vacien.*, *Antonium*, *ep. Chanad. Nicolaum*, *ep. Bosnen. et Iacobum*, *ep. Scepusien.* Hi Wenceslaum, nonnisi XII. annos natum, Albam regalem adduxerunt; *vbi*, pergit Turotzius, *Ioannes*, *archiep. Colocen. cum episcopis aliis — honorifice eum coronarunt. Sedes namque tunc archiepiscopatus Strigoniensis vacabat.* Nullam nempe Gregorii, qui Caroli partibus adhaeserat, tamquam factiosi, nec vmquam confirmati, rationem habendam Hungari censuerunt. Auctor quidem chronici Bohemici scribit, Wenceslaum hunc *quasi totius Hungariae regni pacifica possessione potitum*

(*a*) Hist. Cr. T. VIII. p. 1—6.

tum fuisse; multos tamen eidem aduersatos esse, vim quoque patrem eius quibusdam admouisse, colligimus ex canonicorum Strigoniensium querelis, quarto post anno contra Wenceslaum conscriptis. (*a*) Vnde factum est, vt, licet mense Iulio Wenceslaus in Hungariam accitus fuerit; multis tamen aduersantibus, die 12. mensis Augusti nondum coronatus fuerit. Aduersabatur eius inaugurationi pontifex quoque Bonifacius VIII. a factiosis persuasus, (*b*) *regnum successione regia per lineam masculinam post mortem regis Ladislai* (IV.) — *fuisse destitutum*. Hinc vbi Wenceslaum, dictum ab Hungaris Ladislaum, ab archiepiscopo Colocensi fuisse coronatum intellexit; et illum ad dicendam caussam *XVI. kal. Nou. pontif. an. VII.* Romam euocauit, (*c*) et eadem die Wenceslaum seniorem admonuit, *quatenus per seipsum corrigeret*, — *quae circa praefatum natum suum in hac parte minus prouide* — fecisset. Addit tamen: „ Siqua iura tibi „ vel memorato nato tuo competerent in regno „ Vngariae, — eaque prosequuti fueritis coram no„ bis; illa disponimus illibata seruare; nec minue„ re, sed augere." Hinc apparet, non alia de caussa Bonifacium Hungariae rebus se miscuisse, quam vt discordias, illic enatas, sine bello sopiret, regnumque, tot dissensionibus vehementer turbatum, pristinae tranquillitati restitueret. Quod alia ratione perfici non potuit, quam vt, postquam vna pars ad apostolicam sedem caussam suam detulisset; aliam itidem audiret et acciret. (*d*)

A. C.

(*a*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 171. (*b*) Ibid. (*c*) Ap. Rayn. 1301. n. 4. 10. (*d*) Hist. Cr. T. VIII. p. 6.—19.

IV. Quia Caroli factio vim ac potentiam Bohemorum, cum potioribus Hungaris iunctorum, sustinere non potuit; Wenceslaus seu Ladislaus pro rege Hungariae haberi coepit; Carolus autem, in Illyricum se recipere coactus, etsi regem se gesserit; nondum tamen impetrare potuit, vt eius nomen in Dalmatia publicis tabulis inscriberetur. (a) Hinc Wenceslaus, audacior factus, pontifici respondit, filium suum legitimis Hungarorum suffragiis regem electum, citra vim et fraudem regno potiri. Bonifacius aliis iterum litteris eumdem admonuit, vt, siquid iuris in Hungariam haberet; illud non ferro persequeretur; sed in curia Romana, quam sibi fauentem experturus esset, disceptaret, (b) *IV. id. Iun. an. VIII.* Quia, secundum illius aetatis morem, iuribus dubiis ad apostolicae sedis tribunal delatis, ac argumentis vtriusque partis diligenter excussis, implexae lites saepe sine bello dirimebantur; Bonifacius quoque, Carolianis id volentibus ac vrgentibus, ad tribunal apost. sedis aemulos Hungarici sceptri, Carolum et Wenceslaum, euocauit. In hunc finem Nicolaum cardinalem, episcopum Ostiensem, in Hungariam legatum destinauit: *qui*, teste Turotzio, (c) *Budae residendo diebus aliquot, videns, se nihil posse proficere, reuersus est in curiam.* Nempe, quod chronicon Claustro-Neoburg. perhibet, (d) *Vngarorum nobilium ac ciuium pars maior, filio regis Bohemiae Wenzlao in regem accepto, ipsi contrarii erant,* *mune-*

(a) Farlat T. III. p. 298. (b) Ap. Rayn. 1302. n. 20. (c) Chron. P. II. cap. 86. (d) Ap. H. Pez T. I. col. 475.

muneribus patris inducti, speque ampliorum munerum suspensi. Praecipuus huius Wenceslai defensor erat Matthaeus Trenchihiensis, vt ipse rex publicis litteris in haec verba testatur: (a) „ Ladislaus, „ D. gr. Hung. Dalm. Croat. Ram. Seru. Gallic. Lod. „ Cumaniae Bulgariaeque rex. — — — Matthaeus „ palatinus, filius Petri, condam palatini, de ge- „ nere Chzak, — dum adhuc essemus in Bohe- „ mia, primus et praecipuus inter omnes, regni „ Hung. nobiles, suo consilio et auxilio nos pro- „ mouit et sollicite procurauit, vt eligeremur. — „ (*Trenchinium illi confert*) — Anno dom. MCCCII. „ kal. Mart. regni autem nostri anno II." Non aliter *secundum* dicere potuit, quam, si paullo post Andreae mortem ante kal. Mart. rex electus est. Distinguendus est hic Matthaeus Trenchiniensis ab illo, quem Turotzius inter Caroli fautores recenset, ac ab illo, cui Gyalam alio diplomate donat. (b)

A. C. 1303. *Wenc.* 2. *Ind.* 1. *P.* 7. *A.*

V. Alium hoc anno palatinum, Stephanum, Ernei bani filium, Wenceslaus habuit, ac rursus Ladislaum se vocauit, quum Agriensi capitulo terras occupatas restitui iussit. (c) *Dat. in villa Paszruh, in dom. prox. post fest. inuent. S. Crucis, anno dom. MCCCIII.* Senior quoque Wenceslaus erepta Strigoniensi capitulo bona reddi iussit. Quia tamen neuter ad tribunal apost. sedis caussam suam detulit; Carolus contra, *per procuratores idoneos, sufficienter instructos*, vt Bonifacius loquitur, (d) com-

(a) Ex MSS. Cornides. (b) Hist. Cr. T. VIII. p. 19.—35.
(c) Ex MSS. Batthyan. (d) Ap. Rayn. 1303. n. 17.

comparuit; pontifex, a Caroliana factione persuasus, *regnum ipsum Vngariae successionis iure prouenire, electionis arbitrio non deferri;* decreuit, vt „ Maria in toto ipso regno Vng. — regina Vngariae, et dictus Carolus nepos rex nuncupentur —" omnibus sub poena excommunicationis *iniungens:* „ vt eisdem reginae ac regi Vng. circa „ recuperationem, defensionem et conseruationem „ regni praedicti auxiliis, consiliis et fauoribus opportunis assistant: — neue memoratos regem Boemiae, vel eius filium, regem Vng. nominare vel „ titulare — praesumant." — His tamen 4. mensium spatium definiuit, quo *per se vel alios aut alium, siqua iura de proprietate dicti regni Vng. habere se credunt*, coram apost. sede producere possint. *Dat. Anagniae*, 11. *kal. Iun. pont. anno IX.* Hanc sententiam *in nonnullis locis et terris, in quibus propter statum impacati regni et insidias aduersae partis fieri potuit*, solemniter fuisse publicatam, Bonifacio Stephanus, Coloc. archiepiscopus; et Michael, Zagrab. episcopus, litteris suis significarunt, (*a*) datis *in Vasca*, *V. id. Sept. anno dom. MCCCIII.* Idem in Dalmatia factum, Carolumque regem agnitum esse, tabulae, quae nomen eius praeferunt, docent. (*b*) Eamdem pontificis sententiam etiam in Transsiluaniam Gregorius, el. Strigon. et Stephanus, archiep. Coloc. direxerunt. Interea Bonifacius, de restituenda Hungariae tranquillitate tam sollicitus, 7. Sept. a Sarra Columnensi captus est, ac in eodem tumultu, teste Madio, (*c*) *D. electus Strigonien. Gregorius nomine, occiditur a filiis de Columna.* Bonifacio, paullo post ex moerore mortuo, suffectus est

(*a*) Ibid. n. 22. (*b*) Ap. Farlat. T. III. p. 298. (*c*) Ap. Schwandt. T. III. p. 638.

est 22. Octobris Nicolaus ille, qui hoc anno legatus apost. sedis in Hungaria fuit, dictusque Benedictus XI. rebus Hungaricis ad mortem vsque se non miscuit, quam anno sequente 7. Iulii beatorum numerum aucturus, obiit. (*a*)

A. C. 1304. *Wenc.* 3. *Ind.* 2. *P.* 29. *M.*

VI. Postquam Wenceslaus senior intellexit, Hungariae quosdam antistites et proceres, anathematis metu perculsos, ad Carolinas partes defecisse, ne filium suum, a plerisque destitutum, quem vnicum alioqui ditionum amplissimarum heredem habebat, periculis obiiceret, armata manu Hungariam ingressus, eumdem cum corona secum in Bohemiam reduxit. Turotzius id factum ait, (*b*) *an. dom. MCCCIII.* subiicitque, Wenceslaum *in suum regnum in pace reuersum esse.* Neutrum bene; nam et reuersum esse tam Germanici, quam Bohemici scriptores asserunt *anno MCCCIV.* et non pacifice, sed cum hostilitate reuersum affirmant, praeter Pulkauam, etiam canonici Strigonienses, ita questi: (*c*) — „ Transiens Danubium, fugato ven. P. Mi-
„ chaele archiepiscopo *bon. mem.* de castro et de
„ ecclesia Strigoniensi, confractis portis castri, et
„ foribus ecclesiae B. Adalberti destructis, intrauit
„ cameram siue sacristiam ipsius ecclesiae cum ma-
„ gna multitudine nefandorum; in qua quidem ca-
„ mera thesaurum depositum, vasa sacra, ornatus,
„ ad cultum diuinum praeparatos, priuilegia, lit-
„ teras tam nobilium regni, quam ipsius ecclesiae
„ fecit asportari. — — Dat. in festo OO. SS. anno
„ domini

(*a*) Hist. Cr. T. VIII. p. 35.—66. (*b*) Chron. P. II. cap. 85.
(*c*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 170.

„ domini MCCCIV.“ Quum hic Michael archiepiſcopus, etiam dum Zagrabienſis eſſet, Carolo conſtanter adhaeſerit; Wenceslaus, irarum plenus, in eccleſiam Strigon. bilem ſuam effudit. Sed qui kal. Nouembris *bonae mem.* dicitur, adeoque mortuus innuitur, ſuperſtes adhuc erat, quum foedus cum Auſtriae duce, Rudolpho, percuſſerunt, (*a*) *Michael Strigon. Stephanus Coloc. archiep. Petrus Tranſſiluanus, Theodorus Iaur. Nicolaus Boſnen. et Ioannes Nitrien. eccleſiarum epiſcopi; M. Vgrinus, Omodeus palatinus, Rorandus palatinus, Copaz banus, — Theodorus banus; — Opour palatinus, Petrus woyuoda; Laurentius woyuoda — Poſonii, in feſto B. Bartholomaei ap. anno dom. MCCCIV.* Quod quidem foedus etiam Carolus cum eodem Rudolpho percuſſit; nec multo poſt patuit, in quem haec faba cuſa fuerit. Iunctis enim viribus Bohemis et Morauis bellum intulerunt; ac ſub initium Octobris magnam vbique ſtragem ediderunt. (*b*)

A. C. 1305. *Wenc.* 4. *Ind.* 3. *P.* 16. *A.*

VII. Bellum hoc, inſtante hieme, fuit abruptum, nec anno hoc reſumtum, ſub cuius medium Wenceslaus, ſenio confectus, obiit. Eius filius et ſucceſſor, poſtquam ſpem retinendae Hungariae poſuit; Eliſabetham etiam, Andreae III. filiam, ſeptem abhinc annis ſibi deſponſam, reiecit, filiamque Micislai, ducis Teſchinenſis, vxorem duxit. Tempus omne, quo hic Wenceslaus ſeu Ladislaus, non tam regni moderator, quam turbarum ſpectator, nudum fere regis Hung. titulum geſſerat, dum tandem ſuum qualequale ius in Ottonem Bauarum

(*a*) Ibid. p. 343. (*b*) Hiſt. Cr. T. VIII. p. 70—86.

uarum transtulisset, quadriennium non explet. Nam, si, quod ex Turotzio colligimus, Hungariam ingressus non est ante Iulium anni 1301. Si, quod Claustro-Neoburgense chronicon indicat, Hungariam egressus est sub initium Octobris anni 1304. tribus annis totidemque fere mensibus in Hungaria haesit. Nec diu post superstes, Olomucii caesus est pridie non. Aug. 1306. natus annos 17. Eo regnante, leguntur archiepiscopi *Strigonien.* Gregorius 1301. Michael 1303. Thomas 1304. *Coloc.* Ioannes 1301. Stephanus 1302. Episcopi *Agrien.* Andreas 1301. *Bosn.* Nicolaus, *Tsanad.* Antonius; *Vacien.* Haab; *Varad.* Emericus, eodem anno 1301. *Zagrab.* Michael 1301. S. Augustinus Gazotus 1303. *Quinqueeccles.* Paullus 1302. *Nitrien.* Ioannes 1302. *Iaur.* Theodorus 1303. *Vesprim.* Benedictus 1303. *Trans.* Petrus 1304. *Palatini:* 1302. Matthaeus; 1303. Stephanus; Ioannes; 1304. Omodeus, Rorandus, Opour, Coposch; *bani*: 1304. Copaz; Theodorus; *vaiuodae:* Petrus; Laurentius, eodem anno 1304. (*a*)

§. II.

OTTO, REX XXV.

Coepit A. C. 1305. *desiit A. C.* 1308.

A. C. 1305. *Otton.* 1. *Ind* 3. *P.* 16. *A.*

VIII.

Quum Turotzius Ottonis genealogiae nusquam meminerit; eam a Bauaris petere cogimur, qui patrem

(*a*) Ibid. p. 86—88.

patrem Ottonis Henricum, Bauariae ducem; matrem Elisabetham, Belae IV. H. R. filiam fuisse perhibent. (*a*) Nuptias Elisabethae cum Henrico quidam ad an. 1244. figunt; Sunthemius retrudit ad 1254. His parentibus Otto natus anno 1261. decennio post, matrem amisit, seu 1271. patrem vero 1292. Quum Otto tanta necessitudine sanguinis Arpadianam stirpem contigerit, vt ille dumtaxat ex aemulis auum Hungariae regem habuerit; illum Hungari regem post Andream III. eligere debuissent; si genere materno propinquiores Arpadiano sanguini principes remotioribus anteferendos agnouissent. Quum igitur hac lege numquam se teneri censuerint; ad tuendam electionis libertatem, plerique vota sua primum in Wenceslaum seniorem, licet is non auum, vt Otto, sed proauum dumtaxat eumdem Belam IV. habuerit, contulerunt; eoque recusante, tandem in eiusdem filium consenserunt. Postquam iste quoque suis in Hungariam iuribus a morte patris renunciasset, ne, si Carolus e pontificis declaratione rex admitteretur, grauissimum electionis iuri praeiudicium crearetur; multi proceres Ottonem Bauarum regem designarunt. Erat hic Otto cum Alberto, rege Romanorum, anno superiore contra Wenceslaum profectus; *at rex Bohemus*, vt chron. Claustro-Neob. testatur, (*b*) — *ducem Bauariae, datis multis marcarum millibus, sibi confoederat; loco sui capitaneum belli constituit.* Post illius ergo mortem, intellecta Hungariae procerum voluntate, non difficulter a Wenceslao iuniore tam coronam, quam ius in Hungariam obtinuit. (*c*)

IX.

(*a*) Ap. Oefel. T. II. p. 337. 565. (*b*) Ap. H. Pez. T. I. col. 475. (*c*) Hist. Cr. T. VIII. p. 88—92.

IX. Tanto munere laetus, magnis itineribus in Hungariam properauit. Verum, vt Turotzius narrat, (*a*) *quum sancta corona per dictum Othonem ducem ad Hungariam portaretur; propter timorem hostium fecit illam includi per artem tornatorium in flasconem. Quum autem equitaret cum suis; sub noctis silentio in strata publica, in qua plurimi viatores transibant, casu de sella, corrigiis, quibus erat flasco ille ligatus, resolutis, quasi vas vinarium, nullo vidente, collapsus est. Postmodum vero, luce clarescente, dum vidissent, non adesse thesaurum illum pretiosum; quo citius potuerunt, timore perculsi, retro celeriter cucurrerunt; atque coronam, inter multos transeuntes in terra iacentem, in medio publicae stratae inuentam a nemine, repererunt.* Male tam Szentivanyius, quam Timon hoc sacrae coronae periculum ad Ottonis iter Transsiluanicum, et ille quidem ad an. 1306. hic ad 1307. refert. Nam et Turotzius habet: quum *ad Hungariam* portaretur; et Salisburg. chronicon ad an. 1305. narrat, id contigisse, (*b*) quum *idem dux — Austriam cum suis, quos de Bauaria secum duxerat, sub forma mercatoris latenter transiuit.* Superatis feliciter periculis ac insidiis, quas eidem Albertus caesar et Rudolphus, Austriae dux, in via struxerant, teste Turotzio, (*c*) *coronam regni, a Wenceslao ablatam, — secum ferens, anno dom. MCCCV. Albam regalem ciuitatem petiit, vt ibi coronaretur legitime in regem: quem Benedictus, episcopus Vesprimiensis, ac Fr. Antonius, episcopus Tsanadiensis, in regem inunxerunt, et dicta corona regia coronarunt. Inde Budam veniens, et in die sollemni, in decore regio,* coronam

(*a*) Chron. P. II. cap. 88. (*b*) Ap. H. Pez. T. I. col. 402.
(*c*) Chron. P. II. cap. 87.

coronam sanctam habens in capite, per omnes plateas et vicos incedebat eques cum populo copioso, vt cunctis se esse regem legitimum publicaret. Hac ille regiae dignitatis ostentatione sauorem ac venerationem Hungarorum venabatur; efficere tamen minime potuit, vt Carolinam sibi factionem conciliaret. Praecipuum illius fautorem compilator rerum Boicarum, qui coronatum illum *festo S. Nicolai* perhibet, vocat *Ibanum*, (*a*) alias Iuancum seu Ioannem, Henrici bani filium, qui fratrem itidem Henricum, eiusdem secum desultoriae fidei, habuit. Hi, fidem in reges pro sua libidine mutare soliti, primum, Andrea III. rege deserto, Carolum euocarunt; deinde Wenceslao, tum Ottoni fauerunt. Vtrumque, tamquam sacrilegos ecclesiae Strigoniensis inuasores, Thomas archiepiscopus anathemate perculit, *Albae, pridie kal. Aug. MCCCV.* (*b*)

A. C. 1306. Otton. 1. Ind. 4. P. 3. A.

X. Illos errare, qui sexta quidem Decembris Ottonem esse coronatum admittunt, sed hanc eius inaugurationem ad hunc annum 1305. differunt, colligi potest ex eius diplomate, quo Kertziensis abbatiae priuilegia confirmat, hoc vsus titulo: (*c*) „ Otto, D. gr. Vng. Dalm. Croat. Ram. Seru. Gallic. Lodom. Cuman. Bulgariaeque rex. — Datum „ per manus ven. P. F. Antonii, D. gr. ep. Chanad. aulae nostrae cancellarii, — anno dom. „ MCCCVI. quarto idus Apr. regni autem nostri „ anno primo." Regium igitur ius Aprili mense hoc anno iam exercuit. (*d*)

A. C.

(*a*) Ap. Oefel. T. II. p. 340. (*b*) Hist. Cr. T. VIII. p. 63.—103. (*c*) Ex MSS. Cornid. (*d*) Hist. Cr. T. VIII. p. 103—108.

A. C. 1307. *Otton.* 2. *Ind.* 5. *P.* 26. *M.*

XI. Sub initium adhuc anni huius mensisque Martii liberum Ottonem fuisse regiamque potestatem exercuisse, docent illae litterae, quibus M. Dousa possessionem Elep contulit, (*a*) *IV. nonas Mart. anno regni secundo.* Sed enim post Wenceslai iunioris necem eius fortuna, quae Bohemis potissimum innitebatur, sensim nutare coepit. Quum Bohemiam tam Rudolphus, Austriae, quam Henricus, Carinthiae dux, ambirent; Otto Henrico potius, quam Rudolpho, quem cum Alberto patre sibi iam prius infensum expertus fuerat, studuit. Quum, praeualente Rudolpho, res Ottonis in dies magis defluerent; Oettingano praeposito teste, (*b*) *MCCCVII. — vt magis Vngariam tenere posset; consilio Vngarorum ei despondetur filia ducis Ladislai Transsiluani; sed postea insidiis Alberti caesaris per Vngaros et ipsum Ladislaum capitur; plus anno detinetur.* Huius captiuitatis Turotzius in haec verba meminit; (*c*) *Qui in breui terram Erdeel cum Beke, filio Thomae, censuit visitare; vbi Ladislaus vaiuoda ipsum captiuauit, et in castro suo tenuit vinculatum multis diebus.* Ex reditu Ladislai, iudicis Budensis, quem, quod Carolinae factionis fuerit, Wenceslaus in Bohemiam abduxerat, apparet, captiuitatem Ottonis ante finem Maii collocandam esse. Nam Ottone praesente rerumque potiente, non ille fuisset ausus in Bohemicam factionem tantopere saeuire, redux ex captiuitate *feria V. post festum B. Petronellae virginis*, vt, eodem Turotzio teste, (*d*) *iuratos ciues de XII. in caudis equorum per*

(*a*) Ap. Spies P. I. p. 142. (*b*) Ap. Oefel. T. I. p. 694.
(*c*) Chron. P. II. cap. 87. (*d*) Ibid. cap. 88.

per vicos et plateas ciuitatis crudeliter trahi fecerit. Eiusdem Ladislai iudicis operam adhibuit Omodeus palatinus ad B. Mauritium Chakium, suum generum, a religiosae vitae proposito dimouendum; sed incassum. (*a*)

XII. Quum Omodeus palatinus cum plurimis proceribus Caroli partibus addictus fuisset; frigescentibus plerorumque Hungarorum in Ottonem studiis, eius caussam omnium grauissime Clemens V. afflixit. Exemplum enim Bonifacii, decessoris sui, sequutus, sicut ille contra Wenceslaum, ita hic aduersus Ottonem, secundum Carolum sententiam tulit; Ottoni tamen annum concessit, *infra quem per se vel alium seu alios, si qua de proprietate praedicti Vngariae regni iura se habere crediderit, illa sedi apost. reuerenter ostendere* possit. — *Dat. Pictauis, IV. id. Aug. pontif. an. II.* (*b*) *Transmisit*, subiicit Raynaldus, *eam constitutionem pontifex ad Strigon. archiepiscopum ac Vincentium, Coloc. designatum, quibus prouinciam imposuit, vt haec decreta in Vngariae regno diuulgarent.* Triduo prius, quam Clemens eam sententiam pronunciasset; Gentilem, ex ord. min. creatum cardinalem, in Hungariam destinauit. (*c*)

A. C. 1308. *Otton.* 3. *Ind.* 6. *P.* 14. *A.*

XIII. Card. Gentilis, legatus in Hungariam et Dalmatiam missus, tum vt ecclesias harum regionum lustraret ac reformaret, tum vt gentes istas

(*a*) Hist. Cr. T. VIII. p. 108.—115. (*b*) Ap. Rayn. a. 1307. n. 15. (*c*) Hist. Cr. T. VIII. p. 115.—131.

istas, studio partium distractas, in concordiam ac Caroli fidem et obsequium adduceret; ineunte Iunio, teste Madio, (*a*) Dalmatiam ac Spalatum intrauit. Postquam Wenceslaus mortuus, Otto captus, Carolus extra Hungariam agere coactus fuisset; regnum, velut acephalum, nouis partium studiis obiiciebatur. Vt his malis legatus apost. sedis mederetur; acceleratis itineribus Zagrabia Budam accurrit, nec multo post effecit, vt, Ottone repudiato, Carolus a plerisque Hungaris rex optaretur. Hoc igitur anno iam exeunte, non quidem viuere, regnare tamen Otto desiit. Postquam a Ladislao vaiuoda captus ac in carcerem coniectus fuisset; magis de libertate recuperanda, quam Hungaria sibi vindicanda, sollicitus erat. Kerchelichius illum hoc anno *kalendis Nouembris interceptum*, *esse* perhibet; (*b*) at alii hanc captiuitatem ad annum superiorem figunt, et procuratam aiunt *insidiis Alberti caesaris*, quem ad kalendas Nou. huius anni non prouixisse, iamque kalendis Maii caesum esse constat. Otto hoc anno libertati restitutus, duobus annis liber, vno captiuus, solo fere nomine Hungariae triennio praefuit, vitamque produxit ad annum vsque 1312. aetatis 52. Quo tempore *Strigoniensis* archiepiscopus erat Thomas; *Colocensis* Stephanus; deinde Vincentius anno 1307. Episcop. *Agrien.* Andreas; deinde Martinus 1307. *Vesprim.* Benedictus; *Tsanadiensis* Antonius; *Zagrabien.* Augustinus; *palatinus* Kupaz, qui, si cum *Kopos* idem est, ad Carolum postea defecit. Huic Carolo fauebant *palatini*: Omodeus, Kopos, Stephanus, Rolandus; *bani*: Ladislaus, Paullus; *vaiuodae*: Nicolaus,

(*a*) Ap. Schwandt. T. III. p. 638. (*b*) Hist. Eccl. Zagr. p. 101.

laus, Ladislaus. Quum plures simul palatini, bani, vaiuodae leguntur; non omnes idem munus eodem tempore gessisse; sed gesti iam antea magistratus titulum dumtaxat aliqui retinuisse videntur; quemadmodum etiam Otto, licet, amisso regno, regis tamen titulum ad obitum vsque retinuit, vt ad hunc annum Claustro-Neoburgense chronicon asserit. (a)

§. III.

CAROLVS I. REX XXVI.

Coepit A. C. 1301. *pleno iure* 1308. *desiit A. C.* 1342.


A. C. 1308. *Car.* 8. *Ind.* 6. *P.* 14. *A.*

XIV.

Carolus Robertus originem suam ex peruetusta Capetiorum, in Gallia iam ab anno 987. regnantium, stirpe ducit, ex qua tam S. Ludouicus rex, quam alter S. Ludouicus episcopus prodiit. Postquam nempe Ludouicus VIII. ex Blancha duos filios, S. Ludouicum regem et Carolum Andegauensem, sustulisset; illo successore relicto, Carolus in Italiam a Clemente IV. contra Manfredum euocatus, rex vtriusque Siciliae hac conditione creatus est anno 1265. vt 8000. vnciarum auri quotannis pontifici dependeret. Carolo huic, anno 1285. defuncto, Carolus II. Claudus, eiusdem filius, successit, cui Maria, Stephani V. H. R. filia, nupsit sub an. 1269. Ex hoc connubio nati sunt: Carolus Martellus, rex

(a) Hist. Cr. T. VIII. P. 133.—141.

Hungaris obtrusus; S. Ludouicus Tolosanus episcopus; Robertus, rex Neapolitanus; Philippus, dux Tarentinus; Ioannes, dux Dyrrhachinus; Tristanus, princeps Salernitanus; qui postremus, cum tribus eiusdem Caroli Claudi filiabus, nullam in historia Hung. partem obtinent. His igitur omissis, hoc schema genealogicum consurgit:



Hanc genealogiam Turotzius ita proponit: (a) *Rex Stephanus V. filius Belae IV. R. H. inter alias filias habuit vnam, nomine Mariam vocatam, quam Carolo Claudo, filio Caroli M.* (primi) *qui ex donatione ecclesiae fuit rex Siciliae, tradiderat in vxorem: qui rex Carolus Claudus ex illa filia Stephani regis genuit Carolum, Martellum nomine; Carolus vero Martellus ex filia imperatoris Rodolphi, Clementia nomine, genuit filium — Carolum Robertum.* Quia Turotzius eodem hoc loco Carolum puerum XI. annorum vocat anno 1299. vicesimum is aetatis annum agebat; quum regnum Hungariae pleno iure capessiuit hoc anno 1308. (b)

XV.

(a) Chron. P. H. cap. 83. (b) Hist. Crit. T. VIII. p. 142—145.

XV. Card. Gentilis, ad conciliandos Carolo Hungaros Pestinum profectus, comitiis in campo Rákos celebratis, de regni calamitatibus disserere coepit. Verum, vt acta comitiorum referunt, (a) *sub specie tuendae libertatis eiusdem regni, inter ipsos barones et nobiles murmur, quod ipsius D. legati attigit aures, per querelam patulam, in publicum productam, exoritur, videlicet:* „ quod no-„ lebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, „ quod ecclesia Romana, vel ipse D. legatus eius „ nomine, saepe dicto regno de rege vllatenus „ prouideret; sed placebat eis, quod illum, quem „ ipsi ex antiquo et approbato eiusdem regni mo-„ re vocauerant, et in regem assumserant, praefa-„ tus D. legatus, eiusdem ecclesiae Rom. nomine, „ in verum regem Vng. confirmaret. — " Hac contestatione praemissa, cui legatus nihil opposuit, postquam electus ita confirmatus fuisset; *receperunt et recognouerunt singulariter et diuisim ipsum D. Carolum verum regem ac regni Hung. successorem:— statimque ipsum D. Carolum regem, cateruatim eleuatum, sustollentes manibus, plausu ac vocibus extulerunt regium laetis ad sidera nomen, subsequenter* Te DEVM laudamus *sollemniter decantando.* Praesentes ibidem tunc fuisse dicuntur archiepiscopi, Thomas *Strigonien.* Vincentius *Coloc.* episcopi, Haba *Vacien.* Benedictus *Vesprim.* Ioannes *Nitrien.* Petrus *Quinqueeccles.* Martinus *Agrien.* Augustinus *Zagrab.* Nicolaus postulatus *Iaur.* praeterea *palatini*, Homodeus, Kopos, Matthaeus Trinze per oratorem; *bani*, Henricus, Ladislaus; *vainoda* Ladislaus per oratorem; Beka, *magister tauernicorum D. reginae.* Carolus igitur iam tunc vxorem habuit, quam Ladislaus

 dislaus

(a) Ap. Rayn. 1308. n. 23.

dislaus Turotzius *Catharinam* appellat; Ioannes autem Turotzius trium aliarum Caroli coniugum meminit, quarum obitus et Elisabethae postremae proles hoc ordine consignantur: Vxor I. Catharina † 1313. II. Maria † 1317. III. Beatrix † 1319. IV. Elisabeth † 1380. ex qua natus I. Carolus 1321. II. Ladislaus 1324. III. Ludouicus 1326. IV. Andreas 1327. V. Stephanus 1332. de quibus suis locis vberius agemus. (*a*)

XVI. Multi quidem fidem suam Carolo iam obstrinxerunt; non pauci tamen adhuc supererant, qui turbare nondum desierunt. Ad hos igitur obices publicae tranquillitatis amouendos arma quidam induerunt, vt arces, quas factio Bohemica nondum dimiserat, in Caroli potestatem redigerent. Multum in ea re praestitisse M. Kokosium, seu Gallum, de gente Berzeuizia heroem clarissimum, testatur ipse Carolus edito diplomate. (*b*) *prope Czegled — MCCCVIII. regni — anno similiter VIII.* Ad stabiliendam Caroli dignitatem, card. Gentilis, antistitibus in consilium vocatis, ineunte Decembri, quasdam constitutiones concinnauit; nec tamen eas ante sequentem annum euulgauit. *De statu regis* ita constituit: (*c*) „ Qui dictum D. Carolum pro „ rege Hung. recusauerit, aut aliam personam pro „ rege Hung. aduocauerit, vel deliberate nominauerit; — excommunicationis; si fuerit singularis „ persona: si vniuersitas; interdicti, — sententia, „ et in morte ecclesiastica sepultura priuati, prae- „ sentis sint constitutionis auctoritate ligati. — — „ *De immunitate regis.* — Siquis in hoc flagitii „ genus irrepserit, quod in D. Carolum — manus violen-

(*a*) Hist. Cr. T. VIII. p. 145.—155. (*a*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 34. (*c*) Ap. Petersf. Conc. P. I. p. 148.

„ violentas i[illegible]erit, aut aliquod in perſonam ipſius „ nocument[illegible] procurauerit; — omnibus feudis, „ gratiis, priuilegiis, indulgentiis et beneficiis ſpi- „ ritualibus et temporalibus, ei ab eccleſia quacum- „ que conceſſis, ſit priuatus et perpetuo ſpolia- „ tus. — — *De corona regis.* — Si praeſenti — „ corona vel futura durante, regnum ipſum debita „ informatione curreret (*f. careret*) illud ſequetur „ abſurdum, quod, ea irrecuperabiliter occupata, „ ſeu cuiuscumque caſus euentu deperdita vel „ conſumta, irrecuperabiliter confunderetur et re- „ gnum. — — De conſilio igitur et aſſenſu ven. in „ Chriſto PP. et DD. archiepiſcoporum, epiſcopo- „ rum et baronum regni praedicti praeſentium, „ duximus ſtatuendum, quod corona praefata, quae „ per nobilem virum, Ladislaum vaiuodam, deti- „ netur ad praeſens, niſi vsque ad proximum fu- „ turum concilium — nobis libera et expedita re- „ ſoluta fuerit; ex nunc — ſit penitus interdicta: „ — et quod alia fabricetur, quae per nos, no- „ mine Rom. eccleſiae, eidem regi et regno done- „ tur, et per nos — benedicatur. — — *De bonis* „ *regalibus.* — — Qui — regalia vel reginalia de cetero „ occupauerit vel vſurpauerit; — ſi fuerit ſingularis per- „ ſona; excommunicationis: ſi vniuerſitas vel colle- „ gium; interdicti ſententiam ipſo facto incurrant. „ — — Dat. Budae, anno dom. MCCCVIII. — III. „ non. Decembris." Poſtridie noua lis aſſumta fuit, quam Nicolaus, cantor Quinqueeccleſienſis, ſuſcitauit contra Petrum epiſcopum, quem legitimis ſuffragiis electum negauit; ſed nihil euicit. (*a*)

(*a*) Hiſt. Cr. T. VIII. p. 155. — 170.

A. C. 1309. *Car.* 9. *Ind.* 7. [illegible]o. *M.*

XVII. Conſtitutionibus anni ſuperioris 8. Maii hoc anno publicatis, poſtquam et Carolus Hungaris, et Hungari Carolo fidem ſuam obſtrinxerunt; nihil morae fuit, quin eidem coronam nouam, ad eum finem praeparatam, archiepiſcopus Strigonien. Budae 15. Iunii ſollemniter imponeret. Peractae huius inaugurationis teſtimonium Hung. praeſules ita confecerunt: (*a*) „ Nos, D. gr. Thomas Stri-
„ gon. Petrus, Spalat. Vincentius Coloc. eccleſiarum
„ archiepiſcopi; Benedictus Veſprim. Haab Vacien.
„ Emericus Varad. Ioannes Nitrien. Fr. Auguſtinus
„ Zagrab. Ladislaus S. Irnei (*Sirmien.*) Petrus
„ Quinqueeccl. Martinus Agrien. Benedictus Chanad.
„ et Fr. Gregorius Boznen. eccleſiarum epiſcopi. —
„ — Poſtquam — diuerſis coepit regnum Hung.
„ languere periculis ante hos IX. ferme annos; re-
„ gale diadema, quod a ſummo pontifice S. Ste-
„ phano, gentis eiusdem primo regi, deſtinatum,
„ et ab eo transmiſſum in poſteros, in Alben. ec-
„ cleſia cum ſumma diligentia ſeruabatur; — —
„ per diuerſas manus non ſine multo eiusdem re-
„ gni discrimine deuolutum, adhuc priuata violen-
„ tia occupatum detinetur: quumque ad ipſius
„ recuperationem nulla ſollicitudo potuiſſet profi-
„ cere; tandem R. P. D. Fr. Gentilis — omnium
„ noſtrum, itemque baronum regni Hung. conſilio
„ et aſſenſu, idem diadema, donec ſic occupatum
„ exſiſteret, — penitus interdixit: ac idem D. le-
„ gatus, ex noſtro et baronum beneplacito et aſ-
„ ſenſu, egregio opere ex auro et lapidibus pre-
„ tioſis nouum fecit diadema parari: quod etiam
cum

(*a*) Ap. Koller H. E. Quinq. P. II. p. 297.

„ cum magna sollemnitate, coram cleri ac popu-
„ li numerosa frequentia, III. id Iun. — per ipsum
„ D. legatum cum missarum sollemniis benedictum,
„ et sacro per nos tactum est chrismate: — cum
„ quo etiam praedictus D. Karulus, rex illustris,
„ sequenti dominica, scilicet XVII. kal. Iul. — per
„ meas Strigon. archiepiscopi manus, — de vo-
„ luntate et assensu nostrum et baronum exstitit
„ feliciter coronatus. — Dat. Budae VIII. kal. Iul.
„ A. D. MCCCIX." Haec igitur altera Caroli coronatio fuit; postquam primam eius coronationem, a Gregorio citra voluntatem potiorum regnicolarum peractam, Hungari legitimam non agnouerunt. Tum vero card. Gentilis, synodo Posonii *IV. id. Nou.* celebrata cum Hungariae praesulibus, innouauit poenas, a Clemente V. constitutas, (*a*) *contra recusantes dictum Carolum pro rege naturali Vng. recipere.* In Vduardiensi quoque synodo congregati praesules iidem Hungariae Bonifacii VIII. sententiam rursus instaurarunt ac promulgarunt (*b*) *in omnes — qui D. Carolo, naturali regi Hungariae, non adhaererent.* Ibidem communi consensu statutum fuit, *vt vniuersi ecclesiarum parochialium sacerdotes, ad instar tintinnabuli, campanas sonari faciant; quo signo audito, vniuersi Christi fideles ad honorem B. V. ter dicant* Aue MARIA, *vt sic suorum remissionem mereantur accipere peccatorum;* lucraturi *X. dierum indulgentias.* (*c*)

A. C. 1310. *Car.* 10. *Ind.* 8. *P.* 19. *A.*

XVIII. Tot poenis ecclesiasticis constricti Hung. proceres ac nobiles, qui Carolo prius aduersabantur, eius

(*a*) Ap. Peters. Conc. P. I. p. 141. (*b*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 165. (*c*) Hist. Cr. T. VIII. p. 170.—199.

eius partes amplecti coeperunt. Ex His Ladislaus, Transsiluaniae vaiuoda, reddita tandem sacra corona, his verbis eidem suam fidem obstrinxit: (a) „ Nos Ladislaus — significamus, — quod ab hac „ hora — D. Carolum, D. gr. regem Vng. cogno„ scimus et recipimus in dominum nostrum natu„ ralem, legitimum. — Et tacto viuificae domini„ cae crucis ligno in manibus ven. P. D. Thomae, „ archiep. Strigon. promisimus, fide data, quod — „ in omni securitate eidem fideliter seruiemus. „ Coronam etiam regni sui ad diem assignatum, „ ad octauas S. Ioannis B. eidem reportabimus. — „ Dat. in Segnedino; feria IV. prox. post domin. „ *Iudica*. A. D. MCCCX." Corona praestituto tempore restituta, Carolus tertium inauguratus die 27. mensis Augusti hoc eodem anno 1310. De hac inauguratione, pluribus praemissis, ita Turotzius loquitur: (b) *Quum igitur puer Carolus absque regni solatio in Hungaria moraretur; Fr. Gentilis — A. D. MCCCVIII. Pannoniam intrauit. Vno siquidem anno in pace transacto, A. D. MCCCIX. constitutione terribili promulgata, nobiles regni anathematis vinculo innodauit, pauperibus vero et diuitibus vniuersis diuina strictius interdixit. — Ladislaum vero, vaiuodam Transsiluanum, speciali excommunicatione feriens, eo quod coronam regni, quam ab Othone duce, dum eum captiuauerat, receperat, indebite detinebat. — Quapropter, quum praefati nobiles extra coemeteria corpora iacentia conspicerent defunctorum; amaro spiritu perturbati, A. D. MCCCX. congregati in campum Rakus circa Pest, Carolum saepe dictum in regnum concorditer susceperunt,*

(a) Ap. Fridualszki Miner. p. 107. (b) Chron. P. II. cap. 89.

perunt, *et Albam properantes*, *feria V. in octauis S. regis Stephani*, *sollemniter cum laetitia coronarunt*, *cum sancta corona*, *a Ladislao vaiuoda restituta.* Ioannes Tomcus Augustino Zagrabiensi sermonem aliquem, in campo Rákos pro Carolo habitum, affingit, quem merito Schierius ob crassissimos errores genealogicos eidem abiudicat. (*a*) Tertia haec Caroli coronatio fuit, de qua simul et secunda testimonium ipsius Caroli habemus in haec verba: (*b*) „— Quia corona S. regis Stephani — per infideles et illicitos detentores rapta „ detinebatur; noua corona, specialiter pro nobis fabricata, — per ipsum D. Thomam archiep. „ — ipso nouo diademate exstitimus coronati. Et „ licet huiusmodi coronationis modus sufficiens exstitisset; vt opinioni tamen gentis Hungaricae „ satisfieret, — recuperata — per sollicitam curam „ eiusdem D. archiepiscopi ipsa S. corona ab illicitis detentoribus, rursum in loco debito, videlicet in Albaregali, — de manibus eiusdem D. „ Thomae archiep. diademate regio, videlicet eadem S. corona, de nouo exstitimus coronati. —“ (*c*)

A. C. 1311. *Car.* II. *Ind.* 9. *P.* II. *A.*

XIX. Magna laus archiepiscopo Thomae debetur, quod tam periculosum in Transsiluaniam iter ad restituendam patriae tranquillitatem sacrumque diadema recuperandum susceperit. Eiusdem etiam opera Carolus vti voluit ad pacem inter dissidentes Cassouienses conciliandam, quam dum Omodeus

---

(*a*) Serm. August. p. 12. (*b*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 106.
(*c*) Hist. Cr. T. VIII. p. 200.—210.

deus palatinus, quem socium itineris Transsiluanici habuit, restituere voluit, filiosque suos, Ladislaum et Ioannem, quod neque regi, neque legibus obtemperarent, redarguit; a tumultuantibus interfectus est. (*a*) Thomas archiepiscopus et Stephanus, Vesprimien. episcopus, dissidentes ad concordiam tandem reduxerunt, prolixis tabulis *feria VI. post octauas B. Michaelis arch. MCCCXI.* confectis. Inde Thomas videtur profectus ad prouinciam Scepusiensem, vbi, laudata Paulli praepositi munificentia, donationem eius, Carthusianis de lapide refugii factam, confirmauit, (*b*) *in festo B. Luciae V. A. D. MCCCXI.* Paullus alter, banus maritimus Bosnaeque dominus, Iadertinos, Venetorum rursus pertaesos, ad Caroli partes reduxit, vtque rex veteres eorum praerogatiuas *IV. id. Oct.* hoc anno ratas haberet, obtinuit. (*c*) Veneti, pluribus ad Carolum datis litteris, suum in Iadrenses ius ostendere conabantur; sed iis Carolus non acquieuit, ac iterum iterumque scripsit; *Iadram, quam multis iam elapsis temporibus occupatam Veneti tenuerunt, nunc sponte ad regias manus rediisse;* neue molestias illi porro facesserent, verbis asperis inhibuit. (*d*)

A. C. 1312. *Car.* 12. *Ind.* 10. *P.* 26. *M.*

XX. Marinus, Venetorum dux, quum videret, apud Carolum se nouis argumentis non proficere; Iustinianum Belettum cum duabus triremibus

(*a*) Timon. Castig. V. et N. p. 33. (*b*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 397. (*c*) Ap. Schwandt. T. III. p. 314. 315. (*d*) Hist. Cr. T. VIII. p. 212.—238.

bus ad Iadram obsidendam misit. Intercepto Beletto, Iadrensibus, obsidione noua pressis, Mladinus quidem, Paulli bani filius, succurrit; veritus tamen, ne sibi dominationis arbitrium a Carolo coarctaretur, Iadrenses de pace cum Venetis agere permisit. Haec impedire tunc Carolus, intentus alteri grauiorique bello, minime potuit. Caussa motorque belli huius erat Matthaeus Trenchiniensis, cuius facinora Timon ita perstringit: (*a*) *Sepulcrum S. Zoerardi depeculatus, muros arcis Nitriensis solo aequat. — Vrit villas archiepiscopi Strigoniensis: incolas partim caedit, partim in carcerem compingit: castrum Berzencze euertit: infestis signis imminet Strigonio et Thomae archiepiscopo.* — Haec ipsius archiepiscopi testimonio certa sunt, apud Iaurinense capitulum deposito, *feria VI. post dom.* Laetare, *A. D. MCCCXII.* Matthaeus igitur, iusta Caroli regis arma tot sceleribus in se prouocauit, quorum successum ita Turotzius describit: (*b*) *Anno dom. MCCCXII. quum regale castrum, Sarus vocatum, a Demetrio, filio Nicolai, ex mandato Matthaei, potentissimi principis, possessum, suis viribus obsideret; idem Matthaeus, filius Petri de Trinchinio,* 1700. *milites lanceatos conducticios et omne penitus suum posse contra regem in adiutorium Demetrii destinauit. — Quorum aduentum rex audiens, putauit, se non posse resistere, in Scepes se recepit: cui Scepesienses, equites pariter et pedestres feliciter concesserunt; cum quibus rex hostes suos audacius est aggressus: qui quidem interdum ciuitatem, Cassa vocatam, expugnare coeperunt pro morte Omodei palatini, quem in Cassa Cassenses Teutonici, vel Saxones potius, peremerant innocentem: quibus quum exploratores*

(*a*) Epit. Chron. p. 91. (*b*) Chron. P. II. cap. 90.

hunc annum defigit. Agnes etiam, Andreae III. superstes adhuc vidua, *Neusidel* seu *Szombathely*; Aegidius vero, praepotens dynasta, plures ecclesiae Strigoniensi possessiones contulit. (*a*)

A. C. 1314. *Car.* 14. *Ind.* 12. *P.* 7. *A.*

XXII. His accessionibus sensim et ecclesia Strigoniensis, et aliae, magna turbulento regni statu damna passae, conualescebant. Carolus certe, gnarus, episcoporum inprimis opera Hungaros sibi conciliatos esse, multa variis per regnum ecclesiis beneficia contulit; vtque necessariam, ad reparanda damna pacem firmiorem redderet; Fridericum, Austriae ducem, quem aliqui hoc anno 19. Octobris imperatorem elegerunt, aliis Ludouicum Bauarum eligentibus, nouo sibi foedere iunxit. (*b*)

A. C. 1315. *Car.* 15. *Ind.* 13. *P.* 23. *M.*

XXIII. Fridericus, Caroli regis aduersus aemulum suum amicitiam sibi magis deuincturus, dotem Agnetis, suae sororis, eidem restituit, vt Martini Poloni continuator perhibet. (*c*) Ac, vt Praius refert, (*d*) *lectissimum militiae robur Comaromio, quod in Matthaei Trenchinien. potestate erat, admouit, breuique expugnatum Carolo reddidit.* Ita Carolus, opportunitatem nactus, ecclesiae Strigoniensis damna resarciendi, recensitis ingentibus archiepiscopi Thomae meritis, Comaromium illi donauit, (*e*) *in festo ad vincula S. Petri, A. D. MCCCXV.* Huic

(*a*) Hist. Cr. T. VIII. p. 263.—289. (*b*) Ibid. p. 289.—295. (*c*) Ap. Eccard. T. I. col. 1443. (*d*) Annal. P. II. p. 11. (*e*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 106.

Huic diplomati post episcopos, alias recensitos, subscribuntur *Dominicus palatinus; Nicolaus, vainoda Transsiluanus.* (*a*)

A. C. 1317. *Car.* 17. *Ind.* 15. *P.* 3. *A.*

XXIV. Matthaeus ille Trenchiniensis, tot turbarum ac malorum auctor, videri posset iam mortuus, quum illum Carolus in diplomate, Thomae vaiuodae dato, *malae memoriae* iam hoc anno vocet; nisi constaret, illum anno sequente rursus anathemate perculsum esse. Carolus autem Comaromii donationem, archiepiscopo Thomae duobus abhinc annis factam, sollemni diplomate confirmauit, (*b*) *IV. non. Aug. A. D. MCCCXVII. ven. in C. PP.— ipso videlicet Thoma Strigon. archiepiscopo; — Colocensi sede vacante; Emerico Varad. Augustino Zagrab. Stephano Vesprim. Ioanne Nitr. Vaciensi sede vacante; Martino Agr. Nicolao Iaur. Benedicto Transsilu. et alio Benedicto Chanad. Ladislao Quinqueeccles. Georgio Sirm. — Demetrio M. tau. Dominico palatino, — Lamberto iudice cur.* — Colocensi metropoli, quae hic vacare dicitur, Ladislaus iam praefuit, dum *VIII. kal. Nou. in expeditione sub castro Kamarum* Senyeniis diploma Carolus dedit. Erat hic Ladislaus ex ordine minorum assumtus; reiectoque Demetrio, quem canonici Colocenses elegerant, ad Caroli commendationem a Ioanne XXII. confirmatus, (*c*) *XVIII. kal. Sept. an. pont.* 1. Hic pontifex hoc anno Ludouicum, Caroli regis patruum *VII. id. Aprilis*, sanctis adscripsit, cuius ipse socius ac magister fuit, morientique coram adstitit. Sicut autem Andreas II. Elisabetham

(*a*) Hist. Cr. T. VIII. p. 295.—302. (*b*) Ap. Koller H. E. Qu. T. II. p. 319. (*c*) Ap. Wadd. T. VI. p. 479.

ſabetham filiam, ita Maria regina Ludouicum filium, viuens adhuc inter caelites venerabatur. Hoc anno primum in Hungaria collectionis pontificiae veſtigium ex fructibus primi anni vacantium beneficiorum occurrit. (*a*)

A. C. 1318. *Car.* 18. *Ind.* 1. *P.* 23. *A.*

XXV. Memorabilem hunc annum fecit ſynodus Colocenſis, quam duo metropolitae cum ſuis ſuffraganeis ad tuendam libertatem eccleſiaſticam celebrarunt, nominibus ita praemiſſis: (*b*) „ Thomas, „ archiep. Strigon. Ioannes Nitr. Martinus Agrien. „ Stephanus Veſprim. Nicolaus Iaur. et Ladislaus „ Quinqueeccleſ. — Strigon. eccleſiae ſuffraganei; „ Fr. Ladislaus, arch. Coloc. aulae regiae cancella- „ rius; Fr. Auguſtinus Zagrab. Benedictus Chanad. „ Fr. Benedictus Tranſſiluanus; Georgius de Kw et „ S. Irenaei; Fr. Petrus Boſn. et Iwanka Varad. — „ eccleſiae Coloc. ſuffraganei, — congregati in „ vnum Colociae in eccleſia metropolitana. — “ Hic Ioannes Nitrienſis iniurias, quas eccleſiae Nitrienſi Matthaeus Trentſinienſis intulit, fuſe recenſet, ac in eum ſententiam excommunicationis profert, *Coloczae, fer. VI. prox. ante dom. Eſto mihi, anno MCCCXVIII.* Male Kollarius fingit, Nicolaum, Iaurinenſem epiſcopum, anno hoc vel ſuperiore defunctum, ac alterutro Colomanum eidem ſuffectum fuiſſe; quum hunc hoc primum anno natum eſſe, ſynchronum MS. ita perhibeat: (*c*) *Anno MCCCXVIII. rex habuit filium ex concubina ſua, quam acceperat de magna inſula Danubii, quem appellauit*

(*a*) Hiſt. Cr. T. VIII. p. 325.—553. (*b*) Ap. Koller H.E. Q. T. II. p. 320. (*c*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 712.

uit Colomanum. Nempe Carolus ſub exitum anni ſuperioris, amiſſa coniuge Maria, rurſum viduus euaſit. Proceres igitur, veriti, ne iuuenis rex effrenibus cupiditatibus abriperetur, effecerunt, vt, (*a*) *anno dom. MCCCXVIII. acceperit D. Beatricem, filiam regis Romanorum* (Henrici VII.) *ſororem regis Bohemorum* (Ioannis) *de terra Lucelburgenſi.* (*b*)

A. C. 1320. *Car.* 20. *Ind* 3. *P.* 30. *M.*

XXVI. Hanc quoque coniugem tertiam non multo poſt Carolus amiſit; nam, vt Turotzius ibidem ſubiicit, *in reuolutione eiusdem anni obdormiuit in domino, et Varadini in cathedrali eccleſia tumulata eſt.* Eius obitum ad ſuperiorem annum ita Pulkaua refert: (*c*) *Quae in partu primae prolis ſuae vna cum foetu occubuit.* Nec illum diu viduum manſiſſe, hoc Turotzii teſtimonio diſcimus: (*d*) *An. dom. MCCCXX. accepit rex Carolus filiam Ladislai, regis Polonorum, Elizabeth nomine.* Dlugoſſus eam ait: (*e*) *Carolo, Hung. regi, die dominico, in octaua SS. Petri et Pauli apoſt. copulatam eſſe.* Carolus, noua coniuge iam in Hungariam traducta, commodiorem in Poloniam commeatum et viam aperturus, nouam in ſuperiore Hungaria ciuitatem Bartſam excitauit, ampliſſimisque priuilegiis ornauit, *V. kal. Dec.* (*f*)

(*a*) Turotz. P. II. cap. 91. (*b*) Hiſt. Cr. T. VIII. p. 360.—390. (*c*) Ap. Dobn. Mon. T. III. p. 279. (*d*) Chron. P. II. cap. 92. (*e*) Libr. IX. col. 975. (*f*) Hiſt. Cr T. VIII. p. 410—428.

A. C. 1321. *Car.* 21. *Ind.* 4. *P.* 19. *A.*

XXVII. Ingentem Caroli laetitiam, quam hoc anno natus ex Elisabetha filius, nomine Carolus, adtulit, turbauit temerarius ille Petrus, qui quemdam ex Ruthenia ducem ausus est in Hungariam inducere, conatus eumdem, nonnullis factiosis in suas partes allectis, in regiam dignitatem euehere. Nullum quidem tantae temeritatis vestigium in patriis historicis occurrit; eius tamen ipse Carolus in diplomate, quo poenam eius complectitur, dissferte meminit, *anno dom. MCCCXXI. IV. id. Febr.* vbi Dausam Transsiluaniae vaiuodam laudat. (a)

A. C. 1322. *Car.* 22. *Ind.* 5. *P.* 11. *A.*

XXVIII. Mladinus, Croatiae banus, prodita Iadra, Venetorum amicitiam adeptus, in Dalmatia tyrannidem arripuit. Irritatis eius crudelitate Dalmatis, vt Madius refert, (b) *anno dom. currente MCCCXXII. mense Ianuarii, luce XVI. ciues Sibenicenses vnam ligam insimul fecerunt contra banum Mladenum, — adhaerendo — communi et dominationi Venetorum.* Mladeno necquicquam eos ad fidem reuocare conato, *Tragurienses et Sibenicenses cum galeis Venetorum — ceperunt Almisium et Scardonam. —— Tandem banus Mladenus, videns, se esse confusum et deuictum sine bello, misit C. Georgium, fratrem suum, ad regem Vng. vt sibi impenderet auxilium.* Interea victus a Ioanne bano Babonig, constituit *ire ad regem Vng. honorifice cum donis et xeniis*, sperans, his illum placandum esse.

Verum

(a) Hist. Cr. T. VIII. p. 428.—438. (b) Ap. Schwandt. T. III. p. 646.

Verum Carolus, Tininium profectus, eum cepit, *et in comitatu suo ipsum duxit secum vsque Zagrabiam, habendo super eum custodiam armatorum. In fine autem, — captiuato etiam Mladeno bano, fuit reuersus in Hungariam.* Cur Carolus nihil in Tragurienses et Sibenicenses, qui se protectioni Venetorum subiecerant, egerit; caussa fuit, quod illi, nequid iuribus regum Hung[illegible]derogaretur; pactorum tabulis haec inseruerin[illegible](a) „ Saluis honorificentiis et iuribus D. regis Hung. quae haberet, „ vel deberet habere in ciuitate praedicta." Tum quoque, quum Paullum, Mladini consanguineum, in foedus armorumque societatem aduersus Mladinum pertraxerunt, hanc pactis conditionem rursus adiecerunt: (b) „ Salua semper fidelitate et hono„ re D. regis Hung. — anno MCCCXXII. Ind. V. „ die XXIV. Aprilis." Ceterum caussam accelerati reditus Madius, supra laudatus, assignat, quod *audiuerit rumores de Vngaria, qualiter exercitus, quem miserat in auxilium ducis Austriae, fuerat deuictus.* Fridericus enim Austriacus, cum aemulo suo, Ludouico Bauaro, decretorio praelio congressus, ad Muhldorfium victus et captus est. (c)

A. C. 1323. *Car.* 23. *Ind.* 6. *P.* 27. *M.*

XXIX. E pluribus Caroli diplomatibus, quibus suorum merita variis donationibus remuneratus est, constat, archiepiscopum *Strigoniensem* hoc anno fuisse Boleslaum; *Colocen.* Fr. Ladislaum; episcopum *Nitrien.* Ioannem; *Chanad.* Benedictum; *Iaurien.* Nicolaum; *Sirmien.* Georgium; *Quinqueeccles.* Ladislaum;

(a) Ap. Luc. L. IV. C. XIV. p. 333. (b) Ibid. p. 337. (c) Hist. Cr. T. VIII. p. 438—454.

dislaum; *Bosnen.* Fr. Petrum; *Varad.* Iuankam; *Transsiluan.* Andream; *Vesprim.* Henricum; *Agrien.* Chanadinum; *palatinum* Philippum; *iudicem curiae* Lambertum; *vaiuodam Transsiluan.* Thomam; *banum totius Sclauoniae* Nicolaum; *banum de Machow* Paullum. — Boleslaus archiepiscopus erat e genere ducum Tostensium (qui ducatus in Silesia superiore fuit olim hereditas [illegible]cipum Opoliensium) quem Carolus in diplomate [illegible]uius anni *proximum* suum vocat. Mathias Dause, vel Deusa palatinus anno superiore tam Martio, quam Iulio mense legitur, cui suffectus Philippus Drugeth, ex Italia cum Carolo huc delatus, *compatrem* vocat Chanadinum, Agrien. episcopum, superiore quidem anno canonicorum suffragiis electum, sed hoc anno confirmatum et consecratum. S. Augustinus Gazottus, antea Zagrabiensis, deinde Lucerinus episcopus, ad Christum hoc anno migrauit. (*a*)

A. C. 1324. *Car.* 24. *Ind.* 7. *P.* 15. *A.*

XXX. Quum, Mladino iam capto, Georgius, frater eius, Dalmatiam turbasset; ad illum Ioannemque Babonich coercendum Carolus Nicolaum, C. Soproniensem, cum exercitu misit, banumque creauit. Magnum ei solatium adtulit Georgius, praecipuus turbarum auctor, interceptus; multo tamen maius alter ex Elisabetha filius kalendis Octobris natus, quem Ladislaum appellari voluit. (*b*)

A. C. 1325. *Car.* 25. *Ind.* 8. *P.* 7. *A.*

XXXI. Vt Carolus pro tam fecundi tori beneficio se DEO gratum praestaret; anno hoc *inchoauit*, teste

(*a*) Ibid. p. 462.—500. (*b*) Ibid. p. 500.—515.

teste Turotzio, (*a*) *fratribus minoribus aedificare ecclesiam in Lippa, ad honorem B. Lays* (Lajos, seu Ludouici) *noui sancti, episcopi Tolosani et conf. qui fuit frater carnalis patris sui.* Templum hoc et coenobium ita furor barbarus in ruinam egit, vt ne vestigium quidem eius ibidem ante paucos annos videre potuerim. Dedit illic hoc anno Carolus diploma pro M. Ricolpho, cuius epilogus exhibet nouum *curiae iudicem*, Alexandrum; nouumque *banum* Michaelem. (*b*)

A. C. 1326. *Car.* 26. *Ind.* 9. *P.* 23. *M.*

XXXII. Hanc in S. patruum Caroli pietatem caelum remunerari visum est, quum, vt Turotzius rursum perhibet; (*c*) *anno dom. MCCCXXVI. tertio nonas Martii natus est eidem regi filius, quem nomine huius sancti confessoris, consanguinei sui, Lays prae gaudio appellauit.* Atque hunc demum Ludouicum, nunc natum, praemortuis duobus antea susceptis, suorum regnorum et virtutum heredem relinquet, qui nominis Hungarici gloriam altius ipso patre prouehet. Exuberantem Caroli laetitiam iterum interpellarunt turbatae res Dalmaticae, ad quas componendas Mikchius, seu Michael, nouus banus, cum exercitu missus, teste Madio, (*d*) *habitis castris filiorum Babonig, intrauit Croatiam, associato sibi Stephano, Bosniensi comite.— Finaliter videns, quod habere non posset suum intentum, — abiit in Vngariam ad regem.* Nempe haec gloria pacandae Dalmatiae reseruata fuit Ludouico, qui

 laudati

(*a*) Chron. P. II. cap. 93. (*b*) Hist. Cr. T. VIII. p. 523.— 531. (*c*) Chron. P. II. cap. 94. (*d*) Cap. XXVIII. p. m. 653.

laudati Stephani, Bosnenſis comitis, filiam Eliſabetham ſecundis ſibi nuptiis copulabit. (*a*)

A. C. 1327. *Car.* 27. *Ind.* 10. *P.* 12. *A.*

XXXIII. DEVS, laeta triſtibus miſcere ſolitus, primogenitum quidem Caroli filium hoc anno ſuſtulit, ſed nouum illi paullo poſt filium Andream dedit. Illum ante kal. Nou. deceſſiſſe, colligimus ex hoc pietatem ſpirante regis diplomate: (*b*) „Carolus — Quum nos, deuota conſideratione ducti „ et permoti pietate, ad ea, quae officio noſtri „ regiminis incumbunt, nouiſſime diebus iſtis, cariſſimo primogenito noſtro, Carolo paruulo, vocante diuina voluntate, decedente, ob noſtram „ ac eiusdem filii noſtri ac progenitorum noſtrorum ſempiternam ſalutem, votum vouerimus, „ reſtituendi vniuerſas poſſeſſiones eccleſiarum regni „ noſtri quarumlibet ac iura omnia; —— Anno „ dom. MCCCXXVII. pridie kal. Nou. —" Huic diplomati palatinus non ſubſcribitur, qui diplomati, dato *VI. id. Ian.* ſubſcribitur. Philippus igitur medio tempore diem ſuum obierit, et quidem ante menſem Auguſtum, quum iam *felicis memoriae* dicatur (*c*) *feria* II. *prox. poſt feſtum B. Iacobi ap. A. D. MCCCXXVII.* Moeſtum de iactura tam filii, quam palatini Carolum DEVS conſolatus eſt, quum hoc *eodem anno, in feſto S. Andreae apoſtoli, natus ſit filius ei, quem Andream appellauit,* vt Turotzius ait: (*d*) Tertius hic, mortuo Carolo, filius regis erat. Et quia dum rex Carolus, Tirnauiam noui foederis

(*a*) Hiſt. Cr. T. VIII. p. 543—545. (*b*) Ex MSS. Cornidef. (*c*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 330. (*d*) Chron. P. II. cap. 95.

foederis cum Ioanne, Bohemiae rege, percutiendi caussa profectus, Annam, eius filiam, Ladislao, filio suo, despondit; hic Ladislaus *idibus Februarii* iam *primogenitus* vocatur; Carolus ante 13. Ian. decesserit. Nouum doloris argumentum Carolus accepit, quod, vt chronista Venetus testatur, (*a*) *hoc tempore Spalatum et Nona, quae in extremo statu perturbationis versabantur, eo modo, quo de Sibenico et Tragurio dictum est, — dediderunt eisdem conditionibus et pactis MCCCXXVII. mense Septembris.* (*b*)

A. C. 1328. *Car.* 28. *Ind.* 11. *P.* 3. *A.*

XXXIV. Dissidiis quibusdam inter Fridericum et Ottonem, Austriae duces enatis, Carolus Ottoni contra Fridericum auxilia misit, de quibus ita chron. Austr. scribit: (*c*) *MCCCXXVIII. Austria fuit cremata ex vtraque parte Danubii per Vngaros et Saracenos, ex parte ducis Ottonis.* Mirum autem videri potest, cur arma maluerit in Austriam Carolus conuertere, quam in Spalatenses aut Venetos, quibus illi se dediderunt. Caussa fortassis haec est, quod quum Spalatenses dicantur *iisdem conditionibus et pactis* se dedidisse, quibus Sibenicenses et Traguriensesȝ sicut illi, ne quod praeiudicium Hungariae regibus inferretur, ita hi quoque pactorum tabulis haec inseruerint *saluis honorificentiis et iuribus D. regis Hungariae.* (*d*)

A. C. 1329. *Car.* 29. *Ind.* 12. *P.* 23. *A.*

XXXV. Vix Carcus dolorem, ex obitu Caroli haustum, digessit, quum eius luctum instaurauit prae-

(*a*) Ap. Luc. L. IV. C. XIV. p. 339. (*b*) Hist. Cr. T. VIII. p. 555.—580. (*c*) Ap. H. Pez T. I. col. 727. (*d*) Hist. Cr. T. VIII. p. 60.

ctor ad eumdem hunc annum narrat bellum Valachicum, infeliciter a Carolo gestum, aduersus Alexandrum Bazaradum, quem tamen perhibet (a) *censum debitum regiae maiestati semper fideliter persoluisse.* Persuasus erat ad bellum hoc suscipiendum partim a Thoma, vaiuoda Transsiluano, partim a Dionysio, Nicolai filio, cui Seuerinum, sine difficultate receptum, illico gubernandum cum dignitate banatus tradidit. Tum vero Bazaradus, Valachiae princeps, per honestos legatos regem orauit, ne porro pergeret: ad expensas belli farciendas se 7000 marcarum argenti promittere: Seuerinum, vi captum, vltro cedere: censum consuetum quotannis fideliter numeraturum: vnum e filiis etiam obsidem daturum, suis sumtibus alendum. Ad has pacis conditiones acceptandas postquam frustra regem Donch seu Dominicus adhortatus fuisset; quum exercitus intra montes vltra promoueretur; mox et famem sentire coepit, et omnes vndique vias a Valachis obsessas conspexit. Frustra iam rex in oblatas pacis conditiones consensit, eoque pacto securum se credidit. Nam Valachi, per latera montium circumfusi, regis exercitum, in vallibus indagine clausum, ad satietatem vsque iaculis interficiebant. *Facta est*, inquit Turotzius, *ibi strages maxima; et cecidit militum et principum ac nobilium incomputabilis multitudo feria VI. in vigilia B. Martini. — Ibi etiam occubuerunt tres praepositi, videlicet M. Andreas, praep. Alb. eccl. — vice-cancellarius regiae maiestatis exsistens, cum sigillo regis, periit.* — Quia hic Andreas multis diplomatibus hoc anno subscriptus, vt vice-cancellarius, legitur; anno superiore non occubuit, ad quem tamen referri hoc bellum

(a) Ibid. cap. 97.

bellum deberet, si *feria VI. in vigilia B. Martini* haec strages facta fuisset. Haec enim vigilia non anno 1330. quo littera dominicalis erat G. sed anno 1329. quo diem dominicam A. littera signabat, in feriam VI. incidit. Quare feria V. hic est rescribenda; quum potior sit habenda fides diplomatibus, quibus subscriptus legitur (*a*) *M. Endre, praep. eccles. Alb. A. D. MCCCXXX. pridie kal. Maii.* Item *M. Andreas, praep. eccl. Alb. — vice-cancell. A. D. MCCCXXX. VIII. kal. Aug.* (*b*) Nec illud Turotzii testimonium, quo Bazaradum iniusto bello petitum ait, fidem meretur; quum rex tertio post anno vocet eumdem *manifestum et notorium infidelem* in eo diplomate, quod Bartalti posteris dedit. (*c*)

A. C. 1331. *Car.* 31. *Ind.* 14. *P.* 31. *M.*

XXXVIII. Ad cauendas fraudes, amisso regis sigillo, nouum confici debuit, cuius fabro, M. Petro, Carolus possessionem Iemnik contulit, propter meritorium seruitium, inquit, (*d*) quod *in sculptione, fabricatione seu paratione sigilli nostri authentici exhibuit. — Dat. in Vizegrad., fer. V. prox. post dom. Ramis palmarum, anno dom. MCCCXXXI.* Quum autem Carolus, Roberti, Siciliae regis, vnicus filius, tribus abhinc annis obierit, neque Carolus regni portionem, ad se iure hereditario pertinentem, a Roberto patruo per legatos impetrare potuerit; Ioannes XXII. ea de caussa per Carolum interpellatus, aequam eius petitionem agnouit, ad eamque complendam Robertum admonuit. (*e*) Sanctum

(*a*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. I. p. 265. (*b*) Ex tabul. Vesprim. (*c*) Hist. Cr. T. VIII. p. 634.—644. (*d*) Ap. Wagn. Sccp. P. I. p. 131. (*e*) Ap. Rayn. 1331. n. 26.

ciam quoque, Siciliae reginam, orabat, vt conciliandis inter Ioannam neptem et Caroli filium nuptiis operam daret. Quae res quam infeliciter Andreae cesserit, suo loco videbimus. Interim Carolus, res suas magis firmaturus, mortuo Friderico, quem ad pacem cum fratribus ineundam adegerat anno 1328. foedus cum superstitibus Austriae ducibus, Alberto scilicet ac Ottone, rursus instaurauit, tabulis Posonii confectis *anno* 1331. *quarto nonas Septembris.* (*a*)

A. C. 1332. *Car.* 32. *Ind.* 15. *P.* 19. *A.*

XXXIX. Ad hunc annum Turotzius noui principis natiuitatem, quae noua laetitia Carolum cumulauit, ita refert: (*b*) *Anno dom. MCCCXXXII. in festo S. Stephani regis habuit rex filium, quem Stephanum nuncupauit.* Hunc Chanadinus archiepiscopus e sacro fonte leuauit, vt MSS. testantur, quae haec subiiciunt: (*c*) *Compatri suo, more priscorum regum, illico se beneficum praestat Carolus, donato oppido Gyrah, Comaromiensis prouinciae, omnibusque priuilegiis Strigon. ecclesiae confirmatis.* (*d*)

A. C. 1333. *Car.* 33. *Ind.* 1. *P.* 4. *A.*

XL. Carolus, filio hoc auctus, filium Andream ad Siciliae solium euecturus, longinquum in Italiam, patriam suam, vnde tricenis et amplius annis aberat, iter suscepit, quod Turotzius ita describit: (*e*)

Anno

(*a*) Hist. Cr. T. VIII. p. 645.—670. (*b*) Chron. P. II. cap. 97. (*c*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. I. p. 269. (*d*) Hist. Cr. T. IX. p. 17. 18. (*e*) Chron. P. II. cap. 97.

Anno domini MCCCXXXIII. egressus est rex de Visegrad cum Andrea, filio suo, puero sex annorum, in mense Iulii: et perrexit cum bona comitiua militum per Zagrabiam vltra mare, vt filium suum, per voluntatem summi pontificis, domini scilicet Ioannis XXII. et ad instantiam et petitionem inclitissimi Roberti, regis Siciliae, regni eiusdem coronaret in regem. In cuius regis comitiua profecti sunt Chanadinus, archiep. Strigoniensis; Andreas, episcopus Varadiensis; et Iacobus, Longobardus physicus, episcop. Chanadien. et M. Donch. — Qui rex rediit cum sospitate in mense Martii, cum sanitate omnium suorum, qui ipsum fuerant comitati; filium autem suum ibidem reliquit, non tamen coronatum, sicut optabat; sed sub tutamine et protectione regis Roberti. Huius filius Carolus, anno 1328. mortuus, duas reliquit filias, Ioannam et Mariam; hanc Ludouico destinatam, illam Andreae desponsam, cum dotalicio Siciliae regno. De Ludouico quoque, quem in regno Hungariae successorem destinabat, sollicitus rex Carolus, pontificem interpellauit, vt, si Chanadinus, aut post illum alius archiepiscopus, eumdem, se superstite, coronare vel nollet, vel non posset; id aliis antistitibus facere liceret. Annuit pontifex, datis ea de re litteris ad archiep. Colocen. epp. Varad. et Zagrab. 11. *kal. Aug. pont. an. XVII.* (a)

A. C. 1334. *Car.* 34. *Ind.* 2. *P.* 27. *M.*

XLI. Etsi Belgradum ab Emerici temporibus ditionis Hungaricae fuerit; episcopus tamen ecclesiae huius in diplomatibus regum hoc anno primum comparet, quum Carolus fundos et priuilegia sacrarum

crarum

(a) Hist. Cr. T. IX. p 29.—36.

crarum virginum in insula Leporum confirmat, hoc vsus epilogo: (*a*) „Dat. — anno dom. MCCCXXXIV. „ sexto idus Dec. — ven. in C. PP. DD. Chanadi- „ no Strigon. Fr. Ladislao Coloc. archiepiscopis; „ Nicolao Iaur. Ladislao Quinqueecclef. Andrea „ Transsilu. Andrea Varad. Ladislao Zagrab. Nicolao „ Agr. Meskone Nitrien. Fr. RudolphoVac. *Fr. Paul-* „ *lo Albensi de Nandor*; Iacobo Chanad. episcopis, „ — sedibus Vesprim. Sirmien. et Bosn. vacantibus, „ magnificis viris Willermo Drugeth palatino; — „ Thoma vaiuoda Transsilu. — Paullo — iudice cu- „ riae nostrae; Michaele bano Sclauoniae; Ioanne „ bano de Machow. — " Quis fuerit conditor Belgradensis episcopatus; deficientibus monumentis, definiri non potest. Vacantes sedes non multo post impletae sunt, ad Vesprimiensem translato Meskone, cui Fr. Vitus in Nitriensi successit. Sirmiensis Georgius, vita functus, Gregorio locum fecit; Laurentio Bosnensis cessit, (*b*) an. 1335.

A. C. 1335. *Car.* 35. *Ind.* 3. *P.* 16. *A.*

XLII. Carolus, victoria de Tartaris relata, quam illi, Benedictus XII. Ioanni XXII. 20. Decembris anno superiore suffectus, nonis Aug. gratulatur, (*c*) arma vicinis et amicis principibus excussurus, arbitrium pacis inter Bohemiae Poloniaeque reges et cruciferos in se suscepit, magnaque sapientiae laude concordiam inter dissidentes conciliauit. Priusquam hoc fieret; perpetuum cum Ioanne, Bohemiae rege; Carolo, Morauiae marchione; Ioanne, Carinthiae duce, foedus pepigit, tabulis confectis (*d*) *die dom.*

(*a*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. I. p. 287. (*b*) Hist. Cr. T. IX. p. 42.—49. (*c*) Ap. Rayn. 1335. (*d*) Ap. Dobn. Mont. T. IV. p. 297.

dom. prox. ante festum natiuitatis B. V. an. dom. MCCCXXXV. Tertio post mense magnos Visegradi hospites exteros reges habuit, in quibus excipiendis Caroli magnificentiam ita Turotzius describit: (*a*) *Anno domini MCCCXXXV. circa festum S. Martini, Ioannes, rex Bohemorum, cum Carolo, filio suo, et rex Polonorum, venerunt ad regem Carolum in Hungariam, ad castrum Visegrad, pro perpetuae pacis concordia componenda. — Omni die ad prandium regis Bohemorum, ex magnificentia regis Hungariae, expendebantur* 2500. *panes et de cibis regalibus copiose; pabulum etiam equis eius per singulos dies* 25. *garletae* (cubuli). *Ad prandium vero regis Polonorum* 1500. *panes; de cibariis autem abundanter. De vino autem expensae sunt* 180. *tunnellae* (vascula). *Remunerauit autem rex Hung. regem Bohemorum diuersis et pretiosis clinodiis, videlicet* 50. *vasis argenteis, duabus pharetris, duobus balthеis et vna tabula pro scacis mirabili, duabus sellis inaestimabilis pretii, vno bicello, valente* 200. *marcas argenti, et vna concha margaritarum, mirabili opere composita. Item, quia rex Poloniae erat regi Bohemorum censualis; et quia rex Hung. Carolus habebat sororem regis Poloniae in vxorem; dedit ei rex Hung. idem Carolus, ad redimendum eundem regem de solutione censuali regi Bohemorum* 500. *marcas auri purissimi. Et ibi ordinatum est, vt, si quempiam ipsorum regum vel regna eorum hostis inuaderet; ceteri in eius adiutorium et iuuamen festinarent.* Tabulae pacis signatae sunt (*b*) *die S. Elisabeth, anno dom. MCCCXXXV.* Haec Turotzius ex anonymo

(*a*) Chron. P. II. cap. 97. Epit. Chron. P. II. (*b*) Ap. Dogiel Cod. Dipl. T. I. p. 2.

anonymo ſynchrono, quem magnam rerum notitiam habuiſſe tam minuta recenſio docet. (*a*)

A. C. 1336. *Car.* 36. *Ind.* 4. *P.* 31. *M.*

XLIII. Viſegradum, vbi Carolus regiam ſedem primus omnium defixerat, quoddam veluti concordiae templum euaſit, poſtquam grauiſſimae principum lites illic diſputatae foederaque ſancita ſunt. Illic Caſimirus longiore tempore commoratus, teſte Dlugoſſo, (*b*) *diem natalis domini Budae celebrauit.* Illic foedus quoque contra ducem Auſtriae concluſum eſſe, Carolus, Ioannis regis filius, ita teſtatur: (*c*) — Rex Hung. *promiſit eſſe in adiutorium patri noſtro contra ducem Auſtriae, qui abstulerat fratri noſtro ducatum Carinthiae.* Huius igitur Carinthiae cauſſa hoc anno bellum erupit, idque factum, quod Salisburg. chronicon ita tradit: (*d*) *MCCCXXXVI. Karolus, Vngarorum rex; Ioannes, Bohemorum rex, inſimul confoederati, mirabiliter diſcordant cum Alberto et Ottone, ducibus Auſtriae; propterea tota fere Auſtralis prouincia grauiter eſt incendiis et rapinis deuaſtata.* Datis acceptisque mutuis damnis, induciae Laureaci IX. Octobris ad feſtum vsque pentecoſtes initae ſunt. (*e*)

A. C. 1337. *Car.* 37. *Ind.* 5. *P.* 20. *A.*

XLIV. Ex his induciis pace tandem conſequuta, Carolus omnia foedera, quae cum Auſtriae ducibus antea pepigerat, nouis litteris inſtaurauit, vnam-

(*a*) Hiſt. Crit. T. IX. p. 57.—77. (*b*) Libr. IX. col. 1035. (*c*) Epit. R. B. L. III. C. XVIII. p. 338. (*d*) Ap. H. Pez, T. I. col. 411. (*e*) Hiſt. Cr. T. IX. p. 84.—101.

vnamque solum conditionem, qua promiserat, se Bohemiae regi communem cum ducibus hostem futurum, antiquauit, (a) *Posonii fer. IV. prox. post natiuitatem B. V. A. D. MCCCXXXVII.* Postridie de restitutione quarumdam arcium et captiuorum egit, ac simul instrumentum pacis, inter Bohemiae regem et Austriae duces initae, suis litteris firmauit. (b)

A. C. 1338. *Car.* 38. *Ind.* 6. *P.* 12. *A.*

XLV. Post bellum Austriacum rursus Visegradum inclaruit aduentu ducis Ruthenorum, de quo Turoczius ita scribit: (c) *Anno dom. MCCCXXXVIII. circa festum apostolorum Petri et Paulli dominus Lothka, dux Ruthenorum, venit in Visegrad, cum electo populo militum suorum, ad regem Carolum Hung. promittens ei omnis amicitiae incrementum.* Eodem anno nouorum illic foederum, iam prius percussorum, ita Dobnerus meminit: (d) *Confoederatio inter Carolum, regem Hung. et Carolum, marchionem Morauiae:* „quod „si Casimirus, rex Poloniae, decederet sine here„de masculo; rex Hung. obtinebit regnum ipsius „cum auxilio marchionis Morauiae:" *contra, rex Hung. promittit:* „sese nullam Casimiro aut eius „heredibus assistentiam laturum aduersus terras va„sallosque seu regis Bohemiae, seu marchionis „Morauiae." *Dat. in Visegrad, dominica Inuocauit, MCCCXXXVIII.* Eadem die celebratus fuit *contractus matrimonii inter Ludouicum, primogenitum regis Hung. et Margaritam, filiam marchionis Morauiae*

(a) Ap. Pray Ann. P. II. p. 41. (b) Hist. Cr. T. IX. pag. 102.—112. (b) Ap. Rayn. 1307. (c) Chron. P. II. cap. 98. (d) Mon. T. IV. p. 301.

rauiae. Carolus, tot foederibus foris munitus, inuidiam domi declinare non potuit, vt ex antistitum Hung. litteris, ad Benedictum XII. datis, apparet, quibus queruntur: (a) „ regem, a quo rerum potiretur, generales ordinum conuentus vetare, in „ quibus regni status ex communi consultatione „ hactenus temperari consueuerit: obturato hoc „ fonte, cetera omnia, quibus publica felicitas com-„ prehenderetur, languere: nobiles, sine iudicio-„ rum ratione, magistratu deiici. — Neque melius „ cum episcopis agi, quorum auctoritas, quae qui-„ dem ex regni legibus maxima adhuc fuisset, ita „ obsoleuerit, vt, quum res DEI et suas agendas „ apud regem haberent; foedissimam repulsam pa-„ tiantur: si quem mori contingat; eius bona, siue „ ecclesiastica, siue paterna essent, continuo a re-„ giis ministris occupari; vixque relinqui tantum, „ quantum humando praesulis corpori satis sit. — „ Neque id inconsulto rege patrari, cui vterque „ archiepiscopus 200. episcopi ceteri 50. argenti „ marcas, ineunte quouis anno, xeniorum nomi-„ ne, offerre cogerentur: iuris autem rationem „ adeo ab aequitate defluxisse, vt profanis homi-„ nibus 30. annorum praescriptione contra ecclesia-„ sticos se tueri integrum sit; his contra ne cen-„ tenariam quidem aduersum illos patrocinari; nisi „ priuilegiorum instrumenta exhibeant; quae tamen „ Tartarorum irruptione Belae temporibus aut flam-„ mis corrupta, aut hominum rapacitate sublata „ constet. " — Benedictus pontifex, profanis caussis, ad suum forum non pertinentibus, reiectis, ea dumtaxat, quae caussam DEI concernebant, *si veritate niterentur*, emendanda Carolo maiorem in modum

(a) Ap. Rayn. et Pray ad 1331.

modum commendabat, — *XII. kal. Aug. pontif. anno IV.* Pontificem non plenam fidem capitibus accusationis adhibuisse, patet ex conditionibus interiectis: *si vera sint; si veritate nitantur.* Carolum autem, siquid peccauit, emendauisse, patebit ex ingenti luctu Hungarorum, quo mortem optimi regis quarto post anno prosequuti sunt. (a)

A. C. 1339. *Car.* 39. *Ind.* 7. *P.* 28. *M.*

XLVI. Raynaldus iterum meminit instauratarum apud pontificem querelarum contra Carolum regem in haec verba: (b) *Delatae fuerant de rege Hungaro apud pontificem graues querelae:* „ occupata fuisse, vacuo Colocensis et Bachiensis coniunctarum ecclesiarum archiepiscopali solio, et „ praedia, et castra, quae iuris erant ecclesiastici, „ a regiis administris, dissimulante eodem rege. “ *Ac tum ipsum monuerat Benedictus:* „ vt a sacris „ opibus temperaret manus, atque antecessorum „ suorum, qui ecclesias locupletarant, exempla „ sequeretur. “ *Qui quum pontifici rescripsisset:* „ id „ ad tuendum limitem regni Hungarici, ne Rasciae „ rex schismaticus iisdem oppidis inuadendis inhia„ ret; gestum: “ *partes datae sunt a Benedicto Strigoniensi archiepiscopo:* „ vt eiusdem rationes, in „ publica documenta redactas, ad sedem apost. „ transmitteret. “ Reipsa haereticos in Bosnia Rasciaque hoc tempore multum grassatos esse constat. Iustam igitur excusationem Carolus adduxisse dicendus est. Certe pietas, qua semper in DEVM et religionem flagrabat, omnem ab eo sinistram suspi-

(a) Hist. Crit. T. IX. p. 130—144. (b) Ad an. 1339. n. 83.

ſuſpicionem amolitur. Hanc eius pietatem et ſingulare tam illius in pontificem, quam in illum pontificis ſtudium loquitur epiſtola, qua Benedictus votum eius de prolixis precibus ad DEVM et B.V. quotidie fundendis in aliud opus commutauit, (*a*) *XVI. kal. Febr. an. V.* Poſthaec magnum iterum Viſegradi hoſpitem, Caſimirum regem, excepit: qui quum maſculo herede caruiſſet; Ludouicum, Caroli filium, ſuum ex Eliſabetha ſorore nepotem, filium adoptauit, ac in regno Poloniae ſucceſſorem ſuum deſignauit. Dlugoſſus perhibet, (*b*) id primum in Cracouienſibus comitiis, menſe Maio celebratis, concluſum fuiſſe; Viſegradi vero menſe Iulio litteris publicis firmatum, vt Turotzius quoque conſentit. (*c*) Eam vero haec pacta vim habuerunt, vt Caſimiro, poſt tricenos annos mortuo, Ludouicus ſucceſſerit an. 1370. (*d*)

A. C. 1340. *Car.* 40. *Ind.* 8. *P.* 16. *A.*

XLVII. Vtilem FF. minores operam in Boſnia nauaſſe, Waddingus ad hunc annum ita narrat: (*e*) *Gerardus, gen. miniſter, in Hungariam profectus, atque a Carolo rege perſuaſus, vt in Boſnam ſe transferret, ſerpenti haereticorum veneno antidotum adhibiturus, obuiam habuit ipſum principem Boſnae ſeu banum Stephanum, qui eumdem excepturus honorifice, magno itinere vltro proceſſerat. Permanſit illic dies aliquot Gerardus magno rei catholicae incremento. Nam Stephanus libenter audiuit verba catholicae veritatis: veram fidem ipſe admiſit; et reliquos*

(*a*) Ap. Rayn. ibid. (*b*) Libr. IX. col. 1055. (*c*) Chron. P. II. cap. 98. (*d*) Hiſt. Cr. T. IX. p. 149.—161. (*e*) Annal. Tom. III.

liquos suae gentis ad eam amplectendam hortatus, haereticos omnes suo iussit excedere principatu. Haec narratio confirmatur litteris, a Benedicto XII. tam ad Carolum regem, quam ad ipsum Gerardum datis, II. *kal. Mart. pont. an. VI.* Atque hic ille Stephanus, Bosniae banus, est, cuius subinde filiam Elisabetham, in aula Hungariae regis educatam, Ludouicus rex, mortua coniuge prima, secundis sibi nuptiis copulauit anno 1353. (*a*)

A. C. 1341. *Car.* 41. *Ind.* 9. *P.* 8. *A.*

XLVIII. Etsi Carolus cum Austriacis principibus saepe iam foedus instaurauerit; quia tamen propter damna, quae tam Hungari, quam Austriaci mutuis sibi procursionibus inferebant, idemtidem odia recrudescebant; innouandae pacis caussa rursus vtraque pars arbitrorum iudicio se submisit. Steyerus quidem in historia ducis Alberti II. Carolum, Morauiae marchionem, arbitrum huius litis fuisse scribit; (*b*) at rex Carolus huius Caroli non meminit, dum arbitros hoc diplomate constituit: (*c*) „Nos Karolus, D. gr. rex Hung. — profitemur, quod amicabilem et fraternam considerationem habentes de puritate vnionis et amicitiae, inter magnificum principem, ducem Albertum Austriae, fratrem nostrum carissimum, et nos, sincerius obseruanda, nec non pro pace, terrarum nostrarum tranquillitate vtrimque firmiter et indissolubiliter confouenda, disposuimus mutuo super damnis, iniuriis, hinc inde terris et hominibus nostris alterutrum hucusque in metis et

(*a*) Hist. Cr. T. IX. p. 172.—175. (*b*) Cap. I. p. 6. (*c*) Ap. Pray Ann. P. II. p. 49.

„ alibi factis et illatis, amicabiliter concordare,
„ hoc modo, quod frater noster, Austriae dux,
„ tres, videlicet ven. in C. P. D. Petrum, ep. Sir-
„ mien. Thomam, vaiuodam Transsilu. et C. Paul-
„ lum de Merteinstorff, de nostris consiliariis rece-
„ pit et elegit; — nos vero similiter de consiliariis
„ dicti fratris nostri, Austriae ducis, etiam tres,
„ videlicet C. Ludouicum de Oetting, C. Vlricum
„ de Phanberche, Vlricum de Pergow recepimus
„ et elegimus; — quibus — plenam dedimus —
„ — potestatem, iniurias, damna, nobis ac fra-
„ tri nostro — hinc inde facta, audiendi, cogno-
„ scendi, arbitrandi ac diffiniendi, quemadmodum
„ ipsis visum fuerit expediri. — Datum — Posonii,
„ in die B. Briccii episc. (*XIII. Nou.*) anno MCCC-
„ XLI.“ (*a*)

A. C. 1342. *Car.* 42. *Ind.* 10. *R.* 31. *M.*

XLIX. Anno vitae suae postremo Carolus emendandam rem monetariam, quae fraude praefectorum, vilius metallum admiscentium, a pristina probitate non parum deflexerat, aggressus, antiquatis veteribus Hungaricis peregrinisque profligati metalli denariis, nouos e sincerae probitatis argento feriundos curauit. Rei huius perficiendae curam C. Hyppolito, camerae regiae praefecto, commisit, ac pro certa pecuniae summa locauit. Exstat in codice iuris patrii prolixum hac de re decretum, rubricis destitutum, ex quo discimus, quid nomine *portarum* veniat, *per quas nempe currus, cum feno vel frugibus oneratus, intrare potest et exire, siue sub eadem porta — plures exsistant homines residentes*

(*a*) Hist. Cr. T. IX. p. 204.

dentes, siue solum vnus commoretur in eadem. Singulae porro huiusmodi portae seu curiae denarios 18. pro lucro camerae contribuere debebant. Tantumdem Ludouicus post 9. annos exegit, seu tres grossos, *quorum*, inquit, (*a*) *grossorum vnus sex denarios camerae nostrae — valeat.* Carolus etiam voluit, vt vnum grossum 6. denarii constituant; sed simul decreuit, vt e 4. latis Viennensibus tres dumtaxat denarii nouae cusionis fierent. Quia vero hic lati grossi similes illis, quos hodie *Marianos* dicimus, intelliguntur; denarii quoque nostris maiores accipiendi sunt, quorum 90 grossos latos 15. seu numum aureum exaequabant. Laudatum decretum meminit etiam *aurei denarii*, seu floreni, cuiusmodi monetam primus hic Carolus feriundam curauit. Dicebantur autem aurei hi *floreni*, seu quod *Florentinis* similes fuerint; seu quod ex *auri flore*, vel cum *lilii flore* cuderentur. Sed iam, postquam materia florenorum immutata fuit, etiam ex argento cusos appellatione veteri Germani *Gulden*, Slaui vero *Zlaty* dicunt. Aurei, seu floreni Caroli regis, qui hodie rarissimi sunt, ad imitationem Florentinorum S. Ioannem B. exhibent, cui Ludouicus I. S. Ladislaum substituit, moremque hunc retinentibus ceteris regibus, primus quod sciam, Mathias II. hoc ornamentum sustulit. Carolus, re monetaria tam sapienter constituta, non mediocriter aerarium regium auxit. Accessit ad lucrum camerae non contemnenda pecuniae vis, ex collectione decimae pontificiae, quae pro subsidio terrae sanctae constituta fuit in concilio Viennensi 1312. Huius enim collectionis tertiam partem ad aerarium Caroli

(*a*) Decr. 1351. art. 4.

Caroli deriuatam esse, discimus ex M. Petri, noui collectoris, instrumento. (*a*)

L. Haec inter Carolus, de regno Hungariae quam optime meritus, non tam annis ac aetate, quam curis morbisque confectus, quum 54. aetatis annum egisset, in arce Visegradiensi, quam semper in deliciis habebat, 16. Iulii vitae cursum confecit. Mortem eius sinceris lacrimis deploratam fuisse, Turotzius ita perhibet: (*b*) *O quantus fletus, quanta lamenta praelatorum, procerum, baronum, nobilium, virginum, dominarum et cuiusuis status et ordinis hominum!* Quumque postridie delatum fuisset eius corpus in templum Visegradiense; *planxit*, inquit, *eum vniuersus populus ciuitatis planctu magno valde.* Repetitus fuit planctus, quum corpus Budam naui deueheretur, vbi quum exsequiae pro Carolo celebrarentur, ait, *homines prorupisse in fletus, validissimis aethera vlulatibus propulsantes.* Quumque hinc Albam procederetur; *omnes homines, — clamore maximo in amaritudinem conuersi, aethera propulsando, resonabant.* — Rursus Albam venientes, *in inenarrabiles fletus* proruperunt: ac postquam Chanadinus archiepiscopus de laudibus defuncti regis perorasset, corpusque tumulasset; *omnes vnanimiter planxerunt eum in tantum, vt marmorei lapides densitate lacrimarum plurimum fuerint humefacti.* — Hae lacrimae satis indicant, quantopere Hungari Carolum ob restitutam regno tranquillitatem dilexerint. Adiutores eius in gubernando regno fuerunt, archiepiscopi *Strigonien.* Thomas 1304. Boleslaus 1321. Nicolaus el. 1328. Chanadinus 1330. *Colocen.* Fr. Ladislaus 1317. episcopi

(*a*) Hist. Cr. T. IX. p. 209.—239. (*b*) Chron. P. II. cap. 98.

scopi *Agrien.* Martinus 1307. Chanadinus 1322. Nicolaus 1332, *Bosnen.* Fr. Gregorius 1309. Benedictus 1312. Fr. Petrus 1317. Laurentius 1337. *Iaurin.* Nicolaus 1304. Colomanus 1338. *Nitrien.* Fr. Ioannes 1302. Mesko 1330. Fr. Vitus 1335. *Quinqueeccles.* Petrus 1308. Ladislaus 1315. *Sirmien.* Ladislaus 1309. Georgius 1312. Fr. Gregorius 1335. Petrus Beke 1338. *Transsiluan.* Fr. Benedictus 1310. Andreas 1320. *Tsanadien.* Benedictus 1307. Iacobus 1333. *Vacien.* Haab 1308. Laurentius 1324. Fr. Rodolphus 1330. *Varad.* Emericus 1305. Iwanka 1318. Andreas de Bàthor 1329. *Vesprim.* Stephanus 1310. Henricus 1322, Mesko 1335. *Zagrab.* Fr. Augustinus Gazottus 1303. Fr. Augustinus II. 1320. Stephanus — Ladislaus 1324. *Palatini:* Homodeus et Koposius 1308. Homodeus 1309. Kopoz 1313. Dominicus 1315. Deusa 1322. Philippus Drugeth 1322. Ioannes 1329, Willermus 1334. *Iudices curiae:* Lambertus 1312, Alexander 1325. Paullus 1328. *Vainodae Transsiluan.* Ladislaus 1308. Nicolaus 1315. Dausa 1321. Thomas 1322. *Bani Sclauoniae:* Henricus 1308. Stephanus 1313. Ioannes 1318. Nicolaus 1322. Mikch seu Michael 1325. *Machouiae:* Paullus 1323. Ioannes 1328. Nicolaus 1335.

§. IV.

LVDOVICVS I. REX XXVII.

Coepit A. C. 1342. *desiit A. C.* 1382.

A. C. 1342. *Lud.* 1. *Ind.* 10. *P.* 31. *M.*

LI.

Ludouicus, paternarum non minus virtutum, quam ditionum heres, annos 40. Hungariam moderatus

deratus, regnum hoc ad illam potentiam et gloriam euexit, vt numquam deinceps ad tantum amplitudinis et maiestatis apicem eluctari potuerit. Hungari, futurae huius felicitatis veluti praesagi, noui principis inaugurationem, licet nondum 17. aetatis annum expleuerit; accelerandam magno consensu decreuerunt; vtque tergiuersationem, in recipiendo Carolo commissam, sua promtitudine sarcirent; tumulato patre, mox filio sacram Hungariae coronam imposuerunt, sextoque post illius obitum die, seu 21. Iulii, noua hac inauguratione moerorem, ex optimi regis morte haustum, si non penitus absterserunt, magna parte leniuerunt ac temperarunt. Turotzius, vel potius Ioannes archidiaconus, omnium fere, quae Ludouicus gessit, spectator et conscius, quem Turotzius suum describendo fecit, hanc Ludouici coronationem ita describit: (a) *Quum idem rex Ludouicus — dom. inc. MCCCXLII. suae vero aetatis XVII. anno, die dominico proximo post festum diuisionis apostolorum, in vrbe Albaeregalis, — sollemniter et feliciter in regem coronatus exstitisset; — cogitare coepit et in animo discutere, quomodo et qualiter iura regni sui, per confines vicinos et principes occupata, — ad statum debitum, diuino fretus auxilio, reuocaret.* Auulsas has a sacra corona ditiones feliciter subinde Ludouicus vindicauit, vt suis locis videbimus. Quali vero corona fuerit redimitus; C. Paullus, iudex curiae, sic indicat: (b) „Ludouicus rex — die do- „minico prox. ante B. Iacobi ap. anno domini „MCCCXLII. — corona, beatissimo Stephano, pri- „mo regi Hungarorum, diuinitus data, sollemni- „ter et honorifice fuit coronatus. —" Quia Ludouicus

(a) Chron, P. III. cap. 1. (b) Ex MSS. Wagnerianis.

douicus nonnisi 17. aetatis annum 4. mensibus et 16. diebus inchoauerat, quum Hungariae solium conscendit; aliorum consiliis in tractandis tam vastarum prouinciarum negotiis indigebat. Et tenera haec aetas, et constans in matrem Elisabetham pietas effecit, vt sapientissimis eius consiliis non tantum adolescentior, sed etiam adultior, per spatium annorum 38. quibus illa superstes fuit, obtemperaret. Hinc etiam, quum Margaritae, Caroli Morauiae marchionis, filiae, quatuor abhinc annis desponsae, nuptias, quod nubiles annos nondum attigerit, in quartum annum differt; ita loquitur: (a) — *Matura deliberatione cum eadem domina genitrice nostra.* Haec ipsa consensum suum ita subiungit: „ Nos etiam Elisabeth, regina Hung. — D. „ Ludouicum regem, filium nostrum carissimum, — „ admonebimus, — vt dictum matrimonium inter „ ipsum et puellam praeclaram, filiam D. marchio„ nis, in ipsa quarta reuolutione festi B. Michae„ lis arch. — debeat et velit — consummare. — „ Datum in Visegrad, in festo inuentionis B. Ste„ phani protomart. A. D. MCCCXLII. " Ludouicus, primis regni curis vtcumque digestis, S. Ladislaum in vota sua vocaturus, Visegrado Varadinum profectus est. (b) Diplomati, quo suum hoc iter describit, ac donationem ecclesiae Varadinensi facit, magistratus subscripti non sunt, qui tamen in litteris, in fauorem Carthusianorum Lechniczensium an. dom. 1342. 14. kal. Ian. confectis, ita leguntur: (c) „ Chanadino, arch. Strigoniensi; Coloc. „ sede vacante; Ladislao Quinqueecclesi. et altero „ Ladislao Zagrab. Colomano Iaurin. Andrea Varad. „ et

(a) Ap. Lunig Germ. Dipl. P. I. col. 1041. (b) Ap. Pray Hier. P. II. p. 137. (c) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 178.

„ et altero Andrea Transsilu. Iacobo Chanad. Pe-
„ tro Sirmien. — Nicolao Agr. Mescone Vesprim. —
„ Laurentio Bosnen. Fr. Vito Nitr. Vaciensi sede
„ vacante; — Nicolao palatino; — Thoma M. ta-
„ uern. Nicolao Pecheith vaiuoda Trans. — Michae-
„ le bano totius Sclauon. Dominico bano de Ma-
„ chow; Stephano — bano de Zeurino; C. Paullo
„ iudice curiae — — “ (*a*)

A. C. 1343. *Lud.* 2. *Ind.* 11. *P.* 13. *A.*

LII. Ad vacantem metropolim Colocensem translato Ladislao Zagrabiensi, huic Iacobus, antea Tsanadiensis episcopus, successit, operamque Ludouicus dedit, vt vtriusque sedis damna repararentur. Ob constans istud, quod per omnem vitam retinuit, tuendarum rerum sacrarum studium, DEVS, qui numquam liberalitate hominum se superari sinit, illius ditiones aduersus hostes internos et externos semper tutatus, in plerisque bellicis expeditionibus felicem illum praestitit. Primi Saxones in Transsiluania, contemta noui regis adolescentia, regiis vectigalibus interceptis, obedientiam aperta seditione detrectarunt. Ludouicus, quantus bello futurus esset, ostensurus, ipse collectum exercitum in Transsiluaniam duxit, *et*, vt chronica patria perhibent, (*b*) *eis refrenatis ac ad obedientiam reductis, laudabiliter triumphando, remeauit.* Antequam tamen remeasset; rem aliam maximi momenti peregit; dum Alexandrum, seu Bazaradum, Valachorum principem, qui, Carolo turpiter eluso, regum Hung. fidelitati se subduxerat, post 12. annos ad fidem virtutum

(*a*) Hist. Cr. T. IX. P. 275.—289. (*b*) Chron. P. III. cap. 2.

virtutum suarum existimatione reuocauit. (*a*) Felix hoc Ludouici regnantis auspicium omnes Hungaros maxima spe repleuit, futurum, vt eius virtute regnum hoc non tantum aduersus hostes fortiter ac feliciter defendatur; sed magnis etiam incrementis ad summum gloriae fastigium euehatur. (*b*)

LIII. Hic iura gentis Hungaricae tuitus, alibi stirpis suae iura tuiturus, quum Robertum, Siciliae regem, cuius neptem, Ioannam, Andreae, Ludouici germano, desponsam fuisse, supra diximus, hoc anno 19. Ianuarii decessisse comperisset; Elisabetham matrem orauit, vt ad res illic componendas iter Italicum suscipere vellet. Haec, partim Andreae, filio suo, consultura; partim visendae Romae desiderio permota, testibus patriis annalibus, (*c*) *de Visegrad in festo beatissimae Trinitatis* (8. Iunii) *anno dom. MCCCXLIII. iter arripuit versus Italiam cum honesta familia; — habens secum pro expensa 27. millia marcarum puri argenti* (fl.648000) *et 17. millia marcarum purissimi auri* (si marcam auri per 380. fl. computemus; flor. 52360000.) *Dominus autem Ludouicus, rex Hung. filius eius, misit post eam 4000. marcarum auri electi* (flor. 1520000.) *Habuit etiam secum de florenis fere cum media garleta* (Hung. Köböl) *de denariis vero paruis vsque ad exitum regni multum. — Transito autem mari multum pacifice, peruenit in Apuliam, cui obuiauit rex Andreas, filius eius, cum consorte sua, D. Ioanna regina; et D. Elizabeth reginam cum magna sollemnitate et gloria receperunt; et ita Neapolim, cunctis gaudentibus, in vigilia S. Iacobi ap. peruenerunt.*

(*a*) Ibid. cap. 3. (*b*) Hist. Cr. T. IX. p. 302.—308. (*c*) Chron. P. III. cap. 4.

peruenerunt. Istinc Auenionem ad Clementem VI. anno superiore 7. Maii Benedicto XII. suffectum, *sollemnes nuncios, Nicolaum palatinum, Paullum comitem curiae regiae, Thomam Ruphum, Fr. Vitum, ep. Nitrien. — archiepiscopum Beneuentanum — destinauit:* „ vt dominus apostolicus sua benedictione „ D. Andream regem faceret corona regia decora„ ri." *Interea D. Elisabeth regina, volens conceptam deuotionem ad DEVM et ad sanctos effectui mancipare, ad visitanda BB. Petri et Paulli app. limina in festo exaltationis S. Crucis de Neapoli egressa, cum tota familia et archiepiscopo Neapolitano ac pluribus nobilibus de Apulia progreditur versus Romam. — Quum autem Romam intra paucos dies feliciter peruenisset; commota est vniuersa ciuitas in eius aduentu. — Magni et parui, mulieres et puellae currebant, vbi transibat regina, et alta voce clamabant:* „ Viuat regina Hungariae!" *Perueniens autem ante fores ecclesiae B. Petri ap. totum collegium Romanum recepit reginam processionaliter cum magna gloria et honore. Obtulit denique ad altare B. Petri ap. et ad reliquias sollemnia munera in calicibus et ornamentis insignibus et florenis iuxta magnificentiam reginalem. — His itaque gestis atque perfectis, valefaciens, infra octauas S. Francisci reuersa est Neapolim cum exsultatione et gaudio.* (*a*)

A. C. 1344. *Lud.* 3. *Ind.* 12. *P.* 4. *A.*

LIV. Elisabetha, postquam alterum itineris Italici scopum attigisset; alterum se difficilius assequuturam esse clarioribus in dies argumentis didicit. *Quum igitur haec regina*, pergunt chronica

patria

(*a*) Hist. Cr. T. IX. p. 309.—316.

patria, *in Neapoli resideret, et vidisset nurum suam, D. Ioannam superbam et ambitiosam; — nec regi Andreae, marito suo, exhibere honorem regium; commota sunt omnia viscera eius. — Quum itaque — nuncii longam moram contraherent in Auinione; — anno dom. MCCCXLIV. relinquens filium suum, regem Andream in Apulia sanum et incolumem, circa festum S. Mathiae ap. recessit de Neapoli. — — Rediit autem regina de Apulia in Hungariam, — et peruenit in domum suam in Visegrad in anniuersario sui recessus: et receperunt eam filii eius, scilicet D. Lodouicus, rex Hung. et D. dux Stephanus ac proceres regni cum magna exsultatione et gaudio.* Nondum Elisabetha Neapoli discessit; quum Clemens VI. in coronationem Andreae consensit, (*a*) *IV. non Febr. an. pont. II.* Caussa cunctationis erat, quia, si Caroli II. Siciliae regis, testamentum attendatur; Carolo nostro non regnum Siciliae, sed tantum *duo millia vnciarum auri, semel et in regno Siciliae soluendarum*, destinabantur. (*b*) Quare 44 millia marcarum, non propter consensum, quem ante reginae discessum pontifex dedit, sed ob aliam aliquam caussam, vel ad resarciendum hoc aurum, vel ob censum antea non solutum, exacta fuisse videntur. Nec pontifex meminit, inter conditiones concessae coronationis, vllius pecuniae persoluendae; sed obedientiae, legato sedis apost. praestandae. Ratus enim administrationem regni, quoad Ioanna maturesceret, ad se pertinere, card. Aymericum regni procuratorem constituit. Et illa quidem in arbitrio legati se futuram, publicis litteris

(*a*) Ap. Rayn. et Pray ad an. 1344. (*b*) Ap. Dumont T. I. p. 346.

litteris ſpopondit. At, poſtquam 28. Auguſti coronata fuiſſet, ac Andreae coronationem malis artibus impediuiſſet; precibus apud pontificem egit, vt ad tuendum reginae nomen auctoritatem ſibi maiorem, adminiſtratore reuocato, concederet. Pontifex igitur importunis reginae precibus ceſſit, eamque lege, qua publica rerum adminiſtratio pupillis prohibetur, abſoluit. Ioanna, propter adulteriorum conſuetudinem in transuerſum acta, ne maritus, pari dignitate ſecum ornatus, viuendi licentiae frenum imponeret, communicatis cum Carolo Dyrrhachino conſiliis, Andream, antequam coronari poſſet, e medio tollere conſtituit, et anno ſequenti tollet. (*a*)

A. C. 1345. *Lud.* 4. *Ind.* 13. *P.* 27. *M.*

LV. Laudatus Carolus, Ioannis Dyrrhachini filius, Mariam poſtumam, Ioannae ſororem, primum Ludouico, deinde Stephano, Ludouici fratri, deſtinatam, properatis nuptiis, vxorem duxit, neue rex Andreas inauguraretur, omnibus modis impediuit. Poſtquam tamen Clemens VI. in Andreae coronationem anno ſuperiore 2. Febr. conſenſiſſet; crebris hoc anno litteris Ioannam admonuit, ne porro ritum inaugurationis differret. Poſt multas diſceptationes Andreae quidem coronatio decreta fuit; praeuenta tamen indigniſſima caede, cuius tragicam hiſtoriam auctor ſynchronus ac Italus, Dominicus de Grauina, fuſe deſcribit, e qua huc pauca traducemus. *Videntes*, ita de coniuratis loquitur, (*b*) — *proximum eſſe ſibi tempus coronationis*

(*a*) Hiſt. Cr. T. IX. p. 327.—340. (*b*) Ap. Murat. T. XII. col. 559.

nis, cogitauerant illum perdere; priusquam sceptrum regale reciperet.— Et adeuntes proditores ipsi ad ducem eumdem, praedixerunt ei: „Domine rex, si „ dignetur vestra maiestas, sequenti die summo „ mane equitemus ad venationem." — *Dux autem miser, animo iuuenili acquiescens verbis fallacibus iniquorum, ad venationem eamdem se promisit iturum. Mane autem facto, — — apud Auersam venando euntes, apud Auersam ipso sero hospitati fuerunt, et coena parata, discubuerunt.— Iam appropinquante somno oculorum palpebris, paratis insidiis suae necis, omnes de hospitio regio recesserunt. — Idem dux miser cum vxore sua aulam ingredientes, toro parato, recubuerunt. Proditores autem nequissimi, — in constituta prima noctis hora surgentes, — accedentes ad salam, — et vocantes eumdem dominum; subito dominus idem excitatus — a lecto surrexit, et — exiuit inermis. — Subito proditores iniqui manus iniecerunt in eum, vt eum morte necarent.— Dux autem ipse, quia iuuenis fortis erat, — viriliter manibus se defendens, atque horribilibus vocibus; euasit manus illorum, excussis crinibus aureis. — Sed diuertens ad portam salae, vociferans, auxilium fidelium requirendo, portas omnes clausas inuenit. — Iniquissimus Bertrandus, filius Caroli Artus, — eumdem ducem potenter accepit, et cum eo luctans, tenuit ipsum; et conuocatis aliis, ipsum ducem — crinibus aureis lacerantes et diris calcibus opprimentes, funem sibi immittentes in gutture, more furum suspenderunt eumdem, tenentes sic eum, vsquequo necauerunt; et deinde ipsum in iardeno* (horto) *inferiori a summo vsque deorsum praecipitauerunt.—* De Ioanna vero haec subiicit: *Velut delicti conscia, facta confusa, vsque mane surgere non curauit. — Vultum, carentem lacrimis, ne-*

scitbat erigere, quin posset respicere quempiam. Tanta erat confusio sui delicti; et derelicto viro defuncto, ad aliud hospitium statim iuit. Truculentam hanc Andreae caedem, qua lecta vel audita, nemo tam ferrei pectoris est, qui non commoueatur, auctor hic ad 20. Augusti 1345. figit; sed melius alter synchronus anonymus eamdem ad 18. Septembris deponit. (*a*) Supplicium de quibusdam parricidis Bertrandus de Bauclo, montis Caueosi comes, cuius fidei filium Andream Elisabetha discessura commisit, grauissimum sumsit. Huic accessit etiam Carolus Dyrrhachinus, qui Ioannae propter negatum Calabriae ducatum, vxorio nomine sibi debitum, infensus, Ludouicum per celeres nuncios ad caedem fratris vindicandam inuitauit. (*b*)

LVI. In Hungariam perlato tristissimae necis nuncio, factus quidem est, vt Turotzianus archidiaconus testatur, (*c*) *luctus et planctus magnus* in toto regno; sed cumprimis *rex Lodouicus, vltra modum dicendi, vehementi dolore cordis sauciatus, condolens et anxius, coepit cogitare et tractare de vindicta.* Vehementem hunc dolorem et tenerrimum in caesum fratrem amorem, dum merita Stephani vaiuodae recenset, exquisitis hisce verbis explicat: (*d*) „ Ser. D. princeps Andreas, inclitus rex „ Ierusalem et Siciliae, — germanus frater noster „ dulcissimus, adolescens innocens, agnus immaculatus, DEO et S. ecclesiae deuotus, hominibus „ gratiosus et placidus ac multis virtutibus refulgens, per acerbae mortis excidium, per occultos „ prodi-

(*a*) Ap. Schwandt. T. III. p. 680. (*b*) Hist. Cr. T. IX. p. 390.—410. (*c*) Chron. P. III. cap. 9. (*d*) Ex MSS. Wagnerianis.

„ proditores, ausu nefario et detestabili, DEI et „ hominum timore postposito, in ipso regno Siciliae, in ciuitate Auersa, quae potius fuisset sub„ uersa, exstitit immolatus. — “ Ne statim Ludouicus in vindictam tanti sceleris rueret, obicem posuerunt bella, quae hoc eodem tempore varia gessit. Nam et cum Bohemis ac socero suo Carolo contra Lithuanos expeditionem suscepit, quam tamen glacies, opinione citius resoluta, corrupit; (a) et Casimiro contra Bohemos auxilia cum Nicolao Szetsiq misit ac obsidione Cracouiam liberauit; (b) et perfidia Vladislauae, Neliptii rebellis viduae, vehementer irritatus, ad illius aliorumque Croatarum pertinaciam edomandam, Stephanum, Bosniae banum, exciuit, exercitumque 20. millium ad illas prouincias iuri Hungarico vindicandas infudit: (c) et eumdem Stephanum, futurum suum socerum, ac Nicolaum, totius Sclauoniae banum, ad Iadertinos, a Venetis obsessos, obsidione liberandos properare iussit: (d) quibus auro Veneto corruptis, soli Iadrenses vim belli sustinere debuerunt, nec a Ludouico prius iugo Venetorum liberari potuerunt, quam is de caeso fratre vindictam sumsisset. (e)

A. C. 1346. *Lud.* 5. *Ind.* 14. *P.* 16. *A.*

LVII. Vt Ludouicus et viciniores Dalmatiae ciuitates a Venetis recuperaret, et indignam fratris necem in Neapolitano regno facilius vindicaret; cum vicinis Austriacis pacem sub exitum anni superioris instaurauit. Eiusdem anni postremo die nouis

(a) Chron. P. III. cap. IV. (b) Ibid. cap. V. (c) Ibid. cap. VII. (d) An. ap. Schwandt. T. III. p. 669.—685. (e) Hist. Cr. T. IX. p. 359.—388.

uis litteris Iadrenses obsessos erexit, ac rursum hoc anno 3. Martii seipsum in auxilium illorum cum exercitu venturum promisit: (a) Veneti, de promissis Hungariae regis certiores redditi, castrum illud, quod Itali *bastidam*, Dalmatae *sticatum* appellabant, ad orientem Iadrae constructum, altioribus propugnaculis communiuerunt. Atque haec erat illa munitio fatalis, ad quam omnis Ludouici conatus adhaesit. Anonymus tamen, Iadrensis obsidionis descriptor, praecipuam irritorum conatuum caussam refundit in Stephanum, Bosniae banum, quem Veneti iam alias experti, facile corrumpi posse, rursus ad easdem artes conuersi, tam illum, quam alios quosdam proceres, quibus iuuenis rex plurimum deferebat, clamdestinis colloquiis ac muneribus sibi conciliarunt. Ab his, auro Veneto iam corruptis, rex circumuentus, ac ad reditum accelerandum persuasus, Iadrenses, quorum caussam tam generose susceperat, sibi reliquit, ac exercitum, quem 25. Iunii Iadrae propius admouerat, indidem inglorius 3. Iulii reduxit. Ceterum ideo potissimum Venetos diutius nunc premendos non censuit, quod, quum ad vindicandam Andreae caedem bellum Neapolitanum meditaretur; militiae florem hic consumere noluerit, expertus per aliquot dies, vt Turotzianus archidiaconus scribit, (b) *hostes, intra munitionem inclusos, per ictus balistarum* magnam stragem in suis edidisse. — *Et hoc videns rex, non sine magno damno personarum et rerum, cum suo exercitu ad propria reuersus est.* Subinde vero de crudelitate Venetorum, quam in Iadrenses expromserunt,

(a) Ap. Farlat. T. IV. p. 97. Ap. Schwandt. T. III. p. 697. 698. (b) Chron. P. cap. 8.

ferunt, edoctus, *se vindicaturum firmissime proposuit; dum tempus se adhuc offerret.* (*a*)

LVIII. Antequam Ludouicus expeditionem Italicam, in quam omnes cogitationes conuerterat, aggrederetur; oratoribus ad Clementem VI. missis, de caede fratris Andreae questus, petiit, vt alteri fratri, Stephano, regnum Siciliae conferret. Quia vero pontifex in re tam graui caute procedebat, non illico precibus eius detulit; dilutisque quibusdam eius suspicionibus, cur illius votis subscribere nequiret, caussam ita reddidit. (*b*) „ — Licet „ desideremus tibi et dicto germano tuo, quantum „ cum DEO et rationabiliter possemus, istis prae„ sertim temporibus, quibus vobis, sic dire affli„ ctis, compatimur, complacere; attamen scire „ potes et debes, fili dilectissime, quod hoc fa„ cere sine DEI offensa et laesione iustitiae prae„ sentialiter non valemus. Quum enim dicta Ioan„ na, regina Siciliae, ad quam dictum regnum he„ reditario et successionis iure peruenit, —— non„ dum de dicto scelere conuicta sit aut confessa; „ nec iudicialiter dicto regno priuata; — et ob hoc „ nondum sit certum, praedictum regnum ad nos „ et Rom. ecclesiam — deuolutum; videat et pru„ denter attendat, quaesumus, regia celsitudo, „ quomodo id, quod ipsa regina, tamquam domi„ na, possidet, et quod adhuc nostrum esse non „ apparet, — possimus tibi concedere. — In hoc „ autem fiduciam te volumus habere, quod si di„ ctam reginam de nece praedicta culpabilem repe„ riri, et ob hoc regnum ipsum ad nos deuolui

(*a*) Hist. Cr. T. IX. p. 451.—471. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1346.

„ contingat; — si vias aliquas aperias, iustitia et „ ratione suffultas; eas — fauorabiliter admittemus. „ — — Dat. Auinione, II. id Mart. pont. an. IV." In eamdem sententiam Elisabethae reginae scripsit; — „ Quia sicut alias, *inquit*, scripsisse magnitudini „ tuae meminimus, iuris non patitur aequitas, nec „ ratio persuadet, quod exsequutio cognitionem „ praecedat; mirari non debet tua circumspectio; „ — si Ioanna, donec conuicta et condemnata de „ iure fuerit, nominetur regina. — — Et quam„ quam modus, quem dicta Ioanna mortis tem„ pore et post mortem dicti Andreae regis, viri „ sui, scribitur obseruasse, commendandus procul „ dubio non exsistat; scire tamen debet tua excel„ lentia, quod ecclesia Rom. praedicta, quae veri„ tatem quaerit et iustitiam in omnibus factis suis, „ non consueuit, sicut nec debet, praesertim in „ tanto casu, ex praesumtionibus iudicare. — Dat. „ Auinione, XIV. kal. Aug. an. V." Ioanna quoque se purgare conabatur apud Ludouicum, qui hoc illi responsum, si Scipioni Muzzellae credimus, reddidit: (*a*) „ Impudica vita, quam iam pridem „ duxisti; occupatum regnum, neglecta vindicta, „ vir alter susceptus et excusatio subsequens necis „ viri tui, probant noxiam te prorsus fuisse: pro„ inde DEVM immortalem scelerum vindicem su„ peresse memineris. Vale." Ludouico suum etiam auxilium Edwardus, Angliae rex, ad vindicandam Andreae caedem obtulit; hoc potissimum vsus argumento, quod, si hoc scelus impunitum maneret; aliorum quoque regum vita huiusmodi periculis exponeretur. (*b*)

A. C.

(*a*) Ap. Pandulph. et Pray P. II. p. 74. (*b*) Hist. Cr. T. IX. p. 473—484.

A. C. 1347. *Lud.* 6. *Ind.* 15. *P.* 1. *A.*

LIX. Ludouicus igitur, ardens vindictae studio, bellum quidem Italicum hoc anno iam inchoauit; ipse tamen ad initium vsque sequentis in Hungaria mansit. Nam et litteras, quibus 150. marcas a tribus Hungariae superioris ciuitatibus pendendas, ita partitus est, vt Eperiesienses 54. Sarosienses 53. Cibinienses 43. argenti marcas pendere debeant, (*a*) dedit *Budae in festo B. Nicolai conf. anno dom. MCCCXLVII.* et mandatum, capitulo Posoniensi de constituendo teste fide digno datum, signauit *in Visegrad quinto die festi epiphaniarum domini, anno eiusdem MCCCXLVIII.* Nihil non egit pontifex, vt ab Italia bellum hoc auerteret. In hunc finem card. Bertrandum Neapolim misit, vt, si Ioanna vel regno cederet, vel mortem obiret; Carolum Martellum, Andreae regis postumum, regni heredem declararet, ac in eius verba Neapolitanos iurare cogeret: tum obuiam Ludouico profectus, ageret, vt iratum ad mitiora consilia flecteret. Sed iam rex, vt Turotzius ex archidiacono perhibet, (*b*) *Nicolaum, filium Laurentii Thot, qui postea Konth fuit cognominatus, ad tractandum cum magnatibus, comitibus et baronibus illarum partium illuc destinauit: qui in Aquilam, ciuitatem famosam* (ad montem Apenninum in Abbrutio) *superueniens, cum Lallo, viro prudente, et de morte ipsius regis Andreae multum anxio, capitaneo ipsius ciuitatis, habito tractatu, dominium illius obtinuit; et protracta mora ibidem quam plurimos vna cum ipso Lallo ad regis Hungariae obedientiam confortauit et perduxit.*

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 213. (*b*) Chron. P. III. cap. 9.

duxit. Poſtquam exemplo ciuitatis Aquilae plures ad Hungaros defeciſſent; Ioanna regina, ne malum latius ſerperet, Carolum Dyrrhachinum, Mariae, ſororis ſuae, maritum, qui primus Andreae caedem Ludouico nunciauerat, et acerbiſſimam in parricidas quaeſtionem exercuerat, in ſuas partes pelliciendum cenſuit, quod illius auctoritas magnum in omnem partem momentum allatura videretur. In hunc igitur finem Calabriae ducatum, quem ille dudum vxorio nomine petebat, hucusque negatum, illi promiſit. Hoc promiſſo delinitus, exercitum congregauit, et ciuitatem Aquilam contra Lallum oppugnandam ſuſcepit. Quae res ſubinde cauſſam illius plurimum afflixit. (*a*)

A. C. 1348. *Lud.* 7. *Ind.* 1. *P.* 20. *A.*

LX. Etſi dies et menſis abitus Ludouici regis ex Hungaria nobis incertus ſit; non tamen ſuperiore, ſed hoc anno, ſi diplomatibus, quae laudaui, credimus, iter Italicum iniuit. Si vero ſcriptorum Italicorum auctoritatem ſequi malimus, vt ex iis Praius narrat, (*b*) per Vtinum, Paduam profectus, anno ſuperiore *Veronam IV. non. Dec. tenuit. Inde, praeterita Ferraria, Mutinam ingreſſus, — per Bononiam et Ariminum profectus, XX. Decembris in Fulginatem agrum copias traduxit.* Lucius ſcribit illum veniſſe (*c*) *Aquilam die* 22. *Decembris an.* 1247. — *Auerſam* 17. *Ian.* 1348. *Quumque Ioanna mari; Ludouicus autem Tarentinus terra aufugiſſet; ceteri proceres et conſanguinei certatim Ludouicum conueniebant, eidemque homagium faciebant: qui*

(*a*) Hiſt. Cr. T. IX. p. 485.—515. (*b*) Annal. P. II. p. 75.
(*c*) Libr. IV. cap. XVI. p. 367.

qui omnes ea conditione recepit: „ nisi conscii fraternae caedis essent:" *consanguineosque ad osculum et mensam admisit.* Ad mensam, vt Grauina perhibet, (*a*) *composito repente ad seueritatem vultu, Carolum securiter intuitus, in haec verba alloquitur:* „ Iniquissime dux Duratii, scias, te in manibus „ nostris esse. — Dic ergo nobis, dux, quare tra„ ctatu tuo — ducis Andreae, nostri germani, co„ ronatio fuit dilata? Vnde sequutum est, quod „ regia sibi potestate sublata, fuit crudeliter inter„ emtus nece tam vili. — Ecce, quas sigillo tuo „ litteras tu subscripsisti, licet clam scripseris, in „ publico te accusant. Item, bene nosti, quod „ ex testamento — regis Roberti, Maria, sua ne„ pos, quam fraudulenter tibi coniugem sociasti, „ nostra consors fuerit constituta. —— Quia nobis „ scripseras sub falsa fide tua, nos venire debere „ in regnum; — quomodo proditorie praesumsisti „ ciuitatem nostram Aquilae — contra D. Lallum „ aliosque fideles nostros, de mandato Ioannae, „ reginae tuae, exercitum congregare! —" Sic accusatum Carolum, vt chronica Turotziana referunt, (*b*) *tamquam culpabilem, in Auersa ciuitate, in domo dicti regis Andreae, in qua tunc habitabat, et fuerat iugulatus et occisus, decollari fecit. Et dictos alios regulos* (duos Caroli fratres, Ludouicum et Robertum, Philippum Tarentinum et Ludouici Tarentini fratris filium) *in comitatu Caroli pueri, filii praedicti regis Andreae, in Hungariam per certos barones et milites destinauit: — qui deputati fuerunt in castro Visegradiensi custodiendi, et cum magna diligentia et honore, bene et laute,*

(*a*) Ap. Murat. T. XII. col. 581. (*b*) Chron. P. III. cap. 11. 12.

laute, fuerunt conſeruati. — *Demum idem D. rex Lodouicus, volens redire in Hungariam cum gente copioſa, ibi magnificum et ſtrenuum virum, Stephanum, filium Latzk, vaiuodam Tranſſiluanum, capitaneum regni; et Wolfardum de Wolfart, Teutonicum, capitaneum in ciuitate Neapolitana, in perſona ſuae maieſtatis praefecit, et ad Hungariam remeauit.* Lucius aït, (*a*) *propter luem, per Italiam graſſantem*, — *circa finem Maii*, trireми conſcenſa, per Adriaticum in Sclauoniam illum perueniſſe. Iam prius Clementem VI. interpellauit, vt praepoſituram Scepuſienſem in epiſcopatum eueheret; ſed hoc conſilium ad annum vsque 1776. adhaeſit. (*b*)

A. C. 1349. *Lud.* 8. *Ind.* 2. *P.* 12. *A.*

LXI. Ludouicus, in Hungariam ex Italia reuerſus, duobus legatis ad pontificem miſſis, eorum, quae hac expeditione geſſerat, rationem reddidit, vtque ſibi regnum Siciliae confirmaretur, petiit. Pontifex, vt tam grauia negotia facilius tranſigerentur, Guidonem card. in Hungariam miſit, (*c*) *IX. kal. Febr. pont. an. VII.* Sequenti menſe Ludouicum per litteras interpellauit, vt captiuos regiae ſtirpis liberos dimitteret, e quibus Roberto titulum imperatoris Conſtantinopolitani, quum rem ipſam Ioannes Paleologus haberet, adſcribit, *idibus Febr. pont. an. VII.* Eadem die ſcripſit ad reginam Margaritham, quae hic Ioanna dicitur, vt Ludouicum, virum ſuum, ad id permoueret. Sed hanc hoc anno deceſſiſſe, Beneſii chronicon ita teſtatur: (*d*)

Anno

(*a*) Lib. IV. C. XVI, p. 367. (*b*) Hiſt. Cr.T. IX. p.515. —544. (*c*) Koller H. E. Q. T. III. p. 48. (*d*) Ap. Dobn. Mon. T. IV. p. 84.

Anno MCCCXLIX. — regina Hungariae, filia Karoli imp. moritur. Scripsit etiam pontifex *Stephano, nato clarae mem. Caroli, R. H. duci Transsiluaniae;* comiti Ciliae; bano Sclauoniae; vaiuodae Transsilu. palatino Hung. archiepiscopo Strigon. episcopo Quinqueecclesi. electo Vesprim. Tantam industriam Clemens adhibuit, vt regii captiui libertati restituerentur! Deinde vero, quid ad singula capita querelarum et precum Ludouici respondendum esset, Guidonem card. edocuit. " Praefato regi, *scribit*, (*a*) " siue velo sumendae vltionis, — siue pro iu„ re, si quod idem rex in eodem regno compe„ tere sibi praetenderet, conseruando, intrare ho„ stiliter non licuerat dictum regnum; quum ad „ nos et eamdem ecclesiam, sicut ad superiorem „ praedicti regni dominum, — huiusmodi vltio „ pertineret. — — De occisione praefati ducis Du„ ratii turbati merito fueramus; — quum ipse, „ priuata persona, eumdem ducem, in quem iuris„ dictionem — non habebat, — non auditum, nec „ confessum, nec alias conuictum, — fecisset oc„ cidi. — Dat. Auinione, X. kal. Aprilis pont. an„ no VII. " Quum magnam haec Caroli Dyrrhachini caedes inuidiam Ludouico conflasset; post eius abitum, vt Turotzius refert, (*b*) *quidam Neapolitani et ibidem milites Capuani, seditionem concitantes, Wolfardum expulerunt, praedictum capitaneum; et superbia inflati, ad expellendum ipsum Stephanum vaiuodam insurgentes, inter Auersam et Neapolim habito congressu, fortissimum praelium est commissum, in quo, volente DEO ipso, Stephanus vaiuoda cum exercitu D. regis victoriam obtinendo,* multos

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1349. (*b*) Chron. P. III. cap. 13. —16.

multos comites, barones, milites, nobiles et ciues de Neapoli, aliis interfectis, captiuauit. — Iterum, aliquibus diebus transactis, idem Stephanus vaiuoda ducem Vernerium, capitaneum exercitus Lodouici (Tarentini) *cum* 500. *armatis — captiuauit.* Ipse Ludouicus Tarentinus, coactis ingentibus copiis, Stephanum ad Neapolim aggressus, *quamuis longe plures — gentes in suo exercitu haberet; — tamen idem Stephanus vaiuoda, — victoriam obtinuit optatam. — Medio autem tempore ipsa Ioanna regina et Lodouico de Tarento, eius marito, in Neapolim redeuntibus, et regnum sibi subiugare nitentibus, ipse Stephanus vaiuoda dictum regem Hung. ad defendendum ipsum regnum suum contra ipsos euocauit.* (*a*)

A. C. 1350. *Lud.* 9. *Ind* 3. *P.* 28. *M.*

LXII. Ludouicus, quum celeribus auxiliis opus esse videret; inducias cum Venetis in octennium pactus, *sine aliqua retardatione*, pergit Turotzius, (*b*) *nec exspectata exercitus congregatione, cum quibusdam suis baronibus et militibus — in Apuliam transfretauit, et ad portum Manfredoniae applicuit. Ipsam ciuitatem pacifice de consensu communitatis ingressus, Theanum et Barletum subiugauit; nec non ciuitatem Barii, vbi S. Nicolaus pontifex requiescit, obsidendo obtinuit et intrauit. — Interim autem gentes suae de Hungaria per nauigia ad ipsum confluebant, et exercitus eius nimium multiplicabatur. — — Postmodum rex — castrum Canosii obsedit, et expugnando obtinuit. — Sed ibidem, quum ipse armatus per scalam ascendere festinaret; ictibus*

(*a*) Hist. Cr. T. IX. p. 549.—599. (*b*) Chron. P. III. cap. 17—24.

ctibus lapidum grauiter percussus, in fossatum est prolapsus. — Postquam deinde Luceriam et Salernum occupasset, ac Auersam oppugnare coepisset; *sagitta balistae in pede fuit letaliter vulneratus, et vix — mortem euasit. Durauit autem obsidio bene per 3. menses. — Qua obsidione durante, victualia in ciuitate defecerunt. — Propter quod soldati, vlterius durare non valentes, ciuitatem vna cum castro fortissimo — restituunt. — Tandem — rex bene conualescens, — propter annum iubilaeum, zelo deuotionis accensus, versus Romam — est profectus. Cui tribunus cum Romanis potioribus per IV. milliaria Gallicana, — obuiam venientes, ad vrbem Romanam, cuius plateae pannis pulchre stratae et decoratae fuerant, introduxerunt. — Rex autem quotidie in basilica S. Petri — missam audiebat; — pluribusque diebus cum deuotione sic deductis, rex, auctoritate D. papae absolutus, super altare S. Petri 4000 florenorum auri offerri fecit ac praesentari. Exinde cum suo exercitu per partes Italiae reuertebatur.* — Primum in Italiam itinere terrestri profectus, per Adriaticum mare rediuerat. Nunc eodem mari profectus, per continentem in Hungariam reuertit. Familiae de Kolta diploma dedit *in vrbe Romana, die dominico proximo ante festum B. Michaelis arch. anno dom. MCCCL.* Ioannem vero Németh remuneratus est *Budae, in festo OO. SS. anno domini MCCCL.* Mensis igitur vnius spatio Roma Budam peruenit, vbi primus regum stabilem hoc tempore sedem defigere coepit. (*a*)

A. C. 1351. *Lud.* 10. *Ind.* 4. *P.* 17. *A.*

LXIII. Etsi Hungari semper e praeliis in Italia superiores excesserint; quia tamen eorum vires ipsis victoriis

(*a*) Hist. Cr. T. IX. p. 599.—632.

victoriis ſenſim accidebantur; nec in Italia ſine claſſe Dalmatiaeque poſſeſſione bellum continuari poſſe videbatur; Ludouicus, antequam inde reuertiſſet, totum controuerſiae huius arbitrium pontifici permiſit, induciis in Aprilem huius anni ſancitis in has leges: (a) „ Vt ſummus pontifex de „ Ioanna cognoſceret: ſi caedis mariti conſciam re„ periret; regno priuaret, idque Ludouico adiu„ dicaret: ſi inſontem; eidem relinqueret; regi„ naque 300. millia aureorum pro expenſis Ludo„ uico ſolueret; conſanguineique e carcere rela„ xarentur." Quum tempore harum induciarum Clemens VI. actionem in Ioannam inſtituiſſet, et maiorem eidem inuidiam, extracta lite, conflandam eſſe comperiſſet; inſontem illam pronunciauit. Ludouicus, licet dolore fraternae caedis adhuc ſaucius, huic pontificis ſententiae non tantum acquieuit; ſed etiam ſuos ad Clementem oratores cum plena poteſtate pacis conficiendae miſit, (b) *Dat. Budae, XI. die menſis Octobris, anno dom. MCCCLI.* Ludouicum regiam ſuam ante hunc annum Budam transtuliſſe, diplomata, quinquennio prius Budae plerumque confecta, docent. Quo minus tolerari poteſt ſententia Timonis, hanc regiae mutationem ad annum 1355. differentis. Certe iam hoc anno Budae ſua diplomata dedit ciuibus Eperieſinenſibus, *feria II. prox. poſt dom. palmarum:* pro ſanctimonialibus Varadienſibus, *ſabbato prox. poſt octauas aſcenſionis; ad Iaſzouienſem conuentum, ſabbato prox. ante feſtum aſſumtionis virginis glorioſae;* ad Nicolaum palatinum, *eadem die;* pro Thatamerii donatione, *in feſto B. Michaelis arch.* pro ſuis

(a) Ap. Rayn. et Luc. p. m. 367. (b) Ap. Rayn. et Pray Ann. P. II. p. 89.

ſuis ad Clementem oratoribus, vt vidimus, *XI. die menſis Octobris.* Indidem etiam *Stephanus, dux Tranſſiluanus* in fauorem Coronenſis decani dedit *in die S. Lucae euang.* Menſe Iulio nullum diploma vel Budae, vel extra Budam datum occurrit, quod fortaſſe tunc bellum Ludouicus cum Lithuanis geſſerit, cuius Ioannes archidiaconus ita meminit: (*a*) *Contra Lithuanos, Chriſtianis et maxime* regno ſuo Ruſciae *inſultantes perſonaliter cum exercitu copioſo et militia ſua propria, nec non aliis nationibus, ad eum confluentibus, proficiſcens, terris ipſorum, ſeu tenutis, in magna parte deuaſtatis, duce eorum capto, ſed in continenti, ſibi promiſſionem de fidelitate et obedientia faciente, liberato, feliciter ad Hungariam eſt reuerſus.* Ruſſiam ſynchronus hic ſcriptor Hungarici; Dlugoſſus, fere ſesqui ſeculo hinc remotus, Polonici iuris eſſe dicit; vtri plus credendum ſit, ſana critice docet. (*b*)

LXIV. Ludouicus, precibus Hungarorum, bello Neapolitano de ſe tam bene meritorum, permotus, ſingulares illas Hungaricae gentis praerogatiuas, quas Andreas II. anno 1222. conceſſerat, nouo diplomate confirmauit, votaque ſuorum non tantum expleturus, ſed etiam ſuperaturus, proceribus in conſilium aduocatis, Andreae decreto 25. nouos articulos adiecit, hoc ordine: *Artic. I.* Eccleſiaſtici viri, pendente lite, contra nobiles per cenſuras eccleſiaſticas procedere non poſſint. *II.* Archidiaconi pro funere interfecti nihil exigant. *III.* Conuentus minuti ab emanatione litterarum, factum poſſeſſio-

(*a*) Chron. P. III. cap. 29. (*b*) Hiſt. Cr. T. X. p. 1—24.

possessionum tangentium, cessent. *IV.* De lucro camerae instituto. *V.* De exemtis a solutione lucri camerae. *VI.* De nonarum solutione et exactione. *VII.* De litterarum redemtione, super possessionibus donatis, in cancellaria. *VIII.* De tributis iniustis, super siccis terris non exigendis. *IX.* De conuictis in iudicio per iudicem captiuandis et infra triduum causa pacis conseruandis. *X.* Filii, fratres, proximi, sorores et vxores condemnatorum pro horum excessibus non debent aggrauari. *XI.* Nobiles regni vna et eadem libertate gaudeant. *XII.* Nobiles inter fluuios Drauae, Sauae ac de Posega et de Valko a solutione marturinarum exemti habeantur. *XIII.* Nobilium possessiones, in quibus minerae reperiuntur, rex absque aequiualentibus possessionibus non auferat. *XIV.* Regium nomen super factis possessionum donatarum litigionariae quaestioni non immisceatur. *XV.* Nobiles ad loca tributorum ire non compellantur. *XVI.* Coloni violenter non abducantur. *XVII.* Nobiles tempore nuptiarum ad solutionem vnius marcae in locis tributorum non cogantur. *XVIII.* Coloni pro pristinis excessibus non possint arestari; si migrare velint. *XIX.* Filius pro excessibus patris non puniatur. *XX.* Ecclesiastici viri cum tribus litteris inquisitoriis possessiones acquirere non possint. *XXI.* De testimoniis capitulorum et conuentuum et de salariis eorumdem. *XXII.* Regius homo fieri non possit; nisi de eodem comitatu, in quo fit exsequutio. *XXIII.* Inquisitiones non possint aliter fieri, nisi nobilibus simul congregatis. *XXIV.* Pro iudicio pacis tres marcae exigantur, et non plus. *XXV.* Vniuersae caussae in facto possessionum absque dilatione in tertio termino terminentur. — *A. D. MCCCLI. III. id. Dec. regni X.* Subscripti sunt:

Nicolaus

Nicolaus *Strigon.* Fr. Dionysius archiel. *Coloc.* Nicolaus *Agr.* Demetrius *Varad.* Andreas *Trans.* Colomanus *Iaur.* Nicolaus *Quinqueeccles.* Michael *Vac.* Ioannes *Vesprim.* Thomas *Chanad.* FF. Thomas *Serem.* Pelegrinus *Bosn.* Stephanus *Nitr.* Nicolaus *palatinus.* Nicolaus, F. Laurentii, *vaiuoda Transf.* C. Thomas *iud. curiae*; Stephanus *banus totius Sclau. et Croat.* Dominicus *banus de Machow*; Nicolaus *banus a Zewrino.* — (*a*)

A. C. 1352. *Lud.* 11. *Ind.* 5. *P.* 8. *A.*

LXV. Quum Andreas II. art. VII. decreuerit, ne *seruientes extra regnum* regem ad bellum sequi teneantur, *nisi pro pecunia ipsius*; nunc autem et extra regnum iuerint, et regi pecuniam ad bellum obtulerint; ne liberale hoc eorum factum in exemplum traheretur; confirmationem decreti huius et articuli petierunt ac obtinuerunt. Impetrarunt etiam abrogationem articuli IV. ne quis, herede masculo destitutus, ecclesiis bona sua legare possit, vt inter fratres et cognatos proximos ea diuidantur. Nihil tamen propterea Ludouicus a solita pias in caussas liberalitate remisit, qui condito hoc anno pro Paullinis Noztrensi claustro tanta munificentia prouidit, vt ab ordinis praeside rogari debuerit, vt liberalitati modum poneret. (*b*) Interea controuersia Neapolitana finem accepit, et Ludouicus, ne Ioannae bellum auri cupiditate potius, quam studio vindicandae fraternae necis intulisse videretur, pacta 300. millia numum aureorum remisit. Hac insperatae beneficentiae magnitudine, quae multorum subinde calamis celebrabatur, attonitus Clemens

(*a*) Ibid. p. 44.—53. (*b*) Annal. ord. Turotz. P. III. c. 43.

VI. conciliatum praeter omnium opinionem foedus Ioannae Ludouicoque Tarentino gratulabatur, *kalendis Febr. anno X.* Quare Ioannes archidiac. non Innocentium VI. qui nonnisi 18. Decembris electus est; sed Clementem VI. qui prouixit ad VI. Decembris huius anni, nominare debebat, quum pacem compositam ita describit: (a) *Quum autem fere tribus annis Andreas vaiuoda, capitaneus regni generalis, Nicolaus Drugeth — cum aliis militibus — in partibus illis remansissent, ac gentes Lodouici* (Tarentini) *saepius debellassent; — D. papa Innocentius* (Clemens) — *per nuncios sollemnes viros pro liberatione dictorum regulorum — salutaribus monitis institit apud regem, vt gentem suam de regno illo reuocaret. Ad cuius instantiam, tamquam deuotus et obediens filius, ipsum regnum, nec non castra, ciuitates, munitiones et terras, quas tenebat, per suos ambasiatores — ad manus papae assignauit; iure tamen suo in regno, sibi competenti, saluo reseruato. Regulos etiam praedictos, quos in castro Vise radiensi tenebat, liberauit, et vsque Venetias cum securo conductu honorifice destinauit, ad propria remeantes.* (b)

A. C. 1353. *Lud.* 12. *Ind.* 6. *P.* 24. *M.*

LXVI. Opportunus erat Andreae vaiuodae reditus in Transsiluaniam, cui Tartarorum gens imminebat. Vt eorum rabiem procul a regno Ludouicus amoliretur; Andream extra regni limites hosti cum 40. millibus equitum occurrere iussit. *Qui terram*, inquit Turotzius, (c) *in qua habitabant, potenter subintrantes, cum principe eorum, nomine Athlamos ad resistendum eisdem cum magno exercitu in campo obuiantes, debellauit, et ipsum principem eorum*

(a) Chron. P. III. cap. 25. (b) Hist. Cr. T. X. p. 53.—63.
(c) Chron. P. III. cap. 6.

eorum decapitauit, et multa banderia et captiuos regiae maiestati in Visegrad transmisit. Expeditionem hanc Dlugossus ad hunc annum ita narrat: (*a*) *Tartari, magna glomerati multitudine, — terram Podoliae, regno Poloniae subiectam, varia caede et spoliis vastarunt.* Poterat iam hanc terram Poloniae subiectam dicere; postquam Ludouicus Casimiro hac conditione Russiam cessit: (*b*) „ Si rex Poloniae „ prolem masculinam susceperit; tunc filius regis, „ acceptis 100. millibus flor. Hung. regi cedere „ Russia tenebitur: sin vero Casimirus absque ma„ sculina prole decesserit; regnum Russiae, ita quem„ admodum et Poloniae, deuoluetur, secundum „ priora pacta, ad regem Hung. Dat. Budae, in„ fra octauas festi paschae, A. D. MCCCLII." Quum anno superiore Ludouicus amicitiam cum Casimiro hac ratione confirmasset; hoc anno cum Carolo IV. primo socero suo, Viennae, tum Pragae, mense Martio conuenit, factisque quibusdam commutationibus, suis in Swidnicensem et Iaurensem ducatum iuribus, quae fortasse titulo dotis habebat, renunciauit. Viduus iam in quintum annum, secundis nuptiis Elisabetham, Stephani, Bosniae bani, filiam, sibi copulauit. Id factum du Fresne refert (*c*) ad an. 1357. melius tamen Dlugossus ad hunc an. 1353. quum Innocentius VI. in suis litteris, ad sorores S. Clarae de Veteri Buda *pridie kal. Sept. anno pont.* 1. datis, (*d*) ita scribat: „Sicut ex parte „ — Ludouici regis, et — Elisabethae matris et „ Elisabethae, *consortis regis eiusdem*, reginarum „ Hung. illustrium, nuper accepimus. — " Erat igitur

(*a*) Libr. IX. col. 1096. (*b*) Ap. Sommersb. T. II. MSS. Dipl. p. 81. (*c*) Illyr. V. et N. p. 119. (*d*) Ap. Wadding. ad an. 1353.

igitur etiam Car. Andr. Belius, qui has nuptias defigit ad an. 1363. (*a*) Nec minus etiam errant illi, qui Stephani, Ludouici fratris, obitum ad hunc annum deponunt. Hunc Kerchelichius regendam a Ludouico Dalmatiam, Croatiam et Sclauoniam accepisse vult anno 1350. (*b*) Sed illum errare discimus ex hoc eius diplomate: (*c*) „ Nos Stephanus, „ D. gr. totius Sclauoniae, Croatiae et Dalm. dux. „ — Feria III. prox. post festum corporis Christi, „ anno inc. eiusd. MCCCLIII. de Graecensi ciuita- „ te, loco mansionis nostrae, — progrediendo — „ — — Dat. — IV. kal. mensis Iunii — *ducatus* „ *nostri anno primo.*" Nuptias is cum Margarita, Ludouici Bauari, Rom. regis, filia, celebrauit anno 1350. ex quo Ioannem et Elisabetham, Alberto III. Austriae duci, desponsam, sustulit. (*d*)

A. C. 1354. *Lud.* 13. *Ind.* 7. *P.* 13. *A.*

LXVII. Stephanum ducem anno superiore nondum obiisse, certissimum est ex eo Ludouici diplomate, quo Belae IV. donationem, ecclesiae Zagrabiensi factam, confirmauit; sic enim illic loquitur: (*e*) „ — De consensu et beneplacita voluntate ex- „ cellentissimae principissae, D. Elisabeth, genitri- „ cis, ac *Stephani ducis*, fratris, nostrorum carissi- „ morum; nec non de consilio praelatorum et ba- „ ronum regni nostri. — In cuius confirmationis „ testimonium — praesentes concessimus litteras „ nostras priuilegiales, duplicis sigilli nostri *noui* et „ authentici munimine roboratas" (*nihil tamen et penitus*

(*a*) Comm. de Maria p. 7. (*b*) Hist. Eccl. Zagr. p. 132.
(*c*) Not. Praelim. p. 147. (*d*) Hist.Cr. T. X. p 70.—90.
(*e*) Ap. Kerchel. H. E. Z. p. 332.

penitus de appensione trium sigillorum, paterni vnius videlicet demactati, et alterius in Transalpinis deperditi, tertii quoque nostri, Wzura casualiter amissi, in hac parte aduertentes) „ Dat. per manus RR. D. „ Nicolai, arch. Strigon. summi canc. nostri, XV. „ kal. Iunii, anno dom. MCCCLIV. regni autem „ nostri an. XIII. Ven. in C. PP. DD. Nicolao arch. „ Strig. et Fr. Dionysio archipostulato Coloc. — — „ vt an. 1351. nisi quod hic *Gregorius Chanad. Nicolaus Zagrab. Stephanus vaiuoda Transsiluanus*, legantur. E. suo videtur ea Kerchelichius addidisse, quae de sigillis interiiciuntur. Bellum enim in Vzura vel Bosnia gestum non est ante an. 1359. Neque Nicolaus Konth, a quo gestum illud fuit, palatinus erat ante 1356. annum; neque Nicolaus ille, qui sigillum amisit, archiepiscopus, vt postea videbimus. Ad hunc tamen annum referri potest expeditio, quam Ludouicus contra Stephanum Duscianum, Rasciae regulum, qui titulum imperatoris vsurpabat, suscepit. Huius enim dissertam mentionem facit Nicolaus Drugeth, iudex curiae, his verbis: (*a*) — „ ad praesentes quindenas residentiae „ exercitus regii, *versus Rasciam moti.*" — Quod quidem testimonium anno sequenti datum est; quia tamen Turotzius ait: (*b*) *saepius contra Rachenos et Moldauos* — mouit exercitum; *et maxime circa regnum Rachiae Dominicus, filius Oslo, banus de Macho*; bellum, quod hic Dominicus gessit, vltra hunc annum, post quem Nicolaum Gara successorem in munere bani Machouiensis accepit, differri non potest. Ad hunc item annum Praius ex Matthaeo Villano refert alteram ipsius regis in Tartaros ex-

 peditionem

(*a*) Ap. Koller H. E. Q. T. III. p. 75. (*b*) Chron. P. III. cap. 39.

peditionem cum 200. equitum millibus, cuius aduentu perculſus Tartarorum princeps, impetrata ſecuritate publica, cum primoribus ſuae gentis ad Ludouicum venit, eidemque clientelam ac annua tributa pollicitus, euangelii praecones, a quibus Chriſti religionem ediſcere cum ſuis poſſit, flagitauit. *Quia vere loqui videbatur*, inquit Villanus, (*a*) *facile fidem Ludouicus habuit, ictisque publico ritu foederibus, Tartaros in clientelam recepit.* (*b*)

A. C. 1355. *Lud.* 14. *Ind.* 8. *P.* 5. *A.*

LXVIII. Quum Ludouicus Polonos in expeditione Tartarica ſocios habuerit; Caſimiro dilationem debiti ſoluendi, quod ob Ruſſiam rubram, Poloniae regno tantisper adiunctam, contraxerat, conceſſit, amplioraque, quam alias conſueuerit, ſubſidia contra Lithuanos addixit, (*c*) *Budae* 24. *die menſis Ian. anno dom.* 1355. Tertio poſt menſe, legatis in Poloniam miſſis, pactionem, olim inter Carolum et Caſimirum initam, de ſucceſſione filiorum illius in regnum Poloniae, ſi hic ſine prole maſcula decederet, confirmauit, *in vigilia SS. Philippi et Iacobi apoſt. anno dom. MCCCLV.* Pactis illis per legatos iureiurando firmatis, Poloni quoque ſuos in Hungariam legatos miſerunt, ad quorum preces Ludouicus regni Poloniae libertates ſe ſartas tectasque conſeruaturum, edito diplomate, promiſit, (*d*) *Budae, XXIV. menſis Iun. anno dom. MCCCLV.* Liquet ex vtroque diplomate, Stephanum ducem, quum ea conficerentur, iam obiiſſe

(*a*) Ap. Murat. T. XIV. L. IV. C. V. (*b*) Hiſt. Cr. T. X. p. 95.—105. (*c*) Ap. Dogiel Cod. Dipl. T. I. p. 37. 38. 39. (*d*) Ap. Dlugoſ. Libr. IX. col. 1101.

iisse. Sic enim legati loquuntur: „ Dominis An„ drea et Stephano sublatis de hac vita, inter vos „ et praelibatum D. regem (*Ludouicum*) ac inclitum „ principem D. Ioannem, ducem totius Sclau. Croat. „ et Dalmatiae, supradicti D. Stephani ducis filium.—" De hoc autem Ludouicus, nulla patris eius iam defuncti mentione facta, haec suis litteris inserit: „ Si, quod absit, nos, aut D. Ioannem, nepotem „ nostrum, ducem, absque herede masculini sexus „ decedere contingat; ex tunc omnia pacta — an„ nihilentur. —" Quare certum est, Stephanum ducem ante Maium huius anni decessisse, quem anno superiore 18. Maii superstitem adhuc vidimus. Quum autem idem Stephanus Zagrabiam ingressus sit anno 1353. mense Maio; monumentum autem Kerchelichianum testetur, (*a*) Zagrabiae tunc Stephanum fuisse, quum Ioannes illi natus est; hic nunc plus, quam bimulus, esse non poterat. Ludouicus interea, habitatione decennio circiter prius Budae iam defixa, controuersiam, inter Veteris Budae praepositum et nouae Budae castellanum exortam, communi cum Elisabetha matre consilio, diremit, (*b*) *anno dom. MCCCLV. VII. kal. Sept. regni XV.* Ex hoc diplomate patet, castrum illud, quod a praeposito Budensi conditum dicitur, non illud, in quo regia consedit, fuisse, sed paullo supra Budam veterem, qua scilicet ad Albae MARIAE templum ibatur, stetisse, quae pars deinde *reginalis* ciuitas a Ludouico dicta fuit. Indidem patet, non Geisam I. vt Turotzius scribit, (*c*) ecclesiae Budensi *constituisse — tres villas in Simigio*, sed Ludouicum eiusque matrem Elisabetham in redemtionem illius

(*a*) Ap. Kerchel. H. E. Z. p. 132. (*b*) MSS. Heuenes. DD. p. 49. (*c*) Chron. P. II. cap. 53.

illius castelli, pro quo reginarum castellani marcam auri praeposito quotannis pendere debebant, illas villas, quae dimidio plus inferebant, attribuisse. (*a*)

A. C. 1356. *Lud.* 15. *Ind.* 9. *P.* 24. *A.*

LXIX. Quum iam Ludouicus ad bellum, Venetis inferendum, animum obfirmasset; vt plures armorum socios aduersus illos sibi conciliaret, vetera cum Austriacis foedera, saepius instaurata, rursus innouauit. Primum autem Rasciis arma voluit inferre, tum vt illud *regnum ad fidem Christianam et sanctae matris ecclesiae vnitatem, obedientiam, reuerentiam debitam et honorem*, tum vt *ad ius suum trahere et traducere* posset, vt ipse loquitur. (*b*) Innocentius VI. generosa piaque hac regis voluntate nimium delectatus, eumdem in publico cardinalium consessu *signiferum ecclesiae* nominauit. Mirum videri potest, cur post proposita tam firma Ludouicus arma non in Rascios, sed in Venetos conuerterit. Caussam mutati consilii Praius e Venetis scriptoribus eam reddit, (*c*) quod *Veneti* Rasciis —, *quicquid virium in promtu fuit, in suppetias miserint*. Ludouicus igitur hos prius, contra quos alioqui bellum iam dudum coquebat, aggressus, eorum rationes vehementer conturbauit. — *Innocentius, qui tanto maiorem dolorem ex conuersis in Venetos armis percepit, quanto solidiore gaudio prius ob bellum, schismaticis indictum, affectus est, grauissimas ad Ludouicum litteras dedit, quibus frustratam orbis Christiani spem, quam de domandis schismaticis et ad ecclesiam reducendis praeceperat*, vehe-

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 106.—146. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1356.
(*c*) Annal. R. H. P. II. p. 103.

vehementer queritur, IV: non. Iul. anno IV. Sed, antequam has litteras Bonioannes, antea Bosnensis, nunc Firmanus antistes, ad Ludouicum detulisset; longius ille progressus, copiis in plures partes diuisis, Venetos multiplici bello pressit, eorumque vires distraxit. Aliis enim ad maritimas Dalmatiae ciuitates oppugnandas relictis, ipse cum 100. fere millibus per Istriam in Forum Iulii penetrauit. *Quum*, inquit Turotzius, (*a*) *rex principatus, tenutas et dominia regni sui, sacrae coronae subdita, vellet conseruare, et vsurpata ad statum pristinum reuocare; inclitum principem Andream de Dandulo, ducem Venetiarum per ambasiatores sollemnes, litterasque et nuncios speciales, pluries, vt zelator pacis, requisiuit et monuit* „ad restituendum sibi et „sacrae coronae regnum Dalmatiae et ciuitates „maritimas, in toto occupatum et detentas.“ *Quae quidem dux et domini Venetiarum negarunt, — et resistere decreuerunt regiae maiestati. Super quo facto rex cum suis vicinis, consiliariis, principibus, regnicolis, marchionibus et ducibus, contra ducem Venetiarumque communitatem de tali iniuria grauiter est conquestus, ne videretur eos indebite et iniuste impugnare: ad vindicandumque et propugnandum iniuriam, sibi et regno illatam, cum valida potentia pro recuperandis iuribus regni sui, per ipsos a multo tempore occupatis, versus Italiam contra ducem Venetiarum cum propria gente sua, nec non comitibus militibus Teutonicis, extraneis ipsi fauentibus et auxilium praestantibus; quos, praecipue Teutonicos, idiomatis eorum conscius, multum diligebat, et eisdem de stipendiis ac donariis largiflue prouidebat, ex eoque ad ipsum libenter confluebant, eique*

(a) Chron. P. III. cap. 26. 27.

eique fidelia seruitia exhibebant, personaliter est praefectus; et per terras ac tenutas Venetorum, circa castrum Serawal transiens, Coniglanum obtinuit; et abhinc in ciuitatem Teruisii veniens, ipsam obsedit. Quum Ludouicus, relicta parte copiarum ad Iadram obsidendam, istuc irrupit; non aliud spectauit, quam, vt, captis istic vrbibus, Venetos ad restituendam Dalmatiam, quam, classe destitutus, aliter obtinere non poterat, adigeret. Licet autem Dalmatiam in manibus fere iam habuerit; exhortationibus tamen Petri Thomasii, Pactensis episcopi, quem pontifex ad illum destinauerat, permotus, ad eam Venetis remittendam ac aeternam pacem ineundam paratus erat; (*a*) si *Veneti, caussa amicitiae, tantum quolibet anno vnum equum album regi praesentarent.* Domum redituerus, Thomam obsidioni Taruisii praefecit. (*b*)

A. C. 1357. *Lud.* 16. *Ind.* 10. *P.* 9. *A.*

LXX. Quum Veneti nullis Petri Thomasii precibus ad leuem illam pacis conditionem admittendam induci potuissent, quinque mensium induciis tunc ad Martium vsque huius anni confectis et iam elapsis, bellum cum Venetis instauratum est, cui prosequendo Ludouicus, teste Turotzio, (*c*) primum quidem *Nicolaum Konth, regni Hung. palatinum*, deinde *Thomam*, tum *Benedictum*, denique rursus *Thomam* praefecit, qui *viriliter ac potenter castra et terras acquisitas sub dominio regis conseruauit tamdiu, donec, expugnata et recuperata fuit ciuitas Iadrensis*: quod Cortusius factum ait (*d*) *die XVII. Septembris.* Prius igitur Spalatum et Tragurium

(*a*) Act. SS. Vng. Sem. I. p. 100. (*b*) Hist. Cr. T. X. p. 147.—181. (*c*) Chron. P. III. cap. 28. (*d*) Libr. II. cap. X.

rium, illud 8. hoc 9. Iulii, 1357. Ludouico se dediderunt, vt Acutheanae tabulae referunt. (a) Quum enim Veneti, sera poenitudine tacti, quod Ludouicum, a Petro Thomasio sibi conciliatum, leuissima conditione reiecta, magis irritassent; legatos ad eum destinassent, per quos, ad illum facilius placandum, Spalatum et Traguriυm obtulerunt; hae ciuitates, deditione sponte facta, maluerunt regis gratiam occupare, quam a Venetis quaestum de se fieri. (b) Postquam Ioannes banus has ciuitates recepisset, ad Nonam, quae portas clauserat, oppugnandam profectus, Sibenicensibus, vltro se dedentibus, priuilegia confirmauit, (c) *Dat. in obsidione ciuitatis Nonae, die XIV. mensis Decembris, anno dom. MCCCLVII.* „Nona, fame coacta, deditionem et ipsa tandem fecit. (d)

A. C. 1358. *Lud.* 17. *Ind.* 11. *P.* 1. *A.*

LXXI. Veneti, tot vrbium maritimarum deditione permoti, veritique, ne cum Dalmatia Taruisium quoque cum adsitis locis amittant; pacem vrgendam, et quamcumque duris conditionibus emendicandam censuerunt. Legatis igitur anno superiore 28. Nouembris ad Ludouicum Iadram missis, pacis tandem tabulae hoc anno 25. Februarii signatae sunt a Ioanne Delfino, duce Venetiarum.—
„ Renunciamus, *inquit ille*, (e) de facto in mani-
„ bus supra scripti regis, suo et suorum successo-
„ rum nomine, toti Dalmatiae, a medietate scili-
„ cet Guarnarii (*Golfo di Quarner adOrientales Istriae*
„ limites

(a) Ap. Schwandt. T. III. p. 657. (b) Villan. L. VII. cap. 82. (c) Ap. Luc. L. IV. cap. 17. (d) Hist. Cr. T. X. p. 181.—210. (e) Ap. Luc. L. IV. cap. 17.

„ *limites*) vsque ad confines Duracii, omnibus ci-
„ uitatibus, terris, caſtris, inſulis, portubus et
„ iuribus, quae habuiſſemus — in eisdem quoquo
„ modo; et ſpecialiter ciuitatibus *Nonae*, *Iadrae*,
„ *Scardonae*, *Sibenici*, *Tragurii*, *Spalati et Raguſii*,
„ in terra firma exſiſtentibus; item ciuitatibus et
„ terris adiacentibus, videlicet *Cherſo*, *Veglia*, *Ar-*
„ *bo*, *Pago*, *Brachiae*, *Leſinae*, *Curſulae*, cum in-
„ ſulis earumdem, cum omnibus pertinentiis et
„ vtilitatibus earumdem, ac titulis Dalmatiae,
„ Croatiae, quibus vti conſueueramus. — — Et
„ verſa vice, ipſe D. rex — promiſit, quod omnes
„ terras — in partibus Taruiſii et Cenitae ac Iſtriae —
„ faciet tradi, reſtitui — — Quodſi partium aliqua
„ huic — paci niteretur contraire; — ex tunc pars
„ altera id ſedi apoſt. intimare debeat; et D. papa
„ — velit intra ſpatium vnius menſis, ſimpliciter
„ et de plano, — ad obſeruationem dictae diſpoſi-
„ tionis — adſtringere, cenſura eccleſiaſtica median-
„ te. — — " Ioannes archidiaconus violatae pacis ita Venetos accuſat: (*a*) *Cuius regni Dalmatiae et ciuitatum pleno regimine conſequuto, rex — caſtra et tenutas, quas tenebat ipſis reſtituit; ſub pacto iuramenti per ducem et conſiliarios Venetorum*: „quod
„ neminem in terris eis, per regem reſtitutis, offen-
„ derent pro fidelitate regis, vel punirent." *Sed tamen poſtea ipſi Veneti — potiores terrarum ipſarum, ſpecialiter vero de Coneglano decapitauerunt*. Ludouicus, Dalmatia hac arte recuperata, Iadrenſibus Tragurienſibus, Spalatenſibus aliisque ciuitatibus partim antiqua priuilegia confirmauit, partim noua conceſſit. (*b*)

A. C.

(*a*) Chron. P. III. cap. 28. (*b*) Hiſt. Crit. T. IX. p. 211. —233.

A. C. 1359. *Lud.* 18. *Ind.* 12. *P.* 21. *A.*

LXXII. Ludouicus, bello Veneto perfunctus totaque Dalmatia potitus, expeditionem, quam ante hoc bellum in Rasciam meditabatur, suscepisse non legitur, ideo fortasse, quod Stephanus Duscianus, in quem tunc arma parabantur, teste du Fresne, (a) *febre correptus*, *obiit* 18. *Decembris*, *anno* 1356. quando iam bellum cum Venetis feruebat. Nec illius filius et successor Vrosius vllum cum Hungaris bellum gessisse legitur. In Bosniam tamen susceptam expeditionem ad hunc annum patrii scriptores designunt, quam ita Turotzius ex archidiacono describit: (b) *Item ad terram Boznae, similiter regiae coronae subiectam, ad conterendam proteruiam quorumdam rebellantium, magnificum virum, Nicolaum Konth, palatinum regni sui, et ven. in C. P. D. Nicolaum, archiep. Strigon. cum quibusdam aliis baronibus et militibus regni sui, cum magno exercitu destinauit: qui intrantes, castrum Zrench* (Strebernick, Argentinam) *obsederunt; sed minime capere potuerunt; ac cum magno damno personarum et rerum discesserunt. In quo quidem exercitu quadam nocte de tentorio eiusdem D. archiepiscopi cancellarii sigillum D. regis duplex authenticum per quosdam filios Belial furtiue est subtractum. — De quo tamen facto, ex fortuito euentu accidente, rex minime curauit, aliud sigillum authenticum praeparari faciendo, et eidem D. archiepiscopo cancellario assignando: sub quo sigillo omnia priuilegia seu litteras, cum alio sigillo deperdito emanatas, confirmauit.* Caussam belli huius sexto post anno Ludouicus innuit, quum ait, ad exstirpandos de Bosnia haereticos *ex vna parte*

(a) Illyr. V. et N. p. 62. (b) Chron. P. III. cap. 33.

parte se personaliter profectum fuisse. Bellum istud ante hunc annum geri non potuit, neque post annum 1364. quo Ludouicus eumdem fuisse Strigoniensem archiepiscopum asserit, cui sigillum regis surreptum fuit; iam autem ille Nicolaus archiepiscopus, qui hanc iacturam fecit, sub exitum anni superioris tantum postulatus Strigoniensis, hoc tandem anno praecise dicitur archiepiscopus Strigoniensis, alio Nicolao, qui cancellarius non erat, anno superiore mortuo. Collegae huius archiepiscopi, Ludouici litteris, quas in fauorem sanctimonialium Varadiensium *VII. kal. Oct.* dedit, ita subscripti leguntur: (*a*) Nicolaus *Strigon.* Thomas *Coloc.* Vgolinus *Spalat.* Nicolaus *Iadren.* Elias *Ragusinus*, archiepiscopi; Nicolaus *Agr.* Demetrius *Varad.* Dominicus *Transsilu.* Nicolaus *Quinqueeccl.* Colomanus *Iaur.* Gregorius *Chanad.* el. confirm. Michael *Vacien.* Ladislaus *Vesprim.* Petrus *Bosn.* Stephanus *Zagr.* FF. Stephanus *Nitr.* Thomas *Sirm.* Ioannes *Tinin.* Bartholomaeus *Tragur.* Demetrius *Non.* Stephan. *Faren.* Valentinus *Macar.* Matthaeus *Sibinic.* Michael *Scardon.* Portina *Segn.* Ladislaus *Corbau.* — Nicolaus Konth *palat.* Andreas *vaiuoda Transsilu.* C. Nicolaus, filius Vgrini, *iudex curiae*; Leustachius *Sclauoniae*; Nicolaus *de Machow*; Nicolaus de Zeech, *totius Dalm. et Croat. bani.* — Tantis episcopatibus ditio Ludouici regis aucta fuit. Nicolaum, Strigoniensem archiepiscopum, hoc anno synodum celebrasse, Petrus, Neogradiensis archidiaconus, testatur, (*b*) 3. *Iul.* 1359. (*c*)

A. C.

(*a*) Ap. Ganotz. Ep. Var. P. I. p. 202. (*b*) Ap. Péterf. Conc. P. I. p. 171. (*c*) Hist. Cr. T. X. p. 249.—259.

LXXIII. Vt Ludouicus bellum in Bosnia tuendae religionis caussa gessit, ita plures in Italiam expeditiones tuendorum ecclesiae iurium caussa suscepit. Belli caussam Ludouicique studium in ecclesiam Romanam ex his Innocentii VI. litteris, ad eum *VI. Maii pont. an. VIII.* datis, intelligere possumus: (a) „— Ad notitiam celsitudinis perdu„ cto, qualiter ciuitatem Bononiensem, ad nos et „ Rom. ecclesiam pleno iure spectantem, Bernabos „ de Vicecomitibus, miles Mediolanensis, manu „ armata, hostiliter oppugnare — conabatur; tu, „ eiusdem ecclesiae, matris tuae, negotia, tua re„ putans, — Ioannem, praepositum Colocensem, — „ cum tuis litteris destinare ad ipsius Bernabonis „ praesentiam curauisti; — significans, ipsumque „ requirens, quod ipse ab obsidione terrarum ec„ clesiae — cessaret, alioquin tu, tamquam prin„ ceps catholicus, — tolerare nequires, ecclesiam „ ipsam in suis iuribus impugnari. — " Et ille quidem regis monitioni se delaturum et exercitum ab vrbis obsidione reuocaturum promisit; sed quia promissis non stetit; Ludouicus idemtidem copias armatas aduersus illum in Italiam misit, vt Ioannes archidiaconus in haec verba memoriae prodidit: (b) *Item ad instantiam summorum pontificum Rom. Innocentii, Gregorii et Vrbani V. beatae mem. prima vice Nicolaum, filium Latzk, qui multas ciuitates, oppida et castella ad obedientiam S. R. E. reduxit; — et post eum Simonem; filium Mauritii, qui nihil profecit; — subsequenter — Petrum banum,*

tempore

(a) Ap. Rayn. ad an. 1360. (b) Chron. P. III. cap. 31. Epit. Chron. P. II.

tempore D. Vrbani PP. in defensionem ciuitatis Bononien. contra Barnabonem et Galeacium, dominos Mediolanenses, eamdem ciuitatem impugnantes, destinauit. Et idem Petrus banus ciuitatem eamdem pro D. papa retinuit et defensauit. Ludouicus, qui foris res ecclesiae tanto studio defendit; easdem domi non minore cura complexus, earum iura partim vetera confirmabat, partim noua conferebat. Regis ad exemplum alii quoque proceres in res sacras liberales erant; et Colomanus quidem, Iaur. episcopus, Sabariae Minoritis; Nicolaus Konth, palatinus, Tsatkae Paullinis; Theodorus Keriateuich, dux Munkatsiensis, Basilitis coenobium erexit. Praeterea Ludouicus academiae Quinqueecclesiensi hoc anno fundamenta iacere coepit. (*a*)

A. C. 1361. *Lud.* 20. *Ind.* 14. *P.* 28. *M.*

LXXIV. Iacta quoque sunt eodem anno fundamenta noui belli, quod hoc anno contra Carolum IV. imp. et Austriacos gestum fuisse, recentiores scriptores sine teste tradunt. Verum est, veterem animorum consensionem inter Carolum et Ludouicum turbatam fuisse, quod Carolus *detractiuis susurrantium loquelis et malis sermonibus* adscribit, (*b*) ac ad suam in Ludouicum amicitiam magis declarandam et fortius adstringendam, illi Casimiroque regi ducatum Plotzensem cessit. (*c*) His tamen Ludouicus illi conciliatus non est, armorum societatem cum Austriae principibus aduersus illum et Ioannem, eius germanum, pactus, (*d*) 7. *Ian.* *an.*

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 268.—279. (*b*) Ap. Dobn. Mont. T. II. p. 379. (*c*) Ibid. p. 382. (*d*) Ap. Pray Ann. P. II. p. 115.

an. dom. 1361. Nemo facile sibi persuaserit, Ludouicum adeo desultoriae fidei fuisse, vt aduersus Austriae duces, cum quibus et nunc, et nuper an. 1359. firmissimum foedus percusserat, tam cito bellum mouerit. Ad id persuadendum necessaria forent veterum testimonia, quae nulla citantur. Hoc ipsum veterum silentium suadet, ne bellum cum Carolo iam anno hoc gestum fuisse credam. (*a*)

A. C. 1362. *Lud.* 21. *Ind.* 15. *P.* 17. *A.*

LXXV. Vtramque hanc sententiam firmat nouum cum Rudolpho foedus, quo Ludouicus ita spondet: (*b*) — „ In casu, quo ipsum (*Austriae* „ *ducem*) et nos cum quouis seu quibusuis hominum, cuiuscumque status, conditionis et praeeminentiae exsistant, etiam imperiali vel regia „ fulgeant dignitate, litem et guerram contrahere „ vel inire contingeret (*nondum igitur bellum eru-* „ *pit*) quod omnes homines, ciuitates, oppida, „ castra et fortalicia seu munitiones partis aduersae, „ quos et quae capiemus, cum dicto D. duce — „ condiuidere debemus. — Budae, X. die Martii, „ A. D. MCCCLXII.“ Clarius futurum dumtaxat bellum indicant illa Ludouici verba: „ Quamprimum lis seu guerra, quae eidem fratri nostro, duci Au- „ striae, et nobis verisimiliter instat et imminet „ contra Romanorum imperatorem et Bohemiae „ regem, et contra marchionem Morauiae, eius „ fratrem, terminata fuerit. — — “ Datum eodem die. Caussam belli huius, quam patrii scriptores non exprimunt, Dlugossus ita prodit: (*c*) *Ad re-*

G 2 *scinden-*

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 286.—288. (*b*) Ap. Dumont. T. II. P. I. p. 34. (*c*) Libr. IX. col. 1134.

ſcindendas componendasque quasdam inter Hung. et Boh. regna differentias, — legatis Ludouici R. H. ad Carolum R. I. et B. R. queſtum ambulantibus, — ex Caroli — probroſo verbo, quo — matrem Ludouici H. R. parum pudicam aſſerendo, protulerat, maior flamma ſubito prodire — coepit. Ludouicus, ſuae matris reuerentiſſimus, his ad ſe relatis, vt Ioannes arch. perhibet, (*a*) *contra clariſſimum principem, D. Carolum imp. — perſonaliter cum magno exercitu et potenti verſus metas Morauiae proceſſit, ac ipſum D. imperatorem per ſuas litteras diffidauit, et oppidum Trinchinium intrauit.* Ludouicum Trenchinii fuiſſe 15. *menſis Aug.* colligimus ex nouis cum Auſtriae duce pactis, ibidem hac die ſubſcriptis. Quum Carolus Brodae cum exercitu conſtitiſſet; commeantibus vtrimque legatis, induciae ſunt compoſitae. Copiis igitur diſperſis, Auſtriae duces aliique principes, Poſonium profecti, nouum foedus iniuerunt, cui tam Caſimirum Polonum, quam Maynhardum Bauarum incluſerunt, (*b*) *vltima die menſis Decembr. A. D. MCCCLXII.* (*c*)

A. C. 1363. *Lud.* 22. *Ind.* 1. *P.* 2. *A.*

LXXVI. Induciis elapſis, vt Ludouicus indicaret, ſe hoſtilem animum nondum depoſuiſſe, velleque bellum, ad vindicandam matris famam ſusceptum, continuare, dum maior exercitus vndique conflueret, copias validas in Morauiam irrumpere iuſſit, vt Ioannes arch. in haec verba ſcribit: (*d*) *Poſtea etiam D. Ladislaum, ducem Opoliae, et Petrum*

(*a*) Chron. P. III. cap. 35. (*b*) Ap. Dumont. T. II. P. I. p. 42. (*c*) Hiſt. Crit. T. X. p. 297—313. (*d*) Chron. P. III. cap. 36.

Petrum banum cum gente satis valida in Morauiam destinauit; qui incendia et maxima damna ibidem intulerunt. Vrbanus V. Innocentio VI. die 13. Sept. anno superiore suffectus, nihil diligentiae praetermisit, vt hanc Christiani sanguinis effusionem sisteret ac impediret. In hunc finem Petrum Corsinum episcopum ad dissidentes principes conciliandos misit, (*a*) *IX. kal. Febr. anno I.* Dlugossus narrat, (*b*) ad id ab Vrbano delectum fuisse *Fr. Ioannem, ord. minor. prudentia et eloquentia pollentem,— qui vtrumquemque regem singulari prece persuasioneque ad rescindendum impium bellum cohortatus est.— Carolus imp., qui bello praefato se caussam dedisse et illud suscitasse non ignorabat, se — in summi pontificis potestate futurum esse, respondendo spopondit. Nuncius itaque apostolicus — iam Ludouicum Hung. iam Casimirum Poloniae reges — orabat:* „ vt, „ passione animi frenata, se populosque suos et „ regna, propter vnius verbi, leuitate prolati,— „ probrum, non ponerent in discrimen.—“ Siue huius, siue Petri praesulis opera, dissidentes eo perducti sunt, vt arbitrium caussae Casimiro, Poloniae regi, Bolkonique, Suidnicensi duci, detulerint, qui communiter inter vtramque partem amnestiam promulgarunt, (*c*) *in vigilia B. Luciae V. an. MCCCLXIII.* (*d*)

A. C. 1364. *Lud.* 23. *Ind.* 2. *P.* 24. *M.*

LXXVII. Carolus et Ludouicus, promulgatam ab arbitris amnestiam amplexi, non multo post

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1363. (*b*) Libr. IX. col. 1136. (*c*) Ap. Steyerer et Pray ad 1363. (*d*) Hist. Cr. T. X. p. 314.—324.

nouo ſtabilique foedere veterem amicitiam inſtaurarunt, (a) *in die S. Scholaſticae V. A. D. MCCCLXIV.* Ludouicus, paterna pontificis cura Carolo conciliatus, vicem ſollicito patri redditurus, vt primum eius ditiones a Bernabone rurſus vexari comperit; ad eius impetus coercendos eidem auxilia ſe miſſurum, quin, ſi pontifici videretur; ſeipſum copias in Mediolanenſem prouinciam deducturum eſſe, promiſit. Bernabos, hac Ludouici regis oblatione territus, ad pacem cum Vrbano V. ſanciendam facile deſcendit, promiſſisque 500. millibus florenorum delinitus, quicquid armis pontifici rapuerat, reſtituit. Vrbanus, qui pacem compoſitam Ludouici ſtudiis debebat, ita pietatem eius dilaudat: (b) „ O princeps deuotiſſime! — Tu es vere gratitudinis filius, qui datam tibi a DEO potentiam „ — nunc contra Chriſtianos, iniquos hoſtes eccleſiae, nunc contra ſchismaticos et haeretica foeditate reſperſos, nunc contra infideles et ethnicos ſatagis exercere. Tu vere rex et princeps „ Chriſtianiſſimus, qui non vacas vitioſis deliciis; „ ſed iugiter laboras pro tui nomine redemtoris. „ — Dat. Auinione, V. kal. Mart. pont. an. II. " Nec alia de cauſſa bellum in Bosniam ſe ſuſcepiſſe, datis *III. id. Maii, A. D. MCCCLXIV. regni XXIII.* litteris, aſſerit, (c) quam quod *in regno Bosniae innumerabilis multitudo haereticorum pullulaſſet.* Hoc autem diplomate conſtituit, vt, ne propter amiſſum eodem bello ſigillum fraudi locus in iudiciis eſſet, nouo ſigillo litterae, prius editae, confirmarentur. Mirum certe videri poteſt, ſi bellum multo prius in Bosnia geſtum priusque ſigillum

(a) Ap. Pray Ann. P. II. p. 121. (b) Ap. Rayn. ad an. 1364.
(c) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 165.

lum amiſſum eſt; non prius nouo ſigillo reip. conſultum fuiſſe. Quare videtur bellum illud, cuius ad an. 1359. meminimus, ad poſteriores annos retrudendum, nec anno 1361. producto diplomati, quod noui ſigilli meminit, multum eſſe fidendum, in quo videtur annus oſcitantia ſcribarum male notatus, quum plura dehinc diplomata Ludouici regis occurrant, in quibus nulla noui ſigilli mentio habetur, vt vel hoc anno iam habetur in diplomate Leleſzienſibus dato. Talis error irrepſit in capituli Scepuſienſis teſtimonium iuridicum, cum hoc epilogo: (a) *Dat. die dominico, prox. poſt feſtum pentecoſtes, A. D. 1364. regnante D. N. Ludouico, ill. R. H. ven. in C. PP. Thoma Strigon. Stephano Coloc. archiepiſcopis.* — (b)

A. C. 1365. *Lud.* 24. *Ind.* 3. *P.* 13. *A.*

LXXVIII. Certum enim eſt, neque Thomam Strigonienſem, neque Stephanum Colocenſem archiepiſcopum anno ſuperiore fuiſſe, quum etiam hoc anno legatur Nicolaus Strigon. Thomas Coloc. in diplomate, quo Ludouicus introductionem Nicolai, praepoſiti Hantenſis, in poſſeſſionem Beer confirmauit, (c) *XVI. kal. Febr. A. D. MCCCLXV.* Item, quo ſanctimonialibus Budenſibus ius tributorum aſſeruit, (d) *XIII. kal. Iun.* Item, quo Strigonienſium canonicorum cum ciuibus controuerſiam diremit, (e) *X. kal. Oct.* Item, quo peculiares praerogatiuas Wratislauienſibus mercatoribus in gratiam Caroli IV. R. I. conceſſit. (f) Poſtquam autem

G 4 Ioannem

(a) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 343. (b) Hiſt. Cr. T. X. p. 324.—351. (c) Ex autographo. (d) MSS. Heuenes. B. p. 415. (e) Ex apographo. (f) Ap. Lunig. p. 245.

Joannem, e Stephano fratre nepotem, amisisset; Carolum Dyrrhachinum, eius Caroli, quem capite plectendum curauerat, ex Ludouico fratre nepotem, euocauit, ac Spalatensibus demandauit, *vt eum, tamquam consanguineum et filium*, in spem successionis educandum, *honorarent*. (*a*)

A. C. 1366. *Lud.* 25. *Ind.* 4. *P.* 5. *A.*

LXXIX. Iidem archiepiscopi subscribuntur diplomatibus etiam huius anni; primum quidem illi, quo Ludouicus Belae IV. litteras ad preces Nicolai de Chemernye confirmauit, (*b*) *II. id. Febr. A. D. MCCCLXVI. regni XXIV.* Item, quo possessionis Dius donationem stabiliuit, (*c*) *VII. kal. Mart.* Item, quod ad coercendam in Transsiluania furum licentiam dedit, (*d*) *IV. kal. Iulii.* Pluribus in Transsiluania datis diplomatibus, indidem egressus, Sclauos sacerdotes in comitatibus Krassouiensi Keuensique supremo comiti M. Benedicto praesentari iussit, (*e*) *Dat. in Lippa, in die S. Eliae proph. A. D. MCCCLXVI.* Quos ea de caussa conquiri iusserit, vt, iis remotis, sibi subiectos ad vnionem ecclesiae Rom. facilius adducere posset; quo Turotzianum illud ex archidiacono pertinet: (*f*) *Item Sclaui districtus de Lipua*, (chron. Bud. Lippua) *durae ceruicis populus, ad fidem erat conuersus et baptizatus; cui sacerdotes catholici — sacramenta ecclesiastica ministrabant.* Idem studium prouehendae verae religionis etiam in Bulgariam porrexit, vt Fr. Marcus Viter-

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 351.—364. (*b*) Ex autographo. (*c*) Ex MSS. Heuenes. D. p. 147. (*d*) Ex MSS. Cornid. (*e*) Ex MSS. Bibl. Quinqueeccles. (*f*) Chron. P. III. cap. 48.

Viterbinus, ordinis FF. MM. praeses, ad prouinciae S. Francisci ministrum in haec verba perscripsit: (*a*)
„ Accepi hesterna die regis Hung. Ludouici et
„ Bosniae vicarii litteras iucundissimas. Vt hic
„ nunciat, rogatu regis, in regionem vicinam mi-
„ sit ordinis nostri fratres 8. qui dierum 50. spatio,
„ plus 200. hominum millia salutis fonte tinxerunt:
„ ac ne numerus vocaretur in dubium; rex singu-
„ la eorum nomina in tabulas publicas referri ius-
„ sit. Attamen nondum tertia regionis pars se
„ nostris addixit sacris. Principes cum subiectis ad
„ baptisma turmatim confluunt. Haeretici aeque
„ ac schismatici ad sinum ecclesiae Rom. redeunt
„ suis cum sacerdotibus et monachis, antea tam
„ obstinatis. Laetitiam minuit operariorum pauci-
„ tas pro messe tam ampla, *et metus amittendae*
„ *Bulgariae*, tot populis frequentatae, quam rex
„ Hung. in potestatem redegit suam. Patarini et
„ Manichaei solito melius affecti sunt ad baptis-
„ mum accipiendum. Rex sibi duo fratrum nostro-
„ rum millia mitti cupit; suamque ipsius vitam
„ periculis vellet obiicere, vt errantes ducerentur
„ in viam. — " Luculentum hoc est Ludouicaeae pietatis studiique — verae religionis testimonium, ex quo praeterea colligimus, Bulgariam hoc tempore Ludouicum sibi subiecisse; huc igitur illud e chronicis patriis pertinere: (*b*) *Post haec regnum Bulgariae, sacrae coronae Hung. subiectum, cum magna potentia intrauit, et Bodon* (Vidinum) *ciuitatem capiens, regnum sibi subiugauit: principem ipsius, nomine Strachmerum* (Strascimirum) *qui se imperatorem Bulgariae nominabat, capiens et in Hungariam*

(*a*) Ap. Fleur. Tom. XXIV. p. 210. (*b*) Chron. P. III. cap. 34.

riam transmittens, — ad regendum ipsum regnum, sub nomine et titulo suae maiestatis, sub certis pactis et seruitiis, cum gaudio remisit. (a)

LXXX. *Metus amittendae Bulgariae*, cuius in epistola sua M. Viterbinus meminit, aliunde vix ortus fuerit, quam a successibus Turcarum, qui multas deinceps historiae Hungaricae paginas implebunt. Hi primum ex vltimis Asiae finibus egressi, seculo VIII. cum Saracenis se coniunxerunt, iisque subinde potentiores effecti, Mahometis deliria, qui rapinas et carnis illecebras suis sectatoribus indulgebat, amplexi sunt. His igitur illiciis mirum quantum aucti, quum omne suum ius in armis circumferrent; Asiae iam Africaeque magna parte potiti, tandem etiam in Europam effusi, nobilissimas eius prouincias sibi vindicarunt. Postquam autem *Ottman*, subactis omnibus calyphis, nouum in Natolia principatum constituit anno 1303. non iam calypha, sed *sultanus*, seu rex regum, appellari voluit, a quo nouum Turcae nomen *Ottomanorum* acceperunt. Huius filius, *Orchanes* Ioanni Cantacuzeno contra Ioannem Palaeologum opem ferendo Callipolim anno 1356. huius successor, *Amurathes*, Adrianopolim occupauit anno 1359. *Ipse Amrates*, inquit Turotzius, (b) *non id, quod promisit; sed, quod sibi prodesse posse sperabat, animo voluebat.* Ioannes quidem Cantacuzenus vltro purpuram posuit; sed Ioannes Palaeologus, eam retenturus, auxilia finitimorum principum Christianorum, ac inprimis Ludouici H. R. implorabat, pollicitus, se Romanam vnionem amplexurum. Satis hoc Ludouico fuit, vt suam eidem opem et operam

---

(a) Hist. Cr. T. X. p. 365.—385. (b) Chron. P. III. cap. 8.

operam addiceret; sed ab Vrbano V. certiora huius vnionis indicia iussus est exspectare, (*a*) *X. kal. Iul. an. IV.* Palaeologus interim Budam ipse venit, iureiurando pollicitus, se cum filiis ad ecclesiae Rom. sacra transiturum esse. Tum vero pontifex archiepiscopos et palatinum per litteras hortatus est, vt pium hunc regis ardorem ad reuocandos Graecos et Turcas armis reprimendos fouerent, petentique pro suis copiis Ludouico lubens concessit, (*b*) *illam plenam indulgentiam, quae dari solet transfretantibus in terrae sanctae subsidium.* — *kal. Iul. an. IV.* Dubitat quidem Spondanus, vtrum Ludouicus in Graeciam penetrauerit; et Prayus negat, a Ludouico quicquam contra Turcas patratum esse; Mansdorferus tamen scribit, (*c*) *eum huic genti cum* 20. *millibus equitum peditumque occurrisse*, ac ope B. Virginis 80. millia Turcarum profligasse. Hinc in propylaeo Cellensis templi haec leguntur: *Ludouicus, rex Hung. per matrem misedie, victoriam Turcorum gloriose obtinuit.* (*d*)

A. C. 1367. *Lud.* 26. *Ind.* 5. *P.* 18. *A.*

LXXXI. Ludouicus, tot partis victoriis, tot vindicatis prouinciis, non sibi satis clarus magnusque videbatur, nisi bellicae virtuti scientiarum quoque gloriam adiiceret. Quod igitur ad Hungariae decus adhuc desiderabatur, vt domi comparari posset, quod magna non tantum aeris, sed et morum persaepe iactura foris quaerebatur, academiam, cui septem abhinc annis fundamenta iecerat, auctoritate pontificis hoc anno stabiliendam curauit. Quis

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1366. (*b*) Ibid. (*c*) Ap. Fridual. Reg. Mar. 76. (*d*) Hist. Cr. T. X. p. 386.—395.

Quis ille pontifex fuerit, auctores non conueniunt. Wallaszkius id Innocentio VI. tribuit. (*a*) Sed enim, etiamsi quatuor dumtaxat anni fundationem inter ac confirmationem intercessissent; Innocentius VI. mortuus anno MCCCLXII. praestare hoc non potuisset. Cocquelines Vrbano VI. tabulas fundationis adscripsit, annumque marginalem 1383. expressit. (*b*) At enim anno hoc Ludouicus inter viuos non erat, de quo tamen, tamquam superstite, pontifex loquitur. Palmius maluit annum marginalem corrigere, quam Vrbano VI. quintum substituere. (*c*) Sed adiuncta rerum suadent, eas Vrbano V. congruere, qui hoc anno 30. mensis Aprilis Auenione discesserat, ac aliquamdiu Massiliae commoratus, deinde Viterbium profectus, 4. menses ibi permansit, ibique *kal. Sept. pont. an. V.* Quinqueecclesiensem academiam confirmauit. (*d*) Quia haec vrbs medio quasi loco Hungariam inter et adnexas prouincias posita fuit, et facillimus ad eam accessus vndique haberi potuit; ibi Ludouicus celeberrimum illud scientiarum emporium, in quo quatuor millia scholasticorum plerumque numerabantur, collocauit. (*e*)

A. C. 1368. *Lud.* 27. *Ind* 6. *P.* 9. *A.*

LXXXII. Interea fratres minores, quos Ludouicus ad Bosniam, Rasciam et Bulgariam apostolicis eorum laboribus excolendam petiit ac obtinuit, magnis ibidem incrementis rem Christianam promouerunt. Qua de re pontifex certior redditus, Ludouico

(*a*) Tent. Hist. Litter. p. 51. (*b*) Bull. T. III. P. II. p. 367. (*c*) Not. R. H. Ed. III. P. I. p. 149. (*d*) Ap. Koller H. E. Q. T. III. p. 96. (*e*) Hist. Cr. T. X. p. 412.—420.

douico primum gratulatus, deinde hortatus illum erat, vt ad earum gentium conuersionem porro quoque fauorem et auxilium praestaret, (*a*) *II. id. Iul. an. VI.* Quum vero Ludouicus per suos oratores pontifici significasset, moleste se laturum, si regnum Siciliae, sibi debitum, ad extraneos deueniret, mortua Ioanna, quam tamen in vita sua turbare nollet; securum illum Vrbanus de suis fauoribus, *in quantum patiatur conscientia et ius alterius non laedatur*, reddidit, (*b*) *V. kal. Sept. an. VI.* Hoc anno Sigismundus, rex Hung. futurus, 15. Febr. natus est. (*c*)

A. C. 1369. *Lud.* 28. *Ind.* 7. *P.* 1. *A.*

LXXXIII. Eo minus poterat de pontificis in Ludouicum studiis dubitari, quo maiora fuerunt in ecclesiam et pontificem Ludouici merita. Certe, quum rursus in Italia Bernabos tumultuatus fuisset; quam promtus ad auxilium ferendum Ludouicus fuerit, ex his Vrbani litteris, ad episcopum Albanensem datis, apparet: (*d*) — „ Ambasiatores carissimi in Christo filii, Ludouici R. H. illustris, „ qui apud nos fuerunt diebus quam pluribus, super arduis petitis per eos, bene contenti a nostra praesentia discesserunt, dixeruntque nobis, „ quod ipse rex, prout ab eo habuerunt, paratus „ erit ad depressionem hostium Rom. ecclesiae et „ colligatorum ipsius personaliter venire. —— Dat. „ Romae apud S. Petrum, XVII. kal. Ian. an. VIII.“ Bernabos, rursus apparatu Ludouici territus, ad ami-

(*a*) Ap. Farlat. T. IV. p. 62. (*b*) Ap. Rayn. ad an. 1368. (*c*) Hist. Cr. T. X. p. 422.—432. (*d*) Ap. Rayn. ad an. 1369.

amicitiam, cum pontifice redintegrandam, animum adiecit. (*a*)

A. C. 1370. *Lud.* 29. *Ind.* 8. *P.* 14. *A.*

LXXXIV. Pietatem suam Ludouicus etiam Aquisgranum extendit, vbi sacram aedem, honori SS. Stephani Ladislaique regum ac Emerici ducis dicatam, erexit, amplissimamque dotem eidem addixit, ex qua duo capellani, natione Hungari, vitam sustentare, DEVMque pro salute regni iugiter deprecari possint, tabulis signatis (*b*) *A. D. MCCCLXX. IV. non. mensis Ian.* Huc igitur pertinet illud Ioannis archidiaconi: (*c*) *Item vnam capellam Aquisgrani et aliam Cellis ad B. V. pulchro et miro opere construxit, sufficienter et largiter dotauit, ac pretiosis vtensilibus ad cultum diuinum, vasis, calicibus, libris, et ornamentis diuersis ac calice de puro auro decorauit.* Quem in Cellis MARIAnis ipse vidi. Huc item pertinet, quod idem auctor sine certa temporis nota his verbis tradit: (*d*) *Mortuo Casmerio, rege Poloniae, auunculo eius, cum ingenti exercitu Poloniam intrauit, vbi in regem, ex iure successorio eiusdem auunculi sui, exstitit feliciter coronatus.* Dlugossus Casimirum regem hoc anno 5. *Nouembris* obiisse scribit; (*e*) quum *annum aetatis sexagesimum impleuisset;* addit Ludouicum, a Polonis inuitatum, *aliquanto tempore recusasse*, dixisseque: „non conuenire duos greges, locis di„stantibus, ab vno pastore probe a morsibus lu„porum seruari:“ — Precibus tandem cessisse,

Craco-

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 446. 447. (*b*) Ap. Pray Diss. de S. Lad. p. 25. (*c*) Chron. P. III. cap. 45. (*d*) Ibid. cap. 37. (*e*) Libr. IX. col. 1159.

Cracouiamque profectum 17. Nouembris inunctum et coronatum esse. Ludouicus, exsequiis Casimiri 19. Nouembris Cracouiae celebratis, Gnesnaque visitata, Poloniam Elisabethae matri gubernandam commisit, ac insignibus regni secum acceptis, in Hungariam rediit. Die 28. Decembris in Dios-Győr iam diploma dedit. (*a*)

A. C. 1371. *Lud.* 30. *Ind.* 9. *P.* 6. *A.*

LXXXV. Bene sapienterque Ludouicus prouidit, vtrumque regnum ab vno principe rite gubernari non posse. Prouinciarum enim amplitudo, quas inter tria maria, Balticum, Adriaticum et Pontum Euxinum, obtinuit, ita curas et vires illius distraxit, vt; quamuis magna mente praeditus fuerit, aegre tamen omnibus sufficere potuerit. Poloniam quidem, vt diximus, administrandam matri suae commiserat, quam, vtpote Polonam, defuncti Casimiri sororem, popularibus suis non displicituram sperauit. Secus euenit. Licet enim ipse Ludouicus eius eximia prudentia consilioque Hungariam optimo successu gubernauerit; contra femineum tamen eiusdem in Polonia regimen saepe Dlugossus queritur, qui mox Heduigem, tertiam Ludouici filiam, infeliciter Poloniae praefuturam, hoc anno natam esse testatur. (*b*) Ludouicus subinde cum Elisabetha coniuge Dalmatiam petiit, ac aliis vrbibus obitis, Iadram tandem accessit. Huc vno prius seculo corpus S. Simeonis, qui Christum vlnis suis complexus fuerat, e Palaestina translatum est, de quo certiores redditi rex et regina, sacrum pignus caste

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 448.—461. (*b*) Libr. X. col. 14.

caste pieque venerati, regiis illud muneribus excoluerunt. (*a*) Roma tunc Ioannes Palaeologus, fidem illic ritu catholico professus, redibat, postquam auxilia contra Turcas a Christianis principibus nequicquam corrogasset. Quum Turcae magis in dies per Thraciam grassati fuissent; Graecis illorum impetui resistere non ausis, Rascii tandem arma corripuerunt, ac Turcas vinci posse docuerunt. Sed enim Vucascinus, quem Acutheanae tabulae Valchasinum vocant, (*b*) caesis Turcarum 30. millibus, a victis in insidias praecipitatus, cum victoria vitam amisit. Peraeque Nicolaus, vaiuoda Transsiluanus, quum ad fluxae fidei Valachos aggrediendos a Ludouico missus fuisset; initio quidem, vt archidiaconus refert, (*c*) *victoriam obtinuit, et ipsum capitaneum, multis interfectis, in fugam conuertit; sed postmodum incaute vlterius procedens, inter indagines et veprium densitates ac passus strictissimos conclusus, per multitudinem Olachorum de siluis et montibus inuasus, ibidem cum — nobilibus potioribus exstitit interfectus. — Tandem — Nicolao de Gara, bano de Macho, viro strenuo et bellicoso, in manu potenti ipsum regium exercitum vltra Danubium, contra insultus bellatorum et sagittariorum ipsius Layk vaiuodae, velut imbres, sagittas emittentium Olachorum, per nauigia moenibus et fortaliciis firmatum, traducente, inimici, in fugam conuersi, velut fumus, euanuerunt; et residui totius exercitus terram versus Zewrinum intrauerunt, et eamdem occupauerunt.* (*d*)

A. C.

(*a*) Ap. Farlat. T. V. p. 83. (*b*) Ap. Schwandt. T. III. p. 659. (*c*) Chron. P. III. cap. 38. (*d*) Hist. Cr. T. X. p. 468.—485.

A. C. 1372. *Lud.* 31. *Ind.* 10. *P.* 28. *M.*

LXXXVI. Atque hunc *Laykium* siue Ladislaum, qui se *vaiuodam Transalpinum et banum de Zeurino* vocat, agnouisse hoc anno Ludouicum suum principem, ex illo diplomate, quo Ladislaum de Dokka, cognatum suum, remuneratur, quod *viriliter contra saeuissimos et infideles Thorcos, — propter fidem Christianitatis et gratiam ser. principis, Lodouici, regis Vngariae* pugnauerit, patet. Subiicit enim in fine: (*a*) „ Quare supplicamus ser. D. N. Lodo„ uico, R. V. domino nostro naturali, eiusque suc„ cessoribus, quatenus litteras nostras praesentes in „ vigore suo confirment. — Datum in Argiosin „ (*f. Argensi*) nostra residentia, sub A. D. MCCC„ LXXII. in die diuisionis apost. proxime praeteri„ to. " Quia vero dissensiones inter Carolum imp. et Ludouicum regem iterum gliscebant, quod Ludouicus Bauariae duces, sibi foedere iunctos, quibus Carolus Brandeburgiam eripere volebat, destituere noluerit; Gregorius XI. Vrbano V. 30. Decembris an. 1370. suffectus, Alexandrinum patriarcham in Hungariam et Bohemiam legatum misit, cuius opera factum est, quod Benessius ad hunc annum ita scribit: (*b*) *De mense Martii, D. imperatore existente in Wratislauia, misit Ludouicus R. V. sollemnes ambasiatores ad D. imperatorem, petens:* „ vt „ filia ipsius regis Vng. nomine Maria, copulare„ tur filio D. imperatoris Sigismundo. " *Et facta est pax, inter D. n. imperatorem, ex vna, & regem Vng. et duces Bauariae, parte ex altera.* Dlugossus

(*a*) Ap. Fridualszki Reg. Mar. p. 80. (*b*) Ap. Dobn. Mont. T. IV. p. 58.

gossus idem ad hunc annum refert; quod etiam Ioannes arch. sine certa nota temporis ita perhibet: (*a*) *Ipsam Mariam, claram augens prosapiam, illustri principi Sigismundo, marchioni Brandenburgensi, in puerili aetate vtroque exsistente, — in Tirnauia — matrimoniali foedere desponsauit, et apud se nutriendos conseruauit.* Quia tertio post anno Maria filio Galliae regis oblata fuit; hoc anno sponsalia plene conclusa non sunt; quod Ludouicus a foedere Bauarico recedere nec voluerit, nec, saluo honore, potuerit. Dobnerus plures in hac caussa litteras Alexandrini patriarchae recitat, (*b*) ac inter cetera Ludouicum ita Carolo laudat: „Numquam vidi principem, et signanter tam potentem, quam magnum, cum tanta humilitate et modestia, et absque aliqua inordinatione loquentem, et pacem et tranquillitatem, suo cum honore seruato, desiderantem. — “ Hinc apparet, quantam Ludouicus in tanta potestate moderationem praesetulerit; quantum a bello, licet alias felix, abhorruerit, vt, nonnisi coactus, ad arma descenderit, omnesque modos ineundae pacis honestae prius explorauerit. (*c*)

A. C. 1373. *Lud.* 32. *Ind.* 11. *P.* 17. *A.*

LXXXVII. Quia Ludouicus a foedere, cum Bauaris inito, discedere nulla ratione voluit; Carolus imp. eius constantia victus, ad pactionem pecuniariam cum Ottone Bauaro, genero suo, descendit; quem Grebnerus perhibet (*d*) Brandeburgicum

(*a*) Chron. P. III. cap. 52. (*b*) Monu. T. II. p. 391.—398. (*c*) Hist. Cr. T. X. p. 497.—525. (*d*) Comp. Hist. T. III. p. 81.

gicum *marchionatum anno* 1373. *pro* 200000. *aureis Hungaricis vendidisse Carolo IV. imp.* Huius subinde marchionatus Brandeburgici ius et titulum Sigismundus, Caroli IV. filius, futurus Hung. rex, obtinuit. Ita hac parte Ludouicus, necessitate belli gerendi liberatus, ad Turcicam expeditionem facilius omnia comparare potuit, ad quam suscipiendam iam anno superiore Gregorius XI. ita fuit illum adhortatus: (*a*) „— Quum ad obuiandum sufficienter ingruenti turbini tantae cladis aliud, „ quam tuae praegrandis potentiae valiturum non „ videatur remedium; — deuotissimam magnificen„ tiam tuam, quae inter omnes reges catholicos „ consueuit esse et persequutrix infidelium, et de„ fensatrix catholicae fidei, omni, qua possumus, „ affectione precamur, quatenus pie grateque re„ cognoscens, eximiam potentiam tuam ad hoc a „ domino tibi datam, vt ea vtaris ad defensionem „ sui populi, quem pretiosissimi cruoris sui sparsio„ ne redemit, et per hoc de caduco regno secu„ li conscendas aeternum; ad occurrendum poten„ ter rabiei et praesumtioni tam crudelis tamque „ exsecrabilis nationis, tamquam leo fortis et ani„ mosus, exsurgas. — —" Ludouicus, ad arma Turcis inferenda promtus, pontificem rogauit, vt, propositis indulgentiarum praemiis, Christianos ad sacrum bellum excitaret. Respondit voto regis pontifex, datis ad archiepiscopum Strigoniensem ea de re litteris, (*b*) *X. kal. Aprilis an. III.* Omnis tamen hic contra Turcas conatus, ex occultis diuinae sapientiae consiliis, euanuit. Bellum enim eodem tempore Franciscus de Carraria, dux Paduanus, finium caussa cum Venetis gessit, cui Ludoui-

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1372. (*b*) Ibid. ad an. 1373.

eus auxilia secundum pacta misit. Ac primum quidem Iustinianus cum quibusdam Venetis Hungarorum insidiis exceptus ac in Hungariam transmissus est; verum ad Taruisium, versa fortuna, Stephanus vaiuoda cum 1000. Hungaris interceptus fuit. (a)

A. C. 1374. Lud. 33. Ind. 12. P. 2. A.

LXXXVIII. Admittente Ludouico, pax cum Carrariensi composita fuit, vt arma contra Turcas verti possent, ad quos impugnandos nouos illi stimulos Gregorius admouit, eo potissimum vsus argumento, (b) quod *regnum Hung. vicinum sit nunc Turcis. — XIII. kal. Oct. an. IV.* Allata haec epistola fuit per Ludouici nuncios, ad Carolum, Galliae regem, missos, pro sponsalibus contrahendis, vt Ludouicus loquitur, (c) *inter illustrem D. Ludouicum, Franciae primogenitum, — et alteram de nostris filiabus, Caterinam videlicet, Mariam et Aduigam, illam videlicet, de tribus dictis nostris filiabus, quae nobis videbitur. — Dat. Budae, 16. die mensis Aprilis, A. D. MCCCLXXIV.* Hinc patet, contractum sponsalitium inter Mariam et Sigismundum, sub conditione belli Bauaris non inferendi nuper oblatum, nondum esse confirmatum. Ex tribus Ludouici filiabus Catharinam fuisse Ludouico desponsam, ex his Laurentii de Monacis verbis intelligimus: (d) *Moritur Catherina primogenita, desponsata filio regis Franciae.* Hanc Catharinam ante 17. Septembris hoc anno mortuam esse, colligimus e Dlugosso, qui nonnisi duarum Ludouici

(a) Laur. de Mon. L. XVII. p. 318. Hist. Crit. T. X. p. 554.—565. (b) Ap. Rayn. ad an. 1374. (c) Ap. Pray Ann. P. II. p. 136. (d) Litt. VI. p. 116.

uici filiarum, Mariae ac Heduigis, meminit; quum in comitiis Cassouiensibus Ludouicus effecit, vt, si tributo liberari Poloni vellent, in successionem alterutrius in regnum Poloniae consentirent. — *Omnium*, inquit, (*a*) *consensu et voluntate accedente, filias nostras, non exstante prole masculina, sibi in dominos et heredes regni* Poloniae *acceptarunt.* — *Dat. Cassouiae*, 17. *Sept. an.* 1374. (*b*)

A. C. 1375. *Lud.* 34. *Ind* 13. *P.* 22. *A.*

LXXXIX. Ludouicus Catharina iam mortua, Mariae Hungaria cum Sigismundo sponso destinata, Heduigi Poloniam et sponsum Wilhelmum, Austriae ducem, designauit; *qui ex Austria in Pannoniam adductus*, vt Dlugossus scribit, (*c*) *sub omni tempore, quo Ludouicus rex vitam produxerat, filiali indulgentia sub oculis et in aula soceri nutriebatur.* Sed, licet haec sponsalia decimo post anno, constituta dote 200000 florenorum, innouata fuerint; Heduigis tamen, vt Polonia potiri posset, Wladislao Iagelloni nubere debuit. Interea Ludouicus Russiae regendae, quae, mortuo sine prole mascula Casimiro, secundum pactum, anno 1352. confectum, ad Hungariam redire debebat, praefecit Ladislaum ducem Opoliensem, qui palatini munus in Hungaria gessit ab anno 1368. ad 1373. Huius opera Ludouicus Haliciensem archiepiscopatum, ac Premisliensem et Wladimiriensem episcopatum, schismaticis ademtum, catholicis vsibus addixit. Wladislaum autem Album, vt Ladislaum Opoliensem, aliquo sanguinis nexu sibi con-

 iunctum

(*a*) Ap. Zalusk, Spec. Hist. Cr. p. 147. (*b*) Hist. Cr. T. X. p. 565.—584. (*c*) Libr. X. col. 25.

iunctum, dimisso Cuiauiae ducatu, primum ordinem Cisterciensem, deinde S. Benedicti professum, abbatiae montis Pannoniae praefecit. Duabus rursus a Gregorio XI. litteris admonitus est ad ferendam contra Turcas opem, (*a*) *ob reuerentiam DEI et Christianitatis tutelam*, — *vt Turcos, longius praepeditos, ad suos fines accedere non permittat.* Quod quia Ludouicus, incertum, quibus de caussis, facere neglexit; Turcae primum quidem ad fines Hungariae propius accesserunt, deinde regnum ipsum inuaserunt tristique iugo presserunt. (*b*)

A. C. 1376. *Lud.* 35. *Ind.* 14. *P.* 13. *A.*

XC. Ludouicus igitur, aliis tot regnorum curis distractus, magno Hungariae damno, hanc in Turcas expeditionem neglexit: qui, si principio repressi fuissent; numquam tantam in Hungaros tyrannidem serius exercere potuissent. Fortasse tamen ideo Ludouicus Tuartko, Bosnensi bano, regios honores hoc anno contulit, vt maioribus animis et viribus sese barbaris grassantibus opponeret. *Tuartkus*, inquit Farlatus, (*c*) *post hostes domesticos et extraneos deuictos, anno* 1376. *concessu Ludouici regis, affinis sui, titulum regis Bosinae assumsit*, — *et Stephanus Mirce appellari voluit. Quum autem in iis bellis, quae Ludouicus gessit cum regibus Serbliae, collatis cum eo copiis suis auxiliaribus, partem Rasciae occupasset; titulum regis Rasciae sibi adiunxit.* — *Itaque in suis diplomatibus inscribitur:* „ Stephanus Tuartkus, D. gr. Rasciae, „ Bosnae maritimaeque (*seu Chulmiae*) rex. — "

Idem

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1375. (*b*) Hist. Cr. T. X. p. 585.—600. (*c*) Illyr. S. T. IV. p. 63.

Idem auctor ad hunc annum Caroli Dyrrhachini reditum in Italiam, quem Timon duobus annis occupat, ita describit: (*a*) *Tres fere annos Carolus Dalmatiae et Croatiae principatum tenuerat; quum visum est Ludouico, illum in Italiam ac patriam remittere, visendi et salutandi caussa Ioannam reginam, vxoris suae materteram, cui successurus erat in regnum.* Carolus indidem subinde reuocatus est ad bellum contra Venetos gerendum: quod Ludouicus si iam nunc animo destinasset; vix illum hoc anno Neapolim remisisset. In illo certe foedere, quod hoc anno cum Aquileiensi patriarcha duceque Paduano contra Venetos iniuisse dicitur; nulla disserte mentio Venetorum iniicitur, (*b*) contra quos nonnisi tertio post anno bellum erupit. Creuerunt Ludouici curae, postquam Elisabetha, Poloniae turbas perosa, semel ac iterum illi regno valedixit. Nam et anno superiore, quo Wladislaus Albus Poloniam turbabat, et isto, quo Lithuani regnum illud incursabant, eius gubernacula Ludouico filio reddidit, ac Hungariam, quam Poloniae multum dissimilem experta fuit, repetiit. (*c*)

A. C. 1377. *Lud.* 36. *Ind.* 15. *P.* 29. *M.*

XCI. Vt primum Ludouicus de Lithuanorum in Poloniam incursione certior redditus est; coactis copiis, iter in Poloniam accelerauit, in Lithuanos inde profecturus, captamque praedam e manibus illorum excussurus. *Cracouienses*, inquit Dlugossus, (*d*) *et Sandomirienses milites — ad obsidendum ca-*

 strum

(*a*) Ibid. T. V. p. 99. (*b*) Ap. Murat. A. I. T. III. (*c*) Dlugoss. Libr. X. col. 31. Hist. Cr. T. X. p. 600.— 629. (*d*) Libr. X. col. 35.

ſtrum Chelmenſe transmittit; ipſe cum reſiduis verſus Beltz ire pergit. — Illi, *Chelmen castro infra dies octo — expugnato, — aliis inſuper caſtris — expugnatis, ad Ludouicum regem, obſidionem caſtri Beltz agentem, peruenerunt. — Aduenit interim Kieystuth, dux Lithuaniae, et caſtra regis ſub ſaluo conductu ingreſſus, ex hoſte mediator factus, pacem iis conditionibus componit:* „ vt captiuis, quos „ Lithuani ceperant, reſtitutis, Georgius dux ca- „ ſtrum Beltz regi dedat, et illius gratiae ſe per- „ mittat. — " *Deditione caſtri facta, Ludouicus rex, iniuriam beneficio penſaturus, Georgio duci caſtrum Beltz, obliganti, ſe illud regio nomine pro eo et prole ſua regnoque Poloniae fideliter adminiſtraturum, reddit.* Ludouicus, in Hungariam reuerſus, ſponſalitium contractum, inter Mariam et Sigismundum ante quinquennium iam inchoatum, ſed foedere Bauarico tunc interceptum, hoc anno tandem abſoluit, ſi Dubrauio, ſcriptori Bohemo, credimus. Huc igitur illa Ioannis archidiaconi, quorum alias meminimus, ſunt referenda: (*a*) — *Mariam — Sigismundo — in Ternauia, praeſente imperatrice, matre eius, et ſuis baronibus de Bohemia, — matrimoniali foedere deſponſauit, et apud ſe nutriendos conſeruauit, qui nunc conregnant, in regni ſolio ſublimati.* Haec igitur archidiaconus poſt Ludouici mortem; hoc tamen ſeculo, quo Maria regnare viuereque deſiit, in litteras retulit. (*b*)

A. C. 1378. *Lud.* 37. *Ind.* 1. *P.* 18. *A.*

XCII. Stabilitis Mariae cum Sigismundo ſponſalibus, alterius filiae, Heduigis, dotem ita conſtituit:

(*a*) Chron. P. III. cap. 52. (*b*) Hiſt. Cr. T. X. p. 629.— 639.

tuit: (a) „ Nos Ludouicus — Licet ipse (*Leopol-* „ *dus, dux Austriae*) 200. millia flor. quae nos „ eidem nostrae filiae pro maritagio et dote tra- „ dimus et donamus, recompensare per 300 flor. „ millia debuisset; — suo filio, duci Wilhelmo, „ ad praefatam nostram dilectam filiam, Heduigem, „ dare et expedire debet — eadem 200000. flor. „ a festo S. Georgii proxime futuro post quinquen- „ nium in parata pecunia soluendorum. — Dat. — „ XV. Iunii A. D. MCCCLXXVIII. " — Haec inter Polonia Ludouici curas idemtidem interpellauit, ad quam gubernandam Ladislaum Opoliensem e Russia post reditum matris anno superiore transtulerat. At, quum hoc anno Poloni per legatos, Visegradum missos, declarassent: (b) *illius regimen non esse quoquo modo se passuros;* eumdem *a gubernatione regni Poloniae reuocauit.* Nec tamen illum Russiae regendae deinceps admouit; archidiaconus enim de Ludouico scribit, (c) *Petrum banum primo, nec non ven. in C. P. D. Emericum, episcopum Agriensem, ac Georgium Zudar, consequenter, fratres eius, et post haec Emericum Bebek, ac post eum Ioannem de Capol, ad regendum ipsum regnum* (Rusciae, sacrae coronae Hung. subiectum) *vaiuodas seu capitaneos* illum praefecisse. Ladislaus igitur illud porro non rexit. (d)

A. C. 1379. *Lud.* 38. *Ind.* 2. *P.* 10. *A.*

XCIII. Ludouicus, rebus in Polonia compositis, a Liguribus in armorum societatem aduersus Venetos inuitatus, haud difficulter in eorum postulata

---

(a) Ex MSS. Cornid. (b) Dlugoss. L. X. col. 39. (c) Chron. P. III. cap. 30. (d) Hist. Cr. T. X. p. 640.—650.

lata concessit. Caussas, cur id faceret, Lucius e Caroldo sic depromit: (*a*) *Quum Ludouicus, vetito ciuitatibus priuatisque personis per Dalmatiam salis commercio, officialibusque electis, cameram salis instituisset; — ab eisdem edoctus:* „ Si sal Ferrariam „ Patauiumque transueheretur; maiori emolumen„ to futurum: " *hac de caussa* legatos — *Venetias misit, quibus responsum fuit:* „ Patauinum et Fer„ rariensem teneri ex pacto salem a Venetis reci„ pere. " — *Ludouicus autem, quod maiorem partem litoris Adriatici et omnes fere insulas in sua ditione haberet; maris imperium penes Venetos esse, aequo animo non ferebat; et eo magis, quod in successione regni Neapolitani Venetos impedimento sibi futuros suspicabatur: quum eo tempore, nullis aliis distractus curis, regna Vng. et Poloniae pacata possideret eiusque auctoritatem patriarcha Aquileiensis et Carrariensis palam sequerentur; — factum est, vt oblatam armorum societatem cupide arriperet: et praetextu vetiti per Adriaticum salis Pagensis commeatus, bellum Venetis — indixit.* Postquam igitur Veneti Catharum, Sibenicum Arbamque cepissent; Tragurium bis incassum oppugnassent; Iadram saepius obsedissent ac infestassent; Carolus Dyrrhachinus, a Ludouico cum 10. millibus Hungarorum in auxilium foederatorum missus, in eum terrorem Venetos coniecit, vt ad deliniendum eius animum 5. legatos obuiam illi miserint. Bellum 8. Maii iam gestum fuisse, patet ex his Ludouici litteris, ad regni iudices datis: (*b*) — „ Vniuersas caussas Wbul „ de Kálló, in praesente nostra expeditione, con„ tra Venetos mota, in Italia exsistentis, — de„ beatis prorogare. — Dat. in Diosgewr, dominico

„ die

(*a*) Libr. V. Cap. I. p. 385. (*b*) Ex MSS. Cornid.

„ die prox. post fest. inuent. S. Crucis, A. D. „ MCCCLXXIX." Quum Carolus pridie kal. Sept. ad Taruisium consedisset, *auditis*, vt Lucius iterum perhibet, (*a*) *Genuensium et Patauinorum de pace sententiis legatorumque Venetorum responsis*, — *omnes in Vngariam ad regem misit. Ipse interim expeditioni Neapolitanae intentus, praesenti Venetorum indigentiae, maximo proprio emolumento, satisfacere decreuit. Permisit enim ipsis, vt cuiuscumque generis annonam in Taruisium inferrent, solutis pro quolibet boue ducatis duobus*, — —. *Ex quo non solum Taruisium, sed ipsae quoque Venetiae commeatibus, quibus maximopere indigebant, instructae fuerunt.* Pacis conditiones, illic propositas, ita recenset: „ *I.* Quod in platea S. Marci sollemnioribus diebus festis vexillum regis Vng. erigeretur. „ *II.* Pro expensis 5000. ducati (*alii* 500000. *habent*) soluerentur statis temporibus. *III.* Electio „ ducis a rege confirmaretur. *IV.* Soluerent regi „ annuum tributum 50. millium ducatorum. —" Carolus, non multum istic moratus, in Apuliam properauit. (*b*)

A. C. 1380. *Lud.* 39. *Ind.* 3. *P.* 25. *M.*

XCIV. Expeditioni Neapolitanae caussam dedit Vrbanus VI. die 8. mensis Aprilis 1378 pontifex renunciatus, cuius seueritate quidam Galli cardinales offensi, Clementem VII. pseudo-pontificem elegerunt, ac Auenionem secesserunt. Hoc fuit initium diuturni schismatis, quod post annos 40. Sigismundus H. R. in concilio Constantiensi feliciter exstinxit. *Vrbano parebant*, inquit Fleurius, (*c*) (*pars*

(*a*) Libr. V. Cap. I. p. 396. (*b*) Hist. Cr. T. X. p. 645—655. (*c*) Libr. XCVII. §. LXII. p. 347.

(*pars maxima Italiae*, *Anglia*, *Germania*, — *Bohemia*, *Belgii pars maior et Hungaria; cuius regem Ludouicum arctius sibi obstricturus papa Vrbanus*, *anno* 1379. *cardinales creauit duos Hungaros*, *nempe Demetrium*, *Strigon. archiepiscopum*, *et Valentinum*, *antistitem Quinqueecclesiarum*. Demetrius in diplomate huius anni, *pridie kal. Martii*, nondum; at *VI. id. Sept.* iam *SS. IV. coronatorum presbyter cardinalis* legitur; Valentinus autem ante 1384. hoc axiomate non ornatur; post hunc igitur annum cardinalis creatus fuerit. *Quum*, inquit Lucius, (*tunc Ioanna*, *regina Neapolis*, *schismaticis cardinalibus contra Vrbanum*, *summum pontificem*, *adhaesisset*, *Clementisque antipapae electionem fouisset*; *Vrbanus Ludouicum in eam inuitauit*, *regnumque Neapolitanum obtulit. Sed ipse*, *iam senex*, *Carolo*, *vegetae aetatis*, *vt propinquiori consanguineo*, — *tradendum consuluit*, *auxiliaque valida libenter pollicitus est*. Haec ex Theodorico Niemio, scriptore synchrono, depromta sunt, qui deinde subdit: (*b*) *Sed rex Ludouicus*, *vt dicitur*, *recepit ante ab eodem Carolo iuramentum*: „ quod „ numquam contra ipsas filias eiusdem regis Ludouici facere, aut Hungariae, siue Poloniae re„ gna huiusmodi vel aliqua alia dominia, eis de„ bita, conquirere seu recipere vellet.“ *Quo facto*, *dictus rex Ludouicus eumdem Carolum ad Italiam cum competenti exercitu destinauit*. Hic aduentus Caroli, de Pace dicti, Ioannam ita terruit, vt, quum ex 4 coniugibus nullum filium haberet, Ludouicum Andegauensem, Gallorum regis fratrem, filium adoptauerit 29. *Iun.* 1380. vt Fleurius testatur,

(*a*) Libr. V. Cap. I. p. 396. (*b*) Ap. Leibnitz. T. II. p. 52.

tur, (a) *ita vt reginae Ioannae, postquam decessisset, in regno Neapolitano, comitatu Prouinciae ac terris ipsius omnibus Ludouicus et huius posteri succederent.* Multum molestiae hic Ludouicus Andegauensis Carolo Dyrrhachino facessiuit; neque tamen illum possessione regni Neapolitani deturbare potuit. Ioanna porro primum maritum habuit Andream Hungarum, alterum Ludouicum Tarentinum, tertium Iacobum Aragonium, quartum Ottonem Brunsuicensem. Carolo iam ex Hungaria profecto, Ludouicus, Elisabeth vtraque, mater et coniux, contractum nuptialem Heduigis cum Wilhelmo nouis tabulis instaurarunt, dom. *Inuocauit.* Elisabetha vero, regina senior, supremae voluntatis tabulas, magno pietatis sensu condidit, *Budae VI. die mensis Apr. A. D. MCCCLXXX.* (b)

A. C. 1381. *Lud.* 40. *Ind.* 4. *P.* 14. *A.*

XCV. Condito testamento, non diu superstes Elisabetha, vel eodem, vel hoc anno decessit. Dlugossus quidem obitum Elisabethae cum rebus huius anni permiscet; eam tamen sub exitum anni superioris obiisse, his verbis innuit: (c) *Elisabeth — genitrix Ludouici, Hung. et Pol. regis*, 29. *Decembris, in aetate grandaeua, in castro Buda moritur. — Qua excedente, Ludouicus, — praelatis et baronibus Poloniae conuentum apud Budam pro medio quadragesimae indicit.* Quum igitur haec comitia hoc anno post mortem Elisabethae sub medium quadragesimae celebrata sint; dubitari non potest, illam anno superiore decessisse. Laudatus auctor ad eumdem

(a) Libr. XCVIII. §. II. p. 354. (b) Hist. Cr. T. VIII. p. 655.—682. (c) Libr. X. col. 48.

A. C. 1382. *Lud.* 41. *Ind.* 5. *P.* 6. *A.*

XCVII. Quia Ludouicus Vrbano VI. fauebat; Clemens pseudo-pontifex aemulum illi Wladislaum, qui Poloniae regnum ambiebat, opposuit. Quum vero nihil apud Polonos profecisset, alibi negotium eidem exhibiturus, Ludouicum Andegauensem, quem Ioanna regina filium et heredem adoptauerat, ad inuadendum in Italia Carolum Dyrrhachinum permouit. Carolus, apparatu potentis hostis territus, missis in Hungariam nunciis, a Ludouico necessaria belli subsidia militumque supplementa petiit. Aberat tunc rex, comitia Veterosolii cum Polonis paullo post celebraturus; aderat tamen Visegradi regina, quae, quia periculum erat in mora, celere mandatum ad ciuitates maritimas, vt Carolo praesto sint, misit, (*a*) *die* 23. *mensis Apr. A. D. MCCCLXXXII.* Ipse Ludouicus, de praesenti discrimine certior redditus, ad eadem Dalmatiae loca Zolio *kalendis Maii* consimile mandatum expediuit. Sed antequam Andegauensis in Italiam irrupisset; teste Lucio, (*b*) *Ioanna in carcere mortua vel suffocata fuit*, 22. Maii. Ludouicus tamen Andegauensis Auenione 31. Maii discessit, ac exercitum in Italiam promouit. Ludouicus rex, intellecto nouo Caroli periculo, nouos ad eum iuuandum stimulos Dalmatis subdidit, (*c*) *Zolii* 20. *Iulii.* Post octo dies Anconitanos hortatus est ad resistendnm Andegauensi, cui quum pares copias Carolus opponere non potuisset; decretoria pugna diligenter euitata, partem hostilem ex insidiis carpere solebat. Duobus annis ita traductis, aemulo 20. Sept. 1384. mortuo

---

(*a*) Ap. Luc. L. V. C. I. p. 400. (*b*) Ibid. p. 399. (*c*) Ibid. p. 400.

mortuo, pacate deinceps, donec in Hungariam accitus fuisset, regnauit. (*a*)

XCVIII. Ludouicus, Poloniae securitati consulturus, quum, pluribus in dies morbis tentatus, appropinquare sibi finem vitae persensisset; comitia Zolium ad festum S. Iacobi Polonis indixit, ac Sigismundum generum, 14. annos natum, exacto fidelitatis in eum sacramento, cum copiis Hungaricis ad res illius regni componendas misit. (*b*) Ipse vero, de regno caelesti praecipue sollicitus, dies aeternos in mente habuit, ac venationibus etiam intermissis, quibus semper addictus erat, teste Ioanne archid. (*c*) *contemplatiuam vitam, a tumultu multitudinis hominum segregatus, vt piis operibus insistere, et orationibus vacare studiosius et deuotius valeret, elegit, et in his perseuerauit.* (*d*) *Tandem hanc vitam laboriosam derelinquens, et ad vitam perpetuam adspirans, — ex hoc mundo migrauit XI. die mensis Septembris. — Tantus autem luctus, eo mortuo, in regno fuit, vt omnes quasi mortem suam deflerent. Et sepultus est in vrbe Albaregali, in capella, quam ipse in latere ecclesiae B. virginis collegiatae construxit, — XVI. eiusdem mensis die, anno dom. MCCCLXXXII. regnauit autem XL. annis et mense vno et XX. diebus;* a coronatione, 21. Iulii 1342. peracta, natus annos 56. Nullus regum in Hungaria latius illo dominatus fuit. Praeterquam enim, quod omnia regna, quorum titulos gerebat, *Hungariae*, *Poloniae*, *Dalmatiae*, *Croatiae*, *Ramae*, *Seruiae*, *Galitiae*, *Lodomeriae*

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 700.—710. (*b*) Dlugoss. L. X. col. 67. (*c*) Chron. P. III. cap. 54. (*d*) Ibid. cap. 55.

meriae, *Bulgariae*, *Cumaniae*, reipſa poſſederit; ius etiam in regnum Siciliae, quod Carolo Dyrrhachino ceſſerat, vindicauit. Tot igitur paene regnis vnus, quot ceteri per Europam principes Chriſtiani, dominabatur. Ita Hungaria ſub illo viribus, opibus, fama per totum orbem clariſſima, ſed religione potiſſimum florentiſſima fuit. Nec enim male ſcriptores quidam aſſerunt, Ludouico regnante, tertiam Hungariae partem diuino cultui per oblationes pias dicatam fuiſſe; ſi ratio tot coenobiorum, quae partim ante Ludouici tempora, partim eius aetate, vel excitata, vel inſtaurata, vel aucta meliusue dotata fuerant, habeatur. Religioſorum ac inprimis patrum Seraphicorum operam ad heterodoxos ac ſchismaticos, ad Cumanos et ipſos Iudaeos conuertendos adhibere ſolitus, quum iſtos pertinaciores expertus fuiſſet; exſilium omnibus indixit. *Iudaeos*, inquit archidiaconus, (*a*) *ad fidem catholicam conuertere et Chriſto lucrari*, *tamquam zelator ſalutis*, *deſiderans*, *propter obſtinatam duritiam ipſorum Iudaeorum*, *propoſitum ad effectum perducere non valens*, *omnes Iudaeos per totum regnum Hung. licentiauit*, *et expelli mandauit*. Volebat ſcilicet, vt omnes ſibi ſubiectae nationes eamdem ſecum fidem catholicam profiterentur, quo ſe gratum DEO, cui tot prouincias in acceptis ferebat, teſtaretur. E ſingulari hac in DEVM religione ſingulares etiam regendi dotes, ob quas non minus ab hoſtibus formidatus, quam a ſubditis ſuis amatus erat, profluxerunt. (*b*)

XCIX. Eccleſiam Hungaricam felicibus hiſce Ludouici temporibus gubernarunt, archiepiſcopi *Stri-*

(*a*) Ibid. cap. 41. (*b*) Hiſt. Cr. T. X. p. 717—724.

Strigonienses. Chanadinus ab an. 1330. Nicolaus III. an. 1350. Nicolaus IV. 1358. Thomas III. 1367. Ioannes II. 1376. Demetrius 1379. *Colocen.* Ladislaus ab an. 1343. Stephanus IV. 1345. Nicolaus I. 1349. Dionysius 1350. Nicolaus II. 1356. Thomas II. 1358. Fr. Stephanus V. 1367. Episcopi *Agrien.* Nicolaus II. ab an. 1332. Michael 1363. Emericus Zudar 1378. *Bosnen.* Laurentius ab an. 1338. Bonioannes 1348. Fr. Peregrinus 1349 Petrus 1356. Fr. Dominicus 1376. *Iaurin.* Colomanus ab an. 1338. Petrus II. 1376. Guilielmus 1378. *Nitrien.* Fr. Vitus ab an. 1336. Nicolaus III. 1347. Fr. Stephanus 1349. Ladislaus 1368. Fr. Dominicus 1373. *Quinqueeccles.* Ladislaus I. ab an. 1315. Nicolaus I. 1347. Wilhelmus 1361. Valentinus 1378. *Sirmien.* Petrus ab an. 1338. Fr. Thomas I. 1349. Fr. Ioannes II. 1360. Fr. Thomas II. 1361. Demetrius I. 1364. Stephanus I. 1368. Ioannes III. 1374. *Transsilu.* Andreas II. ab an. 1333. Dominicus I. 1357. Demetrius I. 1368. Goblinus 1376. *Tsanadien.* Iacobus 1342. Stephanus II. 1343. Salardus 1344. Gregorius II. 1345. Thomas I. 1350. Gregorius III. 1359. Dominicus 1360. Nicolaus I. 1372. Paullus II 1377. Thomas II. 1379. Ioannes III. 1380 *Vacien.* Michael I. 1343. Ioannes I. 1364. Petrus I. 1378. *Varad.* Andreas Báthor ab an. 1329. Demetrius 1345. Dominicus I. deinde Benedictus 1373. Emericus 1376. Ladislaus 1318. *Vesprim.* Mesko 1342. Stephanus III. 1345. Ioannes III. 1347. Ladislaus 1358. Petrus IV. 1378. Benedictus II. 1380. *Zagrabien.* Ladislaus 1342. Iacobus II. 1343. Dionysius 1349. Nicolaus I. 1350. Stephanus III. 1356. Demetrius 1376. Paullus 1379. *Palatini* munus obiuit Wilhelmus 1342. Nicolaus Giletus 1343. Nicolaus Konth 1356. Ladislaus, dux Opuliae, 1368. Emericus 1373. Ni-

colaus Gara 1376. *Iudicis curiae*: Paullus 1342. Thomas 1349. Nicolaus Drugeth 1355. Nicolaus de Széts eod. 1355. Nicolaus, filius Vgrini, 1359. Stephanus Bebek 1360. Nicolaus de Széch 1369. Iacobus de Scepus 1373. Nicolaus de Széch 1382. *Vaiuodae Transsilu.* Thomas et Nicolaus 1342. Andreas 1344. Stephanus 1347. Nicolaus Konth 1351. Stephanus 1354. Nicolaus 1355. Andreas 1355. Dionysius 1360. Nicolaus 1367. Emericus 1369. Stephanus 1373. Ladislaus 1376. *Bani totius Sclauon.* Michael 1342. Nicol. 1344. Stephanus 1351. Nicolaus 1355. Leustachius 1356. Stephanus 1363. Nicolaus Széch. 1367. Petrus Zudar 1368. Stephanus de Lindua 1382. *Dalmatiae et Croatiae*: Ioannes Chuntz, al. Zuus 1358. Nicolaus de Széch 1359. Konya 1367. Emericus 1368. Simon 1369. Carolus, dux Dyrrhachinus, 1373. Nicolaus de Széch 1379. Emericus Bubek 1382. *Machouien.* Dominicus 1342. Nicolaus 1355. Nicolaus de Gara 1366. Ioannes 1376. Paullus de Liskow 1382. *Seuerinen.* Stephanus 1342. Nicolaus 1352. Ioannes Treucel 1376. Hos ille, habita ratione non tam maiorum, quam meritorum, ad primas dignitates euexerat. (*a*)

---

§. V.

(*a*) Hist. Cr. T. X. p. 724.—734.

§. V.

MARIA, REX XXVIII.

Coepit A. C. 1382. *desiit A. C.* 1386.

A. C. 1382. *Mar.* 1. *Ind.* 5. *P.* 6. *A.* C.

Tanta Ludouici regis in vniuersam gentem Hungaricam merita fuerunt, vt, illo 16. Septembris in tumulum illato, Mariam, eius filiam, postero die sacro diademate redimitam, mira consensione *regem* omnes salutauerint. Multa sane poterant ab hac illos sententia dimouere; nullum enim adhuc exemplum mulieris, in Martia hac gente regnantis, praecesserat; nec ipsa tenerae virginis aetas ad regnandum idonea satis erat. Nondum enim illam vel thoro, nedum throno maturam fuisse, dum orbata patre fuit, his verbis Turotzius innuit: (*a*) *Rex Ludouicus — duas liquit natas; quarum altera — Maria, — nondum thoro matura, puero impubi, Sigismundo, — tali pacto:* „ vt, dum virgo nubiles „ veniret ad annos, nuptias simul et de sponso „ *regem* faceret, “ *matrimoniali foedere irretita est.* Quum igitur nuptiae, viuente patre, factae non fuerint; videtur illa nubiles annos nondum attigisse. Quia Dlugossus Heduigis, iunioris eiusdem sororis, natiuitatem refert ad annum 1371. (*b*) dici posset, Mariam ante hunc annum natam esse; si recte natalis ille Heduigis consignatus esset. Sed enim Laurentius de Monacis dicit, illam, captiuitatis iugo liberatam, quod pridie non. Iunias anno

 1387.

(*a*) De Car. Par. cap. I. (*b*) Libr. X. col. 14.

1387. contigit, 16. annos natam fuiſſe; quod dici non potuiſſet; ſi nata fuiſſet ante 1371. annum. Alteruter igitur in chronologia labitur. Ex vtroquoque tamen, ac etiam Turotzio recte ſequitur, illam admodum teneram fuiſſe, dum patrem amiſit. Non tamen aetas eius, non ſexus Hungaros absterruit, quo minus illam, ob grandia Ludouici merita, pro rege reciperent ac venerarentur. *Omnis vulgus*, inquit Turotzius, (*a*) *concordi animo hanc virginem reginam* (regem) *appellat: femineum hoc celebri ſexum nomine illuſtrant: illam alto parentis in ſolio locantes, ſacro virgineum caput diademate coronant.* Tam Auguſtana, quam Brunenſis editio Turotzianorum chronicorum anni 1488. habet: *Omnis vulgus hanc virginem REGEM appellat.* Nec enim Hungari *celebri nomine ſexum femineum illuſtraſſent*; ſi reginam dumtaxat illam appellaſſent. Ipſe fons Turotzii, Laurentius de Monacis, Mariae regis appellationem ita tribuit: (*b*)

„Hanc *regem* appellant animis concordibus omnes
„Regnicolae: illuſtrant hoc *regis* nomine ſexum."

Etſi vero Maria *rex* a pluribus etiam aliis ſcriptoribus appelletur; deinde tamen promiſcue *regina* quoque vocata fuit, habita nempe ratione ſexus, non poteſtatis et dignitatis. Et Maria quidem, vt rex coronata, regiam poteſtatem obtinuit; eam tamen per aetatem exercere ſtatim non potuit. Eius igitur loco mater Eliſabetha, iam a Ludouico prius in partem curarum aſſumta, regni negotia procurabat. Iadrenſes in vtramque ſacramentum fidelitatis edidiſſe, Paullus de Paullo teſtatur. (*c*)

Ac

(*a*) De Car. Par. cap. I. (*b*) Carm. de Car. Par. p. 325.
(*c*) Ap. Schwandt. T. III. p. 724. et 405.

Ac Elisabetha suum et ipsa legatum tam Iadram, quam ad alias ciuitates maritimas cum mandatis misit. (*a*)

CI. Haec ostendunt, Elisabetham pro filia remp. administrasse, quae mox curas suas etiam ad componendas res Poloniae conuertit, vbi Sigismundus, ad preces Polonorum nimis asper et durus, multorum animos exulcerauit, et a se penitus abalienauit. *Exsequiis*, inquit Dlugossus, (*b*) *pro Ludouico rege, magnifico sumtu sollemnique ritu, in Gnesnensi ecclesia, vltima die Septembris celebratis, Cracouiam diuertit.* Rogatus identidem a maioris Poloniae proceribus, vt inde Domarathum, omnibus grauem et molestum, amoueret, *ex consilio iuuenili, prauo et parum digesto, se id nullo pacto facturum, adiectis insuper quibusdam comminationibus, si Poloni suum imperium abnuerent, respondit.* Dum Poloni de reiiciendo Sigismundo variis in conuenticulis disceptassent; *duo episcopi, videlicet Stephanus* (Emericus) *Agrien. et Ioannes Chanadiensis, totidemque Hungariae barones ab Elisabeth, Hung. regina, Ludouici relicta, destinati, venerunt: qui, obtenta audientia, ingentibus primum, nomine praefatae reginae Elisabeth et filiarum eius, praelatis et baronibus Poloniae,* „ quod erga se et filias suas „ gessissent intemeratam fidem," *actis gratiis, ad extremum precati sunt:* „ ne cui alteri, sed nec „ Sigismundo marchioni, fidem et subiectionem „ praestent; donec per eam de vtraque filia cer„ tior ordinatio subsequuta fuerit." *Gratis et aequis auribus legatio huiusmodi audita est, proceribus Poloniae Sigismundo — quam maxime infensis.*

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 1.—15. (*b*) Libr. X. col. 69.

Ita Sigismundus, a Polonis exclusus, in Hungariam rediit. Narrat deinde Dlugossus, quosdam Hungaros castra Russiae, quibus a Ludouico praefecti fuerant, magno pretio vendidisse, *turpique lucro suffarcinatos, in Hungariam rediisse; — sed Elisabetham plerosque eorum aut in carceres coniecisse, aut capite multasse, bonaque eorum applicuisse fisco regio; et tam ipsis, quam vniuersae stirpi eorum notam perpetuae infamiae inussisse.* Inconsulta haec seueritas, rebus nondum firmatis exercita, primus gradus ad excutiendum regimen femineum erat, multis illustribus familiis, necessitudine sanguinis cum illis coniunctis, ad sumendam vindictam conspirantibus. (*a*)

A. C. 1383. *Mar.* 1. *Ind.* 6. *P.* 22. *M.*

CII. Elisabetha, reuerso Sigismundo, *crebris*, vt Dlugossus refert, (*b*) *a Polonorum nunciis fatigata precibus*, „ vt celerius vnam ex filiabus in Po„ loniae regnum, principi Polonis grato coniun„ gendam, et apud Polonos regnaturam transmit„ tat " — *Vesprimiensem episcopum et duos barones transmittit. Hi — singulos praelatos, barones et proceres regni Poloniae — fide, qua filiae Ludouici regis natu maiori, Mariae, et eius sponso, Sigismundo, — se deuinxerant, absoluunt*, „ relictam„ que Ludouici, reginam Elisabeth, alteram filiam „ natu minorem, Heduigim, Austriae duci, Wil„ helmo, — desponsatam, pro festo paschae instan„ ti, in regnum Poloniae destinaturam, *adstruunt*, „ dummodo praelati et proceres regni Poloniae „ scripto et iureiurando primum se adstringant, „ virginem

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 16.—20. (*b*) Libr. X. col. 77.

„ virginem regiam praefatam, Heduigim, Poloni-
„ co insignituros diademate, et illico genitrici suae
„ — triennio propter aetatis teneritudinem sub cu-
„ ra materna educandam, in Hungariam remissu-
„ ros.“ Quum plerisque Polonis haec legatio displicuisset, et plurimi *Semouitum*, *Masouiae ducem*, *in Poloniae regem assumendum*, *eique regiam virginem Heduigim desponsandam* censuissent; *Iaschko de Thaczin*, *Voyniczensis castellanus*, persuasit, „ Hed-
„ uigis aduentum pro festo pentecostes proximo
„ illi peremtorie indicendum: — qua pro consti-
„ tuto die non veniente; tum demum ad proui-
„ sionem et substitutionem regis procedendum esse.“
Ea sententia ab omnibus collaudata, legatisque denunciata, mox Elisabeth cum filiabus ad iter Polonicum se comparauit. Nondum reginae Buda mouerunt mense Martio, quum illic Maria litteras dederit in fauorem Veterosoliensium *sabbato prox. ante dom. Iudica*, seu 7. Martii; Draghiorum vero caussa, *festo resurrectionis Christi*, seu 22. Martii. Rursus ibidem in Aprili regium diploma dedit Ragusinis, (*a*) *sabbato prox. post quindenas festi paschae domini*. Sed *in octauis festi ascensionis domini* iam in *Nagy-Hatvan* fuit, ac M. Ladislao, filio Kakas de Keza, possessionem Sulom litteris suis addixit. Cassouiae iam illam 17. Maii fuisse, constat ex mandato, quod ad Scepusiense capitulum inde direxit, (*b*) *in festo S. Trinitatis*, *anno* 1383. Hinc Elisabeth Polonis, Sandecii congregatis, per Sandiuogium, Cracouiensem capitaneum, nunciauit, (*c*)
„ se Cassouia propter inundationem aquarum in
„ Poloniae regnum venire non potuisse: — si id
„ sibi

(*a*) Ap. Luc. L. V. C. III p. 414. (*b*) Ap. Wagner Dipl. Saros. p. 148. (*c*) Dlugoss. L. X. col. 80.

„ sibi non remittatur; etiam cum periculo ventu„ram.“ Praecipuis proceribus Cassouiam venientibus, conclusum est: „ vt pro die S. Martini fu„turo Heduigis filia Cracouiam adueniat, regnum „ Poloniae, sponso ex sententia praelatorum et ba„ronum illi iungendo, possessura. — “ Reginae, hinc reuersae, Sigismundum marchionem contra Semouitum, electionem, de se factam, armis tuitum, in Poloniam cum 12. millibus Hungarorum miserunt, (a) qui, magnis cladibus illatis, *inducias, ad festum paschae duraturas*, Semouito concessit. (b)

CIII. Dum haec in Polonia mense Septembri Sigismundus agit; eius sponsa, Maria regina, Transsiluanos quoque sibi magis deuinctura, quasdam episcopo prouinciae huius ac eius fratribus possessiones donauit, (c) *Budae, in festo B. Nicomedis M.* (15. Sept.) *A. D. MCCCLXXXIII.* Sequenti mense, cum matre rursus et sorore, maritimas res compositura, Iadram descendit. Quae quidem ciuitas, licet initio statim reginis obsequium et fidem professa fuerit; propter nouas motuum suspiciones, rursus ad iuramentum fidelitatis adacta fuit. (d) Id factum est 2. Februarii coram Nicolao, praeposito Posegano, Detricoque Bubek, qui vices Emerici Bubek, alias Dalm. Croatiaeque bani, procurandis Russiae rebus impediti, suppleuit. Quum igitur turbatus maritimarum partium status praesentem banum postulauerit; Latzkouitsius ei suffectus est, vt Paullus de Paullo testatur. (e) Sed, quia neque huius praesentia motus excitatos com-

ponere

(a) Ibid. col. 86. (b) Hist. Cr. T. XI. p. 34—49. (c) Ap. Pray Hier. P. II. p. 262. (d) Ap. Luc. L. V. C. II. p. 405. (e) Ap. Schwandt. T. III. p. 724.

ponere potuit; ipsae tandem reginae *die XXIV. Octobris*, eodem teste, *Iadram applicuerunt.* Quantum praesentia reginarum profuerit, ex his eiusdem scriptoris verbis apparet: *Eodem anno, die 28. Octobris, castrum Auranae reddidit se, quod modicum prius rebellauerat iussu Ioannis de Palisna, olim prioris Vranae.* Haec igitur Aurana fidem, quam antea detrectabat, reginis praestitit, exauctoratoque Ioanne de Palisna, quies Dalmatiae tantisper restituta fuit. Comitem reginarum fuisse laudatus auctor ait *cardinalem episcopum Quinqueecclesiae.* Nondum tamen ille cardinalis legitur, quum Maria singulares quasdam praerogatiuas contulit Priuidiensibus, hoc vsa titulo: (*a*) „Maria, D. gr. Vng. „ Dalm. Croat. Ram. Seru. Gallit. Lodom. Coman. „ Bulgariaeque regina, princeps Salernitana et ho- „ noris ac montis S. Angeli domina. —" Subscripti sunt *V. kal. Febr.* Demetrius card. gubernator eccl. *Strigon.* Emericus *Agr.* Paullus *Zagrab.* Gublinus *Trans.* Valentinus *Quinqueeccl.* Benedictus *Vesprim.* Ioannes *Chanad.* Georg. *Bosn.* Petrus *Vac.* Ioannes *Sirm.* Fr. Dominicus *Nitr.* — Nicolaus de Gara *palat.* Ladislaus *vaiuoda Trans.* C. Nicolaus de Zeech *iudex cur.* Stephanus de Lindua *totius regni Sclau.* Emericus Bubek *Dalm. et Croat.* Stephanus, filius Phylpus, *de Machow bani.* In litteris, *VI. non. Maii* datis legitur *Ludouicus Coloc. archiep. Ioannes Varad. ep.* Quum Maria hunc an. 1383. *V. kal. Febr.* dicit esse regni sui *secundum*; pro primo quatuor prioris anni menses non integros accipit. Diutius Buda reginas abfuisse, patet inde, quod Elisabetha Ianussio, Masouiae duci, libertates quasdam

dam

(*a*) Ex apographo.

dam concesserit, *Cryssi, XX. die mensis Decembris A.D. MCCCLXXXIII.* (a)

A. C. 1384. *Mar.* 2. *Ind.* 7. *P.* 10. *A.*

CIV. Non exspectato hiemis exitu, reginae Hungariam repetierunt. Nam Maria Strigonii 13. Martii iam ad Cassouienses litteras dedit, quibus praecipit vsum nouae monetae, *Koronás* dictae, molis exiguae, quae solam coronam exhibet. Reginas ad accelerandum reditum amittendae Poloniae periculum impulit. Dum enim Elisabetha negotiorum caussa cum filiabus per Dalmatiam et Croatiam commeabat, tempus, ad Heduigem in Poloniae regnum transmittendam praestitutum, praeteriit. Indignatus Santiuogius elusam iterum spem Polonorum, earum reditu non exspectato, Iadram se contulit, reginaeque tam diuturnam tergiuersationem exprobrauit. Quumque nihil profecisset; eius, inquit Dlugossus, (b) *relatione moti proceres, conuentum — in diem* 2. *Martii et in oppidum Radomislcie* — indicunt. Plures vias Elisabetha, tenerae filiae Heduigis amore victa, tentauit ad exspectationem ac postulationem Polonorum eludendam; nec alia de caussa Sigismundum ad gubernandum Poloniae regnum praemisit, quam vt eam diutius apud se retinere posset. Sed quam parum hic conatus illi successerit; ex noua legatione patuit, qua denunciatum illi fuit: „ Polonos iureiu„ rando se obstrinxisse, festo S. Stanislai (8. *Maii*) „ lapso, sibi de rege, si Heduigis, regia filia, Cra„ couiam conducta non fuerit, prouisuros." — *Sigismundus id aegre persuasit; vt aduentus Heduigis, regiae*

(a) Hist. Cr. T. XI. p. 49.—59. Libr. X. col. 91.

regiae filiae, a festo S. Stanislai ad festum pentecostes prorogaretur. Magna vis et amoris in filiam Elisabethae reginae, quod eam cum tanto regni perdendi periculo tamdiu dimittere noluerit, et fidei Polonorum in explendis promissis, Ludouico factis, esse debuit, quod toties elusi, nondum alium sibi regem delegerint. Postquam ad extrema ventum est, et omnem Poloni patientiam exhauserunt; cessit regina votis eorum, seque dulcissimo pignore, non sine maximo dolore, spoliauit. *Crebras promissiones suas Elisabeth*, pergit Dlugossus, — *impletura, dum spes Polonorum in longius tempus sine rerum discrimine extrahi non posse intelligeret; ipsam in magno baronum et militum, et praecipue Demetrii, tit. SS. IV. Coronatorum presb. card. et archiep. Strigon. et Ioannis, Chanad. episcopi, comitatu — transmittit.* Dlugossus vna serie mox etiam Heduigis coronationem refert; quae tamen, si notas temporis rite consignauit, ad sequentem annum differri debet. Regina tamen Poloniae iam hoc anno vocatur in iis litteris, quibus Ladislaus, dux Opoliensis, et Nicolaus Gara, Hung. palatinus, reconciliati sunt, (*a*) *Budae, in festo B. Stephani proto-M. A. D. MCCCLXXXIV.* polliciti *reginis perpetuam et omnem fidelitatem.* (*b*)

CV. Quid dissensionis inter illustres hosce viros intercesserit, quum nec ipsi, nec historici huius offensionis meminerint, hariolari non libet. Id certum est, praecipuam motuum, qui contra reginas gliscebant, caussam in Ladislaum Gara refundere Laurentium de Monacis, dum ita canit: (*c*)

„Prima

(*a*) Ap. Spies Archivische p. 162. (*b*) Hist. Cr. T. XI. p. 59. —59. (*c*) Carm. de Car. Par. p. 326.

MCCCLXXXV. Kalendis autem Nouembris *Emericus Bubek, totius regni Russiae capitaneus*, in easdem possessiones Palugyaios induxit. Suum quoque consensum abbati Tihanyensi Maria pro cambio dedit, (*a*) *in festo Demetrii M.* adeoque tam in Russia, quam in Hungaria sub initium autumni huius anni regiam adhuc auctoritatem exercuit. At eodem Octobri mense, quo has abbati litteras dedit, eius auctoritatem in Dalmatia iam impeditam fuisse, Lucius his verbis innuit: (*b*) *Quum regnare non permitteretur; pro regnante*, impedita regina Maria, *scriptura Spaleti* 1385. *die* 13. *Octobris exprimit.* (*c*)

CVII. Eruperunt nempe iam in apricum studia coniuratorum, e quibus Paullus, Zagrabiensis episcopus, sceleri larua virtutis assuta, Romam iter ad limina SS. apostolorum simulauit, rectaque Neapolim ad Carolum Paruum, ad capessendum Hungariae regnum inuitandum, properauit. Carolus, redditis ab eo litteris, multorum procerum signo munitis, quibus illi regnum offerebatur, attonitus aliquamdiu haesit. Dubium, an contra iusiurandum, Ludouico factum, eius filiae, heredi legitimae, corona foret eripienda, nouis argumentis antistes aggressus est. Ille tamen, eodem tantisper a se dimisso, responsum sapienter suspendit, remque tanti momenti matura deliberatione prius discutere voluit. Re cum Margarita coniuge communicata, Hungariam iccirco se petiturum dicebat, vt filium suum Ladislaum, exauctorata Maria, Hungaris regem imponat, validisque Hungarorum auxiliis adiutus, ad tuendum aduersus aemulos regnum Neapo-

(*a*) Ap. Wagn. Scep. T. I. p. 325. (*b*) Libr. V. Cap. II. p. 408. (*c*) Hist. Cr. T. XI. p. 92.—104.

Neapolitanum fortior euadat. Expalluit, his auditis, regina, lacrimisque perfusa, maritum orauit, ne sortem alienam peteret, neue suspectis inuitantium verbis fideret. Sed Carolus, ambitione iam excaecatus, nullis reginae lacrimis, nullis precibus flecti potuit. Tum vero coniux, precibus in iram versis, virum suum magnis clamoribus insequuta, tandem effecit, vt filium pater domi relinqueret, solusque Hungaricum iter susciperet. Haec fuse Laurentius de Monacis carmine describit, ex quo sua quidem Turotzius depromsit; e suo tamen etiam huic narrationi quosdam errores immiscuit. Ait ille, quod Laurentius non attingit, (*a*) *nec adhuc regem femineum paterno in solio duos per annos sedisse*; quum Carolus in Hungariam accitus est: quod tamen, anno Mariae tertio iam completo, fuisse factum, ex dicendis apparebit. Ait, *ipsum Carolum, ab Andrea, Siciliae rege, fratre quondam D. Lodouici regis carnali, genitum esse*; quem tamen tam Maria, quam Sigismundus *Carolum de Duratio* vocat: ex eo proinde stirpis Andegauensis ramo descendit, cui Duratium seu Dyrrhachinum obtigit. Eius pater fuit Ludouicus; patruus Dyrrhachinus ille Carolus, quem rex Ludouicus capite plecti iusserat, cuius filiam Margaritam, e Ionnae sorore Maria susceptam, coniugem habuit. Quum haec nullis precibus et rationibus maritum a proposito dimouere potuisset; *conscensis nauibus*, inquit Turotzius, (*b*) — *optatis ventis spirantibus, alta maria sulcat, — quousque Segniense applicuit ad litus. Est enim Segnia maritima ciuitas, — in qua ipse rex Carolus condecenti hospitio acceptus*

(*a*) De Car. Par. cap. 2. (*b*) Ibid. cap. 4.

acceptus est. Segnienses enim ciues Italico de principe laetabantur; nam ipsi Italica potius, quam veteri patriae lingua garriunt.— Idem rex, — ab illic suorum mouens agmina, — ad ciuitatem Zagrabiensem, vbi illum eiusdem ciuitatis episcopus, in multarum affluentia rerum, grata hospitalitate receptum, fouit. Placuit igitur regi Carolo interim, donec sui Hungariam per omnem fama diffunderetur, ciuitate in eadem exspectare. Labitur iterum Turotzius, quum adiunctis verni temporis hoc iter Caroli circumscribit. Nullum ille ver, acceptis ex Hungaria nunciis, superuixit. Nam anno sequente 6. Februarii vulnere letali percussus, corruet. Hoc autem anno 6. Febr. Nuceriam, ad quam Vrbanus VI. se receperat, cepit ac incendit, vt ex Niemio, qui rebus gestis intererat, Fleurius refert: (a) *Tum*, inquit, *arcem, cui papa se incluserat, obsidione cinxerunt, quae 7. mensibus durabat.— Vrbanus vero quotidie ter quaterue, cum face ac tintinnabulo stans ad fenestram, hostilem exercitum detestatione sacra deuinciebat.* Quum igitur ante mensem Augustum obsidio soluta non fuerit; Carolus non in vere, sed sub exitum aestatis iter hoc fecit, et 4. Sept. Barletta profectus, octauo die Segniam appulit. (b)

§. VI.

(a) Libr. XCVIII. §. XXII. XXIII. (b) Hist. Cr. T. XI. p. 104.—121.

§. VI.

CAROLVS II. REX XXIX.

Coepit A. C. 1385. *desiit A. C.* 1386.

A. C. 1385. *Car.* 1. *Ind.* 8. *P.* 2. *A.*

CVIII.

Aduentantis Caroli fama Budam nunciata, nuptiae Mariam inter ac Sigismundum deproperatae sunt, vt proceribus, imperium muliebre factioni praetexentibus, hoc seditionis velum eriperetur, soliumque Bohemicorum auxiliorum spe firmius redderetur. *Quum*, inquit Turotzius, (*a*) *haec erga Carolum regem aguntur; caesareus natus* (Sigismundus) — *fide pariter et thoro prius condictas nuptias firmauit. Hic enim, rege Ludouico superstite, vt in futurum regnaturus, Hungarico informaretur idiomate, simulque et mores hominum acciperet; per parentes domo imperiali reginae in aulam translatus erat. Ne igitur insidiis aduenientis tyranni, connexique illi furia populi circumueniretur; deserta coniuge, patrios ad fines fugit. Harum nuptiarum dum fama ad Carolum delata est; spem eius, res secundas aspicientem, magna in parte minuit. Caesarem enim nati* (fratris) *praeiudicio excitari, et in suas res vim et arma inferre cogitabat.* Carolus caesar, Sigismundi pater, iam anno 1378. mortuus, arma pro filio sumere non potuit. Haec igitur de Wenceslao, Sigismundi germano, qui tunc imperitabat, accipienda sunt. Carolus, apud Zagrabiensem episcopum trimestri spatio commoratus, quum a con-

(*a*) De Car. Par, cap. 5.

iuratis omnia tuta post Sigismundi fugam intelligeret, ac sibi persuaderet; Budam venit reginasque circumuenit. Omnia hic simulatis vtrimque verbis agebantur. Non ignorabant reginae, quo consilio Carolus ex Italia venerit; aduentus tamen eius caussam per legatos exquisiuerunt, quibus ille responsum amicitiae simulatae reddidit, ad dissidia tollenda tranquillitatemque conciliandam et pacatum Mariae regnum reddendum se venisse. Haec quoque fingi reginae nouerunt, dissimulato tamen dolore, venienti sollemniter occurrerunt, ac ipsae fictas itidem pro tanto labore gratias eidem egerunt. Ille, sumto non regis, sed gubernatoris titulo, comitia Hungaris edixit. Hic, pluribus sibi conciliatis, postquam factiosi plebem, in vtramque partem vehementem, concitassent; ausi sunt tandem coniurati regnum a Maria repetere, Carolo tradendum, qui mox Italos milites castri custodes constituit. (*a*)

CIX. Carolus, extorto hunc in modum reginae consensu, rex omnium voce proclamatus, cum magno comitatu procerum et nobilium, Albamregalem, consuetum coronationis locum, acceleratis itineribus, petiit. Ad triste hoc spectaculum reginae quoque sunt inuitatae, quae mox in sacellum, a Ludouico rege constructum, se receperunt, ac marmoreum illic conditi regis simulacrum multis lacrimis irrigarunt. Resumtis animis, in magnificam basilicam, in qua primos et vltimos honores Hungari regibus suis exhibere solebant, concesserunt. Hic vbi Strigoniensis archiepiscopus, pro more temporis illius, quo reges non hereditate, sed

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 121.—131.

ſed electione coronam adipiſcebantur, ter ſublata voce ſenatum populumque Hungaricum interrogabat: *Si Carolus placet in regem!* non, vt alias, laetis vocibus acclamabatur: *placet.* Haec omnia Laurentius de Monacis eleganti carmine deſcripſit, ac ita triſtia quaedam omina ſubiicit: (a) „Ecce
„ autem infauſtum regi mox panditur omen. Nam
„ de more, ſacrae dum poſt ſollemnia miſſae,
„ regali in pompa, procerum comitante caterua,
„ rex templum egreditur, oſtroque auroque mi-
„ cantem aſcenſurus equum, Stephaniqve inſignia
„ ſancti regia procedunt, iam tot ſeruata per an-
„ nos, relligione pia, venturis regibus, illud miſ-
„ ſile vexilli, quo freta eſt auſpice dudum prima
„ dies regni, tactum teſtudine valuae, frangitur
„ in partes, dedignatumque tyrannum et regum
„ auſpicio et ſacris regalibus vti. Et dum ſecu-
„ rus Budae male parta teneret; ſucceſſu infauſto
„ fatalis fraudis ouantem ex alto omnipotens
„ oſtentis territat atris. Turbine terribili rapido-
„ que volumine ventus horrifer emergit, quantum
„ per ſecula nulli Hungariae meminere ſenes: tur-
„ resque ſuperbas elatasque domos Budae vi fla-
„ minis acris concutiens, tremulare facit, vertit-
„ que per auras culmina, ceu volucrum plumas.
„ — — Iam penes occaſum pompae vitaeque
„ ruinam per triduum, dictu horrendum! nume-
„ roſa caterua coruorum ſcandit regis ſublime cu-
„ bilis culmen, et horriſono crocitamine ſidera et
„ aures attonat humanas, verſisque in vulnera
„ roſtris mutua: deplumant alternis ictibus artus:
„ purpureoque nigrae rubuerunt ſanguine pennae."

(a) Carm. de Car. Par. p. 333.

Haec ostenta, quibus interitum regis historicus hic poeta portendi censebat, Turotzius itidem attingit; sed e suo rursus perperam illud addit: *Quum vero securus castro in Budensi manens, noua gloriaretur de dignitate; illum DEVS atris ab alto portentis territat. Diebus enim* autumni *mediis, nimbus* — Nullum autumnum, nullum ver, nullam aestatem in Hungaria Carolus, ad solium euocatus, egit. Hieme venit, hieme periit. Spondanus ait, (*a*) *vltima Decembris*, quae *dominica* hoc anno fuit, coronatum esse. Quae chronotaxis lucem accipiet e Mariae litteris, quibus anno sequenti Blasium Forgách remunerata fuit, ob caesum Carolum, de quo iam agemus. (*b*)

A. C. 1386. *Car.* 1. *Ind.* 9. *P.* 22. *A.*

CX. Laudatus Forgachius, reginae Mariae semper fidus, apud quam magistri pincernarum munere fungebatur, vnus omnium maxime videbatur idoneus, qui, sublato Carolo, pristinam illi dignitatem vindicaret. Turotzius id factum asserit anno 1385. Quam sententiam, a quibusdam aliis adoptatam, satis superque refellit diploma, quod *Karolus, D. gr. rex Vngarie, Ierusalem et Sicilie — fidelibus suis, capitulo ecclesie Alben. Transsiluane*, dedit *Bude, sub paruo suo sigillo, die XV. Ianuarii, VIIII. ind. A. D. MCCCLXXXVI.* (*c*) Sequenti quoque mense, priusquam tristi nece sublatus fuisset, regias litteras in fauorem Valentini de Fejéregyház dedit: „ Consideratis, *inquit*, fide„ lium seruitiorum meritis ipsius Valentini, quibus „ ille

(*a*) Ad an. 1385. n. 7. (*b*) Hist. Cr. T. XI. p. 131.—136. (*c*) Ex MSS. Cornides.

„ ille primitus olim ſer. principi D. Lodouico, re-
„ gi Hung. venerando, domino et patri noſtro
„ cariſſimo, fel. rec. et tandem, eodem, nutu di-
„ uino mediante, absque heredum maſculinorum
„ ſolatio, de hoc ſeculo deceſſo, nobis ex hoc,
„ vti vero fratri ipſius condam D. regis, ad ſolium
„ dicti regni noſtri Hung. ſuccedentibus, et ſce-
„ ptrum regiminis eiusdem regni noſtri feliciter,
„ annuente domino, gubernantibus, — ſtuduit —
„ complacere. — — Budae, in feſto B. Agathae V.
„ et M. anno dom. MCCCLXXXVI." Poſtridie,
ſi Turotzium audimus, anno [illegible]en ad fidem ho-
rum diplomatum apud eum correcto, Carolus re-
gnare, non tamen illico viuere deſiit. *Erant*, in-
quit, (a) *tunc rigidi menſis Febr. dies, feſta vir-
ginis ſacratae, cui Chriſtus roſas cum pomis ſuo
miſiſſe de roſario recolitur* (S. Dorotheae) *domini-
caeque incarn. mille trecentos octoginta poſt annos
quintus* (ſextus) *nouo volumine currebat; quum re-
gina Eliſabeth, illius diei circa occaſum*: „ a mar-
„ chione Sigismundo, genero ſuo, nouas ſibi al-
„ latas litteras, *regi Carolo intimauit; rogans ipſum*,
„ vt ſuam deſcenderet in domum, et diſſolutio-
„ nem ſimul et ſecreta litterarum intueretur, ac
„ occulta, quae ſecum haberet, conferre audiret."
*Infelix Carolus, — cubili ab alto deſcendens, Ita-
licis comitatus aulicis, reginale adiit hoſpitium. Ea-
dem et palatinus Garenſis hora, — plurimam ſecum
trahens cohortem, caſtrum regale intrauit, ſuisque
cateruatim, prout illis commiſerat, in portis caſtri
remanentibus, ipſe ad palatium, quod regem ac re-
ginam ſimul tenebat, ſequenti luce, ad filiae nu-
ptias ſe tranſiturum diſſimulans, vt domino dominae-*
K 4 *que*

(a) De Car. Par. cap. 8.

que suis valediceret, coniuratam sub veste ensem accinctum secum deferens, intrauit. Regina igitur et palatino regis ad latera sedentibus, et variis tractatibus incumbentibus, Italici sponte consilio cedunt, domoque egressi bini et bini, vt eorum moris est, per castrum feruntur. Dum ergo palatinus congestum ad facinus optatum tempus se exhibere vidit; Blasium Forgách adstantem obliquo lumine intuitus est. Ille, accepto signo, de sub chlamyde mox rutilantem educens gladium, illum in regem in tantum fulminat, et in ferrum virtute brachiorum ipsum graui ictu aggrediens, verticem simul et supercilium lumenque eius medium miserabili vulnere scindit; et scelere commisso, aulam egrediens, Italicis ingenti vndique clamore et concursu inualescentibus, ense cruentato, palatinales vsque ad turmas sibi viam aperit. (a)

CXI. Atque hic fatalis ictus eius regno, non tamen vitae, finem imposuit. Nam, collectis viribus extremis, *infelici surgens, in quo sedebat, de loco*, pergit Turotzius, *lento nutantique gressu procedens, per pauimentum cruore longa vestigia signabat; et cubile, a quo sanus descenderat, aeger adiit. — Palatinus vero, conceptum nefas se peperisse laetatus, munimina castri intrepidus aggreditur; portasque simul et arces Hungaricis reparat armis. Italici autem, sine principe, sine armis, medios se volui inter hostes, ac regem sanguinem fundere, dum conspiciunt; — castrum egressi, totam percurrunt ciuitatem;* — et *primae noctis sub tenebris, regalibus comitati fautoribus, fugientes, Italicas tendebant versus oras. Eiusdem tandem noctis sub conticinio, reginales et palatini complices, — regale*

gale

(a) Hist. Cr. T. XI. p. 136.—141.

gale irruentes ad cubile, — *regem saucium extrahunt, et captum altae turri seruandum tradunt.* — — *Et quum Titaneus axis rubentem aduexit auroram;* — *cumulatis viribus, plateas ciuitatis vagantur per omnes; et* „ regem regnare Mariam " *clamitant;* — *irrumpentesque domos Italorum, congestas illorum gazas voraci praedae exponunt.* — *Rex postea Carolus tollitur, et celsam ad arcem Visegradi seruandus mittitur; vbi vulneri, vt quidam aiunt, venenata medela adhibita, faucibus elisis et respiramine clauso, moestam consummauit vitam.* — *In claustro S. Andreae, infra arcem Visegradiensem praedictam constructo, non paucos per annos, tabidum in cadauer redactus, intumulatus iacens, aerumnae humanae ingens spectaculum, regibusque futuris documentum et exemplum satis grande praebuit.* Estense chronicon desigit caedem (*a*) ad huius anni *diem VII. Febr.* mortem autem eiusdem regis *ad XXIV. Febr.* Fleurius e Niemio characteres illius ita pingit: (*b*) *Erat statura breui; vnde Carolus Paruus plerumque dicitur, capillis flauis, facie decora, voce amoena, incessu moderato; probe versatus in poematibus et historiis, quibus oblectare se post cibum solebat. Occisus est anno aetatis suae quadragesimo;* regni die 39. quod ex Mariae diplomate mox videbimus. (*c*)

---

§. VII.

(*a*) Ap. Murat. T. XV. col. 512. (*b*) Libr. XCVIII. §. XXX. (*c*) Hist. Cr. T. XI. p. 141.—148.

§. VII.

MARIA RESTITVTA, REX XXVIII.

Coepit et desiit A. C. 1386.

A. C. 1386. *Mar.* 4. *Ind.* 9. *P.* 22. *A.*

CXII.

Princeps Mariae, solio restitutae, cura fuit, vt illum, cuius opera suum aemulum e medio sustulit, regia munificentia remuneraretur. Carolo iam 24. Februarii mortuo, Forgatsio Gimesium, in patrati facinoris praemium, prid. kal. Martii vel contulit, vel abalienatum restituit. Rem ab eo gestam in litteris regiis, in eius fauorem confectis, ita dilaudat: (*a*) „ — Quidam Carolus de Duratio, „ rex Hierosolymae et Siciliae, non iusta vsus ra„ tione, sed affectu cupiditatis ductus, — quorum„ dam nostrorum rebellium infidelium verbis alle„ ctus, — regnum nostrum subiit, — et in tan„ tum — palliata malitia laborauit, vt se in regem „ ipsius regni nostri Hung. — fecerit coronari; nos„ que, quemadmodum promittebat prius, in co„ rona nostra et eius ditione tueri, — ipsa coro„ na proditorie priuauit, et regimine regni nostri „ spoliauit. Immo, quod deterius est et inaudi„ tum, serenissimam principem et D. Elisabetham, „ reginam Hung. Pol. Dalm. — genitricemque no„ stram carissimam, cum cunctis suis praelatis et „ baronibus, facere iugulari ac exterminari, ac nos „ in exsilium redigi, clamdestine decreuit. Vbi fi„ delis noster miles, M. Blasius, dictus Forgách, — „ leonina fretus audacia, vti vir strenuus, audito et

(*a*) Ap. Pray Prior. Aur. p. 23.

„ et percepto praemisso nefas et sceleroso conce-
„ ptu, iniuriam praemissam — malens — vindica-
„ re, quam tolerare, se et personam suam, ac
„ fratrum et omnium proximorum suorum, casui
„ mortis et fortunae opponendo, — ipsum Caro-
„ lum regem, *trigesimo nono* die praemissae perni-
„ ciosae coronationis, — audacter est aggressus,
„ et ipsum tam immaniter inuasit, et adeo cre-
„ bris sibi datis bicillorum ictibus plagas sibi im-
„ posuit, quod paullo post paucos dies spiritum
„ emisit. — — Dat. Budae, feria IV. prox. ante
„ dom. *Esto mihi*, an. dom. MCCCLXXXVI." Carolus igitur ante kalendas Martii non tantum caesus, sed etiam exstinctus est. Ioannes Horuathius, vnus e praecipuis coniuratis, Buda post Caroli caedem elapsus, magnas in Croatia turbas excitabat, quarum metu reginae tantisper intra Budae moenia se continebant. Hic Maria quasdam Wilhelmi, quondam Quinqueecclesien. episcopi, litteras transsumsit, *feria 2. prox. post dom. Oculi.* Hic factam ecclesiae Vesprimiensi donationem ratam habuit, *in festo natiuitatis B. Ioannis B.* Sequenti mense Strigonium profecta, pro Cibiniensibus diploma dedit, *die dom. prox. post festum S. Margarethae V. et M.* Quum igitur anno sequente sub initium mensis Iunii libertatem recuperauerit; annum integrum in captiuitate non exegit. (*a*)

CXIII. Excubabat ad Iaurinum cum exercitu Sigismundus, vt motus, siqui post Caroli caedem excitarentur, reprimeret. Nam illic eum constitisse mense Maio, patet ex illo diplomate, quo litis arbitrium de Morauia Wenceslao fratri detulit, hoc vsus

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 148.—156.

vsus titulo: (*a*) „ Nos Sigismundus, D. gr. mar-
„ chio Brandeburg. S. R. I. archi - camerarius. — —
„ Dat. in campo prope Iaurinum, A. D. MCCC-
„ LXXXVI. die 11. Maii. " Nec Elisabetham adhuc captam esse, dum haec scriberentur; immo nec Buda profectam post vnum a datis illis litteris mensem, apparet ex foedere, quod cum Wladislao, destinato Heduigis marito, pepigit, (*b*) *Budae in vigilia pentecostes* (IX. Iun.) *A. D. MCCCLXXXVI.* Haec pactio videtur indicare, iam tunc, quum ea confecta fuit, Wladislaum, Iagellonem antea dictum, et Poloniae regem, et Heduigis coniugem fuisse. Quod etiam chronista Salisburgensis his verbis affirmat: (*c*) *MCCCLXXXVI. — Filius ducis Austriae Leopoldi, Wilhelmus nomine, de Cracouia est expulsus; et regina Cracouiae, filia regis Vngariae, cum qua dictus dux Wilhelmus matrimonium contraxerat, post ipsius expulsionem, regi Lithuaniae, praedicto matrimonio non obstante, matrimonialiter est sociata, ex dispensatione D. Vrbani PP. VI. qui rex occasione eiusdem matrimonii ad fidem catholicam conuersus, sacrum baptisma suscepit.* Dlugossus quoque hoc matrimonium ad an. 1385. in margine notatum, refert, at notae chronologicae, quibus acta distinguit, annum sequentem indicant. (*d*) Ait enim Iagellonem Cracouiam ingressum *die Martis, XII. Febr.* sacro latice tinctum et Heduigis connubio iunctum, *die Iouis, XIV. Febr.* coronatum denique *XVII. Febr. quae in dominicam quinquagesimae cadebat.* Anno 1386. quo pascha fuit 22. Apr. littera dom. G. non incidit in *diem*

Martis

(*a*) Ap. Balb. et Pray P. II. p. 178. (*b*) Ap. Dogiel T. I. P. I. p. 40. (*c*) Ap. H. Pez T. I. col. 429. (*d*) Libr. X. col. 101.—105.

Martis XII. Febr. sed in diem lunae; nec in *diem Iouis XIV. Febr.* sed in diem Mercurii; nec in *XVII. Febr. dominica quinquagesimae*; sed in IV. Martii. Quum igitur hi characteres chronologici conueniant anno 1387. quo pascha fuit VII. Apr. littera dom. F. dicendum est, vel Dlugossum tam connexos errores commentum fuisse, vel Wladislai baptismum et matrimonium ad an. 1387. figendum esse, quo pontifex etiam Vrbanus VI. illi de conuersione gratulatus est, *litteris XV. kal. Maii pont. an. X.* datis. Quia vero Heduigis, a Polonis persuasa, matrimonium, ab impuberi cum Wilhelmo contractum, non obligare, consensit in Wladislaum; per regium sanguinem Hungaricum et Poloniae regnum, et religio catholica magnum accepit incrementum. (*a*)

CXIV. Ex litteris supra citatis, tam ad Wladislaum ab Elisabetha *IX. Iunii*, quam pro Vesprimiensibus a Maria *XXIV. Iunii*, Budae datis, apparet, illos scriptores patrios errare, qui reginarum captiuitatem vel ad annum superiorem, vel ad anteriorem Iunio mensem designant. Immo Mariam adhuc Strigonii fuisse 15. Iulii, patet ex diplomate, pro Cibiniensibus mercatoribus ibidem dato, *die dom. prox. post fest. S. Margarethae V. et M. anno dom.* 1386. Quare Turotzius, qui quartam chronicorum partem, cuius solius auctor vere dici potest, hic inchoat, bene quidem inauspicatum reginarum iter ad mensem Iulium differt; in anno tamen designando grauiter labitur. Errat etiam in adiunctis quibusdam captiuitatis, quam ita describit: (*b*) *Rege Carolo nequiter peremto, et regni habenis*

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 156.—172. (*b*) Chron. P. IV. cap. I.

habenis rurſus per reginas arreptis; regis Caroli qui erant auxiliarii, metu concutiuntur non modico, et partes ſibi tutas quaeritantes, non minus regem exſtinctum vindicare ardebant. Reginae autem et palatinus omnia eis contraria, ipſo rege interfecto, complanaſſe et deiiciſſe arbitrantes; illa parte anni inſtante, quum ſol feruidus, leonis ingrediens ſignum, feruido meſſores quaſſabat aeſtu; infelices reginae ſimul et palatinus, dementia ductrice, aulicorum tantum comitati cateruis, Budam egrediuntur, et partes regni luſtrant inferiores. Et quum celeberrimo die feſti B. Iacobi ap. verſus oppidum Diako, nulla inſidiarum ſuſpicione pulſati, medium graderentur per campum; Ioannes de Horuáth banus, ingenti hoſtilitatis manu collecta, vltrici aeſtuans animo, furibundus in agmina aulicorum irruit. Graue certamen committitur hoſtes inter vtrosque. Et quum reginales palatinalesue gentes imparitate hoſtium ſe excedi viderent; illi, qui nondum ceciderant, terga dantes, praecipiti fugae ſe commiſerunt. Blaſius vero Forgách, vt erat audax, primitias excipiens congreſſus, ex impulſu hoſtilis lanceae medios inter bellantes deiectus ab equo, capitur; et intuentibus reginis, decollatur. Garenſis autem palatinus, dum tanti discriminis praeſidium ſolum eſſe mortem conſiderat; deſcendens ab equo et reginarum iunctus currui, in hoſtes gladio vtitur, ſeque ac reginas viribus defendit totis. Sed, quid profuit ſolitariae manus defenſio? quum vndique inimicum inſiſtens brachium cum letalibus ſagittarum ictibus ſauciabat, quas ille, ſuo infixas corpori, ne ſibi feriens praepediretur manus, arundinum ad inſtar confringebat: et interim tantae cohorti obſtitit; donec per quemdam militem reginali de ſub curru, vnde non timebat, per pedes arreptus, in terram deiicitur; ac re-

ginis

ginis et earum pedissequis, futurae mortis metu, stridenti clamore inualescentibus, ibidem capite truncatur. Quo peremto, et reginalibus aulicis, aliis deletis, aliis fugatis, feritas illa Croacorum, honoris ignara, reginales currus inuadit pariter et euertit; ac reginas simul et domicellas earum, sine venia sexus, et absque reginalis reuerentia dignitatis, curribus de eisdem extrahendo, et multis afficiendo contumeliis, captiuas sui boni adducunt in praesentiam. (*a*)

CXV. Vera haec esse, discimus ex diplomate, tam a Sigismundo 1408. (*b*) quam ab Alberto rege familiae de Gara dato; (*c*) neque haec diplomata, quum *versus oppidum Gara* nefarium hoc facinus a coniuratis attentatum fuisse perhibent, Turotzio, qui *versus oppidum Diako* hoc factum esse docet, contraria sunt; nec enim *Gara*, hodie *Gorian* a Diakovár procul abest. (*d*) Cetera tamen, quae Turotzius subiungit, cum veteribus scriptoribus et diplomatibus conciliari non possunt. Scribit enim ille, *reginam Elisabeth*, sequenti nocte, *frenatis faucibus, amnis Bozwtha altas demersam in aquas* fuisse. Nec tempus, nec locus, nec genus Elisabethae mortis ab eo hic rite consignatur. Nam Paullus de Paullo, scriptor synchronus, eius mortem ad sequentem annum ita differt: (*e*) *MCCCLXXXVII. — XVI. Ianuarii, applicuit nouum, quod D. regina senior obiit in castro Nouigrad in captiuitate. — Die sabbathi, IX. Februarii, fertur, quod corpus*

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 172.—174. (*b*) Ap. Pray Ann. P. II. p. 177. (*c*) Ap. Kaprin. H. Dipl. P. I. p. 358. (*d*) Koll. H. E. Quinqu. T. III. p. 157. (*e*) Ap. Schwandt. T. III. p. 726.

corpus praedictae D. reginae fuit portatum Iadram, et repositum in monasterio S. Grisogoni. Caresinus quoque, non aquis haustam, sed in carcere caesam Elisabetham ita refert: (*a*) *Ductis captis matre et filia apud Iadram; subsequenter ipsa regina Elisabeth exstitit in carcere, proh dolor! interfecta.* Sigismundus quoque testatur, eamdem in captiuitate caesam fuisse: *in qua quidem*, inquit, (*b*) *captiuitate, ipsa D. mater nostra, proh dolor! per eosdem miserabiliter exstitit interemta.* Si Turotzium audiamus; locus captiuitatis Mariae Krupa fuit. Sic enim ille scribit: (*c*) *Regina iunior in castro, Crupa denominato, in partibus Croatiae situato, tenebatur.* At Caresinus ibidem alium illi captiuitatis locum his verbis assignat: *Rex autem Maria diu detenta fuit in carcere castri Noui.* Paullus item de Paullo, *liberata fuit*, inquit ibidem, *a captiuitate, et exiuit de castro Nouigrad, in quo detinebatur.* Quae conciliari facile possunt; si dicamus, primum Krupam, prioris Auranae iuribus obnoxiam, eamdem ductam, deinde Nouigradum traductam fuisse. Locum captiuitatis Caresinus *castrum Nouum*; *Nouigrad* Paullus; Sigismundus in diplomate sequentis anni castrum *Ujvár* appellat; quae nomina variis linguis idem significant. (*d*)

---

§. VIII.

(*a*) Ap. Luc. L. V. C. II. p. 409. (*b*) Ap. Kerchel. Not. Prael. p. 382. (*c*) Chron. P. IV. cap. 2. (*d*) Hist. Cr. T. XI. p. 175.—181.

§. VIII.

SIGISMVNDVS, REX XXX.

Coepit A. C. 1387. *desiit A. C.* 1437.

A. C. 1387. *Sig.* 1. *Ind.* 10. *P.* 7. *A.*

CXVI.

Sigismundus, stirpe Lucemburgica natus anno 1368. patrem habuit Carolum IV. imp. auum Ioannem, Boh. regem; proauum Henricum VII. imp. cuius filiam, Beatricem, Carolus H. R. Sigismundi vero sororem, Margaritam, Ludouicus H. R. connubio sibi iunxerant. Sigismundus igitur, tantis maioribus ortus, Ludouico dignus est visus, cui primogenitam suam, Mariam, vxorem destinaret anno 1372. desponsaret an. 1377. Nuptiis anno 1385. cum Maria celebratis, nonnisi 10. annis cum ea conuixit, ad quam e captiuitate liberandam, copiis propere collectis, expeditionem in Dalmatiam suscepit, ac ineunte hoc anno iam illum in Croatia fuisse, hae Chasmensis capituli litterae docent: (*a*) „ Illustrissimo principi D. Sigismundo, D. gr. „ marchioni Brandeburg. S. R. I. archi - camerario. „ — — Datum in Kaproncha, fer. V. prox. post „ festum epiphaniarum domini, anno eiusdem MCCC- „ LXXXVII.“ Indidem eodem mense Ianuario, *sabbato prox. post diem S. Antonii conf.* addito sibi nouo titulo, litteras Sigismundus hoc initio dedit: (*b*) „ Nos Sigismundus, D. gr. march. Brand. „ S. R. I. archi-cam. nec non *regni Hung. capita-* „ *neus*

(*a*) Ap. Pray Diss. VII. p. 142. (*b*) Ibid. et p. 151.

„ *neus et dominus.* —“ Hunc illi titulum et ampliorem Hungari poteſtatem contulerunt; poſtquam factioſi reginas in captiuitatem coniecerunt: qua kalendis Martiis vſus erat, quum ſua Ginſienſibus priuilegia confirmauit, ac in fine haec addidit: (*a*) „ quas litteras ipſis ciuibus noſtris, dum, dante „ domino, ſceptro et corona regni Hung. feliciter „ inſigniti fuerimus, confirmare volumus et corro- „ borare. Datum in Kewſegh, fer. VI. prox. ante „ dom. *Reminiſcere*, A. D. MCCCLXXXVII.“ Atque hinc apparet, Sigismundum amplam poteſtatem ante coronationem, quae iam conſtituta, poſtremoque huius menſis die peracta fuit, exercuiſſe. Dlugoſſus ante, Turotzius poſt captiuitatem Mariae, Sigismundo coronam impoſitam eſſe perhibet. Neutrum bene. Nec enim ante captiuitatem Sigismundus in diplomatibus rex ſcribitur. Nec Maria captiuitate fuit exemta, quum Sigismundus ſe coronatum ita teſtatur: (*b*) „ — Nemine discrepante, „ in dominica Ramis palmarum, in anno dom. „ MCCCLXXXVII. tunc euoluta, cum ea ſolle- „ mnitate, quam regalis culminis requirit faſtigium, „ nos conſcendentes in thronum regiminis, — per „ manus ven. patris quondam D. Benedicti, Ves- „ prim. eccl. epiſcopi, dicta alma eccl. Strigon. ſuo „ paſtore et gubernatore — pro tunc vacante. —“ Careſinus igitur optime tempus coronationis Sigismundi conſignauit, dum ait a Venetis miſſum in Hungariam legatum, Pantaleonem Barbo, qui Hungaros ad coronandum Sigismundum *regis Mariae detentae maritum*, induxerit. *Et ſic*, inquit (*c*) *MCCC-*

(*a*) Ex MSS. Cornid. (*a*) Pray Hier. P. II. p. 109. (*c*) Ap. Luc. L. V. C. II. p. 409.

MCCCLXXXVII. vltimo Martii, in dominica palmarum, exstitit in Albaregali, ante altare BB. MARIAE, sollemnissime coronatus. (*a*)

CXVII. Errat igitur Turotzius, quum scribit, (*b*) Mariam, venia Horuathio iureiurando promissa, liberatam, Budamque deductam esse; tandem, illa satagente, Sigismundum diadema regium suscepisse festo pentecostes anno 1386. Certe nondum illam libertati restitutam fuisse, quum Sigismundus corona redimitus erat, Caresinus his verbis innuit: (*c*) *Rex atque regnum diu laborauit pro regis Mariae liberatione.* Liberatae tandem Mariae gloriam Veneris tribuit, qui priorem Auranae suis armis ad eam restituendam coegerint, Segniamque suis galeis eamdem deduxerint. Ceterum plures etiam ex Hungaris, Dalmatis et Croatis ad eam liberandam concurrerunt, postquam illos ad arma contra seditiosos sumenda Sigismundus post coronationem adhortatus est, (*d*) *Budae in die coenae domini, A. D. MCCCLXXXVII.* Patet ex aliis tam Sigismundi, quam Alberti diplomatibus, quantum in eam rem praestiterit Nicolaus Gara, caesi palatini filius, qui Ioannem Horuatium Posegae cepit, quem tamen Stephanus de Simontornya perfide dimisit; (*e*) quantum item Ioannes Maroth, qui cum eodem Ioanne Horuathio conflixit; (*f*) quantum Stephanus Losontzius, *capitaneus generalis regnorum Dalm. Croat. Sclauoniaeque, banus Zeurinien*-

 sis.

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 182.—188. (*b*) Chron. P. IV. cap. 2. 3. (*c*) Ap. Luc. L. V. C. II. p. 409. (*d*) Ibid. p. 410. (*e*) Ap. Pray Ann. P. II. p. 182. (*f*) Ap. Kerch. Not. Prael. p. 382.

sis. (*a*) Tot Hungaris et Croatis vndique pro salute Mariae fortiter pugnantibus, difficile non fuit Venetis Auranae priorem, ab Horuathio iam destitutum, ad Mariam reddendam cogere. Paullus de Paullo scribit, (*b*) anno 1387. die 4. Iunii, Mariam, a captiuitate liberatam, exiuisse de castro Nouigrad; iuisse 7. Iunii Nonam; 15. Iunii Segniam; 1. Iulii Zagrabiam, vbi 4. Iulii cum Sigismundo conuenit. Eadem Maria *Crisii*, *feria III. ante festum B. Laurentii* Stephano Kanisai diploma dedit. (*c*) Cum eiusdem reginae consensu Sigismundus Iuanio duas possessiones contulit, *Budae in festo. B. Catherinae V. et M.* Eadem die Ioanni Vegliensi prolixum ibidem diploma dedit, cui, quod ex castro *Ujvár* Maria liberata sit, adscribit; quae porro non plus potestatis, quam ordinariae reginae habebant, arrogasse sibi videtur. (*d*)

A. C. 1388. *Sig.* 2. *Ind.* 11. *P.* 29. *M.*

CXVIII. Sigismundum pleno iure, tam ante, quam post liberatam Mariam, potestatem regiam exercuisse, patet ex donatione possessionis Somogy, *Ioanni, quondam vaiuodae Russiae, et magistro Desew, filiis Benedicti de Kapolya, fratribus quondam archiepiscopi Strigoniensis*, quam primum fecit (*e*) *Budae fer. V. prox. post festum paschae domini, anno eiusdem MCCCLXXXVII.* Deinde vero, post Agriensis capituli de peracta statutione relationem, confirmauit, *anno dom. MCCCLXXXVIII. quarto kal.*

(*a*) Ap. Kerch. H. E. Z. p. 147. (*b*) Ap. Schwandt. T. III. p. 726. (*c*) Ap. Kerch. H. E. Z. p. 337. (*d*) Hist. Cr. T. XI. p. 189.—218. (*e*) Ap. Wagn. Sep. P. IV. p. 9.

kal. Iunii, hoc vſus titulo: „ Sigismundus, D. gr. „ Hung. Dalm. Croat. Ram. Seru. Gallic. Lodom. „ Cuman. Bulgariaeque rex, ac march. Brande- „ burg. S. R. I. archicamerarius, nec non Boh. et „ Lucenburgenſis heres. — " Subſcripti ſunt: Valentinus, tit. S. Sabinae S. R. E. presbyter card. et almae eccl. *Quinqueeccl.* gubernator; Ioannes archiep. *Strigon.* Ludouicus *Coloc.* — Ioan. *Varad.* Emericus *Tranſſiluan.* Stephanus Cyzow *Agr.* Ioannes *Zagr.* Ioannes el. *Bosn.* Ioannes *Iaur.* Demetrius el. *Veſpr.* Ioannes *Sirm.* Petrus *Vac.* Ioannes *Chanad.* Gregorius el. *Nitr.* — Stephanus *palatinus*; Ladislaus *vaiuoda Trans.* Emericus Bubek *iudex curiae*; — Ladislaus de Loſontz *totius regni Sclau.* Dionyſius, filius Thomae, *regnor. Dalm. et Croat.* Nicolaus de Gara *Machouien. bani.* Heredem Bohemiae hic Sigismundus ſe vocat; quia ius ſuccedendi Wenceslao fratri, ſi ſine legitimis heredibus is deceſſiſſet, habuit. At paullo poſt, datis 3. *Iulii* litteris, (*a*) in poſſeſſione regni Hungariae iam ſe firmum ratus, omne hoc ius Ioanni, fratri natu minori, ceſſit. Sed enim ille, fratribus ſuis anno 1395. praemortuus, hoc ſuccedendi iure frui non potuit. Vt autem Sigismundus adulto mori, quo coronati reges aliquid eccleſiae Strigonienſi donare ſolebant, ſatisfaceret, licet a Benedicto Veſprimienſi, vacante ſede Strigonienſi, coronam ſuſceperit; metropolitanam tamen eccleſiam inſigni dono muneraturus, quasdam eidem poſſeſſiones contulit, (*b*) *Budae, in feſto conceptionis virginis glorioſae, anno dom. MCCCLXXXVIII.* (*c*)

L 3 CXIX.

(*a*) Ap. Pray Ann. P. II. p. 183. (*b*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 108. (*c*) Hiſt. Cr. T. XI. p. 218.—238.

CXIX. Ex hoc diplomate, quo Sigismundus ait, se dominica palmarum anno superiore coronatum esse, supra iam innuimus, Turotzium errare, quum anno 1386. festo pentecostes, praesente Maria, coronatum illum tradit. Anno correcto, dicere fortasse possumus, Mariam, post liberationem suam, praesentibus regni proceribus, omnem regiam potestatem, hoc anno, festo pentecostes, in Sigismundum transtulisse: qui licet in suis diplomatibus consensus Mariae nonnumquam meminerit; id tamen non semper facit. Et alioqui, mortua Maria, consensus etiam Barbarae, coniugis secundae, mentionem saepe facit, quin propterea dici possit, aequatam cum illo potestatem Barbaram habuisse. Kerchelichius refert, (*a*) vtriusque voluntate hoc anno Kanisaiis donatam esse possessionem Korpad, cuius possessor Ioannes Korpad, quum seditiosis adhaesisset, *captus catenatusque Budam allatus, ibidem per vicos et compita in cauda equi tractus, et saxeis aculeis membratim corrosus, et extra muros dictae ciuitatis praecipiti tractatu translatus, ibidem decollatus, et per dolabrum quadripartitus et bis duo in frusta concisus est*. Consimile huic supplicium, Ioanni Horuathio dictatum, Turotzius narrat; (*b*) sed id melius referri potest ad an. 1392. quo castrum Dobor verisimilius expugnatum est. Nunc Horuathius, in Bosniam elapsus, ceteris factiosis se coniunxit, in quos Nicolaus Gara, nonnullis Sclauoniae castris expugnatis, copias suas dimisit, praelioque commisso, victi perduelles, et quidam ad Sigismundum, meritas daturi poenas, adducti sunt, (*c*) inter quos videtur

(*a*) Hist. Eccl. Zagr. p. 337. (*b*) Chron. P. IV. cap. 4.
(*c*) Ap. Kaprin. H. D. P. I. p. 360.

detur Korpadius illè fuisse, cuius supplicium e Sigismundi diplomate, *fer. VI. prox. ante fest. natiuitatis B. Ioannis B.* dato, retulimus. Praebuit asylum factiosis Stephanus Tuartkus, Rasciae Bosniaeque rex, contra quem, teste Lucio, (*a*) *Spalatenses* — cum Sibenicensibus, Scardonensibus et Breberiensibus foedus iniuerunt, 6. Oct. 1388. Perturbato hoc rerum statu Ioannes, Segniensis episcopus, *in regnis Dalm. et Croat. vicarius generalis*, Iadrae ius dicebat. (*a*) Praeter hunc Sigismundi vicarium, suum eadem regna banum habuerunt Dionysium; suum item gubernatorem Ladislaum Losontzium, simul Sclauoniae banum. Quia vero Spalatensibus extremum exitium seditiosi minabantur; hi legatos identidem ad Sigismundum auxilii petendi caussa miserunt, protestati, (*b*) *quod, si quid fecerint pro salute sua, quod regi forsitan non placeret; imputari sibi non deberet.* Sigismundus, multis curis distractus, interpellatus tamen ab Vrbano VI. qui variis propter schisma necessitatibus premebatur, consensit, vt in eius vsum 4000. flor. aureorum per Hungariae dioeceses colligerentur; (*c*) per *Strigonien.* 600. per *Agr.* 400. per *Iaur.* 300. per *Nitr.* 60. per *Vac.* 160. per *Quinqueeccl.* 320. per *Vesprim.* 260. Praep. et capit. *Alben.* 50. Abbas S. M. *Pannon.* 40. Reliquos fl. 1810. metropolitana Colocensis ecclesia cum suffraganeis suis colligere debuit. (*d*)

(*a*) Ap. Farl. T. IV. p. 122. (*b*) Ap. Farl. T. III. p. 331. (*c*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. I. p. 371. (*d*) Hist. Cr. T. XI. p. 238.—255.

CXX. Vrbano VI. die XV. mensis Octobris mortuo, Bonifacius IX. 2. Nouembris suffectus, si Dlugosso credimus, (a) *paullo post, quam assumtus fuit in papam, Ladislaum, filium Caroli de Duracio, in 17. anno constitutum, in Siciliae regem coronari fecit; patrem vero suum, Carolum, in Pannoniis occisum, necdum tunc sepultum, absoluit.* Quum videret Sigismundus, perduelles in dies magis insolescere; iustam in eos seueritatem exseruit. Ex eorum numero fuit Tybaldus de Zenche, cuius possessiones castellani de Szentlélek filio contulit, (b) *feria VI. prox. post fest. S. Crucis, A. D. MCCCLXXXIX.* Sequenti mense, Lazarus Rasciae despota, bellum cum Turcis acerrimum gessit, in quo tandem ipse quoque cum Amurate, Turcarum principe, periit. Subornauit enim quemdam e suis proceribus, qui defectionis specie, sultani tentorium ingressus, eumdem pugione confodit. Lazarus, ab hostibus captus, ab iisdem in eodem tentorio concisus ac in partes discerptus est. Erat is Nicolai Gara socer, cuius opera reductus ad obedientiam regis, ab eodem auxilia petiit, et verisimiliter obtinuit. Sublatis vtrimque ducibus, victoriam a Christianis stetisse, discimus e Stephani Tuartki litteris, ad Tragurienses datis, (c) *die 1. Augusti anno MCCCLXXXIX.* Tuartkus, his elatus, ad maiora coepit adspirare, beneficiorumque Ludouici, cui coronam debebat, oblitus, Hungariae ditiones incursare. Stephanus autem Bukouitsius, quem patris nomine Lazarum aliqui vocant;

(a) Libr. X. col. 119. (b) Kerchel. H. E. H. p. 337. (c) Ap. Luc. L. V. C. III. p. 415.

cant, vt Baiazethem, Amuratis filium et ſucceſſorem, ſibi conciliaret; Milieuam, ſororem ſuam, coniugem illi dedit. Affinitate tanta ſuperbus, obedientiae Sigismundi ſubducere ſe voluiſſe videtur; quum certum ſit, iſtum hoc anno Raſciae bellum intuliſſe, caſtraque nonnulla ſuae poteſtati ſubieciſſe. Hoc ex gemino Sigismundi diplomate colligimus, quorum altero veniam reo, praemium altero bene merenti largitur. Primo Petrum de Gyulaháza, quod a perfidis cito receſſerit, in gratiam recipit, ac ita laudat: (a) „— In praeſenti noſtro exercitu, contra Raſcianos, noſtros rebelles, habito, „gratis ſeruitiis ſe noſtrae claritati fidelem exhibuit. — Dat. in terra Raſciae, in deſcenſu noſtri exercitus campeſtri, prope caſtrum noſtrum „Boroch, feria II. prox. ante feſt. S. Martini.“ Altero Stephani de Zeredna filio Iacobo ius gladii confert, quod, inquit, (b) „in praeſenti noſtro „exercitu, contra Raſcianos nobis rebelles habito, „in expugnatione caſtrorum, Borith et Chestyn „vocatorum, in terra Raſciae exſiſtentium,“ *laudabilem operam impenderit.* „Datum in Temesuár, in craſtino feſti S. Andreae apoſt. A. D. MCCCLXXXIX.“ Haec igitur expeditio Sigismundo feliciter ceſſit. At interea Spalatenſes, Traguriensſes ac Sibenicenſes, quod a Sigismundo, hic occupato, deſtituti fuerint; Tuartko ſe dediderunt. (c)

A. C. 1390. *Sig.* 4. *Ind.* 13. *P.* 3. *A.*

CXXI. Tuartkus, Spalatenſes arctius ſibi deuincturus, et priuilegia, quae Ludouicus illis conceſſerat,

(a) Ex MSS. Bibl. Quinqueeccleſ. (b) Ap. Wagn. Coll. Dec. I. p. 77. (c) Hiſt. Cr. T. XI. p. 255.—284.

ferat, 8. *Iunii*, et archiepiscopi iura, *die* 30. *Augusti*, hoc anno confirmauit. (*a*) Pluribus maritimis ciuitatibus exemplum Spalati sequutis, Iadra tamen Sigismundo fidelis mansit, liberata maximo hoste, postquam Ioannes de Palisna, prior Auranae, 16. Febr. hoc anno decessisset, vt Paullus de Paullo perhibet. (*b*) Turbis Dalmaticis, quae Sigismundi vires distraxerunt, in rem suam vsa Heduigis, Russiae possessionem armata manu sibi vindicauit, (*c*) et Hungariae possessioni, non item iuribus, eripuit. Quicquid enim titulo Hungariae Ludouicus possedit; id totum ad Mariam, eius primogenitam, iure transiuit. Atqui multis iam locis ostendimus, Russiam rubram Ludouicum, antequam Poloniae regnum obtinuisset, adeoque non iure Polonico, sed Hungarico, possedisse. Non igitur Heduigis, quae Poloniam sortita fuit; sed Maria, quae prouinciarum, sacrae coronae subiectarum, hereditatem a morte patris adiuit, ius in Russiam habuit, et hucusque constanter exercuit. Ceterum ius Mariae I. nunc laesum, Maria II. post IV. fere secula reparauit. Nunc Sigismundus, aliis ditionibus recuperandis intentus, hanc iniuriam dissimulare debuit. Nam eodem tempore, non tantum in Dalmatia Croatiaque Iadrenses aliique tutandi, sed etiam contra Rascios regni limites defendendi, Moldauique, qui sub Maria iugum excusserant, ad officium reuocandi fuerunt. Dum igitur Detricus Bubekius, Sclauoniae banus, ad Tininium excubabat; Nicolaus Gara, Machouiensis banus, Rasciis oppositus, contra Ioannem Horuathium depugnabat. (*d*) Ipse vero

(*a*) Ap. Farlat. T. III. p. 334. (*b*) Ap. Schwandt. T. III. p. 729. (*c*) Dlugoss. Libr. X. col. 116. (*d*) Alb. R. ap. Kapr. P. I. p. 360.

vero Sigismundus alterius contra Moldauos expeditionis legatum assumsit Stephanum Kanisaium, comitem Siculorum; quo praemisso, mox ipse cum exercitu consequutus, teste Turotzio, (a) *quarto postquam coronatus est*, *anno* Stephanum vaiuodam ad pristinam obedientiam reuocauit. (b)

A. C. 1391. *Sig.* 5. *Ind.* 14. *P.* 26. *M.*

CXXII. Postquam Turotzius narrasset, angustiis viarum, per quas a Valachis Hungari sagittis impetebantur, superatis, Stephanum vaiuodam territum, Sigismundo cum suis supplicem accidisse, veniamque precatum et *sinceram post haec fidelitatem et annualem census solutionem* pollicitum, in gratiam a Sigismundo receptum esse; subiicit: *quapropter rex Sigismundus rediens, milites simul et arma unius anni recreauit quiete.* Quies tamen haec vix annum vnum durare potuit; quum constet, Sigismundum etiam hoc anno copias in Turcos eduxisse. Sic enim ipse loquitur in diplomate, quod nobilibus de Markusfalua dedit: (c) „— In praesenti „ nostra expeditione exercituali, contra Turcos, „ nostros et regni nostri aemulos, imperata, qui „ iuxta statuta sanctorum regum et nostram sanctionem, infra limites dicti regni Hung. proficisci „ tenebuntur, *illos* interfuisse attestamur. — Dat. „ in descensu nostro campestri, prope castrum Gerebunk, ipso die B. Ladislai regis et conf. A. D. „ MCCCXCI." Non multo post Sigismundus Turcas extra limites Hungariae propulisse videtur, quum sequenti

(a) Chron. P. IV. cap. 5. (b) Hist. Cr. T. XI. p. 284. —294. (c) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 137.

sequenti mense iam in fauorem Ginsiensium diploma confecerit, *datum Zolii, in festo B. Iacobi ap. A. D. MCCCXCI.* Postquam autem Sigismundus inde recessit; partim Nicolao de Gara, partim Ioanni de Maroth tutandos ditionum Hungaricarum limites commisit. Vterque Turcos incursantes saepius repulit; et ille quidem, vt ex Alberti diplomate patet, (*a*) *in custodia regni Hung. deputatus, loca ipsorum hostium pluries inuadens, cum eisque militares agens conflictus, gloriosae triumphalis militiae praesignia — plerumque reportauit;* hic autem in prouincia Sirmiensi semel iterumque cum Turcis congressus, non modicam illis stragem intulit, vt ipse Sigismundus in haec verba perhibet: (*b*) „ Dum „ nefandissimi crucis Christi hostes, vtpote Turci, „ valido eorum cum exercitu comitatum nostrum „ Sirmiensem hostiliter subintrassent; tunc idem „ Ioannes de Maroth banus, cis ciuitatem Nagiolaz (*Nagy-Olasz*) cum eisdem pro nostri regii „ honoris incremento conflictum commisisset. — „ Animaduertentes etiam, quomodo, dum alias „ scelerata cohors Turcorum, in sua pluralitate „ confisa, iam dictum comitatum — vice iterata „ hostiliter inuasisset; — tunc etiam memoratus Ioannes banus, pro nostri regii honoris exaltatione, „ cum eisdem penes ciuitatem Nagzeng conflictum „ personalem viriliter commisisset; — — " (*c*)

A. C. 1392. *Sig.* 6. *Ind.* 15. *P.* 14. *A.*

CXXIII. Sigismundum hoc anno rursus bellum gessisse, patet ex eius diplomate, quo Nicolaum Gombos

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 360. (*b*) Ap. Koller. H. E. Q. T. III. p. 289. (*c*) Hist. Crit. T. XI. p. 316,—320.

Gombos expeditioni iuxta ſuum decretum interfuiſſe declarat. (*a*) *Dat. in deſcenſu noſtro campeſtri, prope caſtrum Gerbench, A. D. MCCCXCII.* Huic expeditioni Bohemos etiam interfuiſſe, condiſcimus ex hoc epilogo litterarum Alberti Sternberg: (*b*) — „Praeſentem litteram noſtro ſigillo, — vna cum „ ſigillo illuſtr. principis D. D. Bolkonis, — ac ſi„ gillis nobilium, DD. Ctiborii de Stiborzicz, co„ mitis Poſonien. regni Vng. — — feria II. die na„ tiuitatis S. Ioannis B. in metis Croatiae, iuxta „ Danubium, in exercitu iuſſimus communiri, A. „ D. MCCCXCII." Nullum igitur eſt dubium, hoc anno Sigismundum aliquod bellum geſſiſſe; ſed, cum quibus hoſtibus? non ita certum eſt. Omnes fere bellum, cum Turcis ad minorem Nicopolim geſtum, ad hunc annum deſigunt; quod Maria regina ſub eo bello deceſſerit; illam autem hoc anno deceſſiſſe, plerique crediderint. Sed enim illam ante 1395. annum non obiiſſe, iam certiſſimum eſt. Dedit illa hoc anno 9. Iunii litteras Leibitzii pro nobilibus de Kromlow. (*c*) Sigismundus quoque, quum in fauorem Ioannis Frangepanii diploma conceſſit; *III. id. Nou. A. D. MCCCXCII.* Ioannem archiepiſcopum non tantum ſuum, ſed etiam *reginalem* cancellarium vocat. Quare bellum, cum Turcis in Valachia geſtum, ſub quo Maria diem obiiſſe dicitur, vltra differri debet. Certe Sternbergius, quum litteras ſuas in *exercitu* ſignaſſet; id non in Valachia, ſed *in metis Croatiae* factum eſſe ſcribit. Quare mihi quidem, expenſis rerum adiunctis, expeditio huius anni directa videtur ad expugnandum caſtrum Dobor, praecipuum factioſorum nidum, inter

(*a*) Ex MSS. Bibl. Quinqu. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. IV. p. 382. (*c*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 137.

illorum et ingens contemtus regnantis principis in considerationem veniat; excusationem aliquam rex alias mitissimus meretur. Certe iam alias quoque vidimus, quantam in hostes clementiam expromserit, et hoc anno nouum benignitatis huius specimen edidit; quum Sirokiis vitae bonorumque gratiam fecit, (a) *Budae, secundo die festi B. Francisci conf.* (b)

A. C. 1394. *Sig.* 8. *Ind* 2. *P.* 19. *A.*

CXXV. Sigismundus, expromtam in hos nobiles seueritatem lenitate rursum conditurus, Ioannem Hertzegium publicis litteris in gratiam recepit, ingenue fassus, (c) *pietatem regiam magis misereri solere, quam vlcisci, et delinquentium excessus et enormitates lenitate misericordiae temperare consueuisse.— Szegedini, octauo die ante festum OO. SS. A. D. MCCCXCIV.* Videtur has litteras confecisse, quum ex inferioribus suis ditionibus reuerteretur. Nam *in Dyako, sabbato die proximo ante festum B. Margaritae V. et M.* diploma dedit, quo testatur (d) Wokmeros *de consensu — Stephani Dabisciae, regis Boznae — fidelitatem* — ipsi Sigismundo *iurasse, ac suis litteris mediantibus, se propensius obligasse:* „ quod nostram, *inquit*, maiestatem, post mortem praedicti D. Stephani „ Dabisciae, regis moderni Boznae, in vestrum „ verum dominum naturalem assumeretis. —" Atque hinc apparet, hanc praecipuam pacis, inter Sigismundum et Dabiscium initae, conditionem fuisse

(a) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 349. (b) Hist. Cr. T. XI. p. 337.—343. (c) Ap. Pray. Ann. P. II. p. 198. (d) Ap. Luc. L. V. C. III. p. 416.

fuisse, vt hic illi Dalmatiam et Croatiam illico cederet; Bosniam ad dies vitae retineret, post eius obitum ad pristinum regum Hungariae ius redituram. Vnde Spalatenses, qui prius Dabisciae; iam Sigismundi nomen ita suis tabulis inscripserunt: (*a*) „ Anno 1394. Ind. 2. 17. Aug. regnante ser. prin„ cipe et domino nostro naturali, D. Sigismundo, „ D. gr. Hung. Dalm. Croat. rege inclito. —" Neque Dabiscia Dalmatiae vel Croatiae titulum adhibuit, quum sub initium Aprilis hoc anno Mamanitium laudat ob praestita Sigismundo contra Turcas obsequia, hoc tantum vsus titulo: (*b*) „ Ste„ phanus Dabissa, D. gr. rex Serbiae, Bosniae, „ maritimarum partium, significamus —" Nutante prioribus annis ciuitatum maritimarum fide, Iadra Sigismundo constanter adhaesit, fideique sacramentum quotannis instaurauit. Sigismundus, quum donationes, comitibus de Veglia factas, confirmat; (*c*) iterum Ioannem archiepiscopum aulae suae *reginalisque maiestatis* cancellarium vocat. Adhuc igitur superstes Maria regina fuit, cuius sororem Heduigem, teste Dlugosso, (*d*) *Sigismundus, H. R. visitaturus, XXIV. Iulii, in Poloniam aduenit.* Refert idem auctor, (*e*) consentiente Sigismundo, Wenceslaum imp. eius fratrem, a Bohemis custodiae traditum fuisse. Wenceslaus, inter reliqua scelera, Ioannem Nepomucenum, excellentis sanctimoniae virum, ob seruatam sacramentalis sigilli fidem, in Moldauam demergi iussit; quod Pulkauae continuatores

(*a*) Ap. Farlat. T. III. p. 336. (*b*) Ap. Kerchel. Not. Prael. p. 247. (*c*) Ibid. p. 195. (*d*) Libr. X. col. 141. (*e*) Ibid. col. 143.

nuatores innuunt esse factum anno 1393. sed alii 1383. (a)

A. C. 1395. *Sig.* 9. *Ind.* 3. *P.* 11. *A.*

CXXVI. Postquam Sigismundus Heduigem in Polonia visitauit; annus integer non abiit, quum soror eius Maria, nulla prole suscepta, viuere desiit. Eius mortem Dlugossus ad 17. Maii huius anni defigit. (b) Huic chronologiae duo diplomata fidem conciliant. Primum ita habet: (c) „Nos „Maria, D. gr. regina Hung. Dalm. Croat. (*Georgio Dees donationem facit*) Datum in Werewche, „in festo conuersionis B. Paulli ap. anno dom. „MCCCXCV." Alterum ita: „Nos Stiborius de „Stiboriz, Woiuoda Transsiluanus et C. Posoniensis" *Iakussio donat villam N.* „omni eo iure et „proprietate, sicut nobis et heredibus nostris a „serenissimis principibus et dominis, Sigismundo „rege, et domina Maria, regina, *piae recordationis*, Hungariae, consorte sua, data, donata fuit „et collata. Datum Schintauiae, in die corporis „Christi, anno dom. MCCCXCV." Quum igitur in 10. Iunii hoc anno festum corporis inciderit; ante hunc et post 25. Ianuarii Maria decessit: cuius mortem male quidem Turotzius ad Sigismundi sextum annum, bene tamen ad bellum Valachicum ita figit: (d) *Post haec rex Sigismundus, sexto* (nono) *sui regiminis anno, gentibus Transalpinis arma intulit. Haec gens, suis non contenta potentiis, vt se defenderet, validam Turcorum conduxerat manum. Dum igitur regales copiae, alpibus transitis*

(a) Hist. Cr. T. XI. p. 350.—370. (b) Libr. X. col. 147. (c) Diss. de S. Lad. p. 31. (d) Chron. P. IV. cap. 6.

transfitis, illius terrae ad plana descenderunt; — mox Turci pariter et Volachi, radiantium armorum — fulgore territi, tutrici se fugae commiserunt. — Rex igitur Sigismundus, contrariis fugatis copiis, castrum minus Nicapol ardua cinxit obsidione — et expugnauit, et eiusdem defensoribus aliis interfectis, aliis captiuatis, illud Hungarico commendauit praesidio. — Nondum tamen redierat; quum regina Maria, graui praeuenta aegritudine, regnum pariter et vitam liquit. — Rex Polonorum, Ladislaus, — coniugem suam sceptro mortuae sororis potiri ratus, contra regem Sigismundum exercitum copiosum mouit. Et nisi pater reuerendissimus D. Ioannes de Canysa, archiepiscopus Strigoniensis, multo armatorum coetu regni confinia muniuisset; ambitiosus princeps, absente rege Sigismundo, regimen eius non minus turbare potuisset. (*a*)

CXXVII. Aberat nempe Sigismundus, magna huius anni parte bello Valachico distentus. In Transsiluania iam illum 16. Martii fuisse, liquet ex eius litteris, in quibus ita loquitur: (*b*) — „Fidelis no-„ster dilectus, RR. in C. P. D. Ioannes, archiep. „eccl. Strigon. — ac apost. sedis legatus (*hunc „illi titulum anno priore 8. kal. Maii Bonifacius „IX. contulit*) nostrae regiae reginalisque maie-„statum cancellarius (*nondum igitur 16. Martii „Maria decessit*) — litteras quondam Ludouici re-„gis — sub transscripti forma dari — postulauit. — „Dat. in Cibinio, fer. III. prox. ante *Laetare*, an-„no 1395.“ Ioannes igitur archiepiscopus interfuit expeditioni Valachicae, sub qua Sigismundus

 possessionem

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 384—388. (*b*) Ap. Benk. Milkou. T. I. p. 126.

possessionem Bayon illi transscripsit, (a) *IV. kal. Maii.* Mortua subinde regina, remissus ad funus curandum, Wladislaum opportune repressit, vt ipse Sigismundus in diplomate, stirpi Kanisaianae dato, his verbis memoriae prodidit: (b) „Medio tempo-
„ re (*belli huius*) inclita principe, D. Maria regi-
„ na, — rebus exemta ab humanis, et Varadini
„ telluris gremio — commendata, annotato D. Ioan-
„ ne archiep. pro tuitione regni nostri per nos
„ pro tunc deputato, ibidem adhaerente, et cun-
„ cta, exsequiis incumbentia reginalibus, insignite
„ moderante; et his expeditis, versus Cassouiam
„ confiniaque regni nostri, per quae Ladislaus, rex
„ Poloniae, cum consorte sua, nobis affinitate an-
„ nexa, regnum nostrum occupare nisus fuit, et
„ toto nisu voluerunt potenter subintrare; non-
„ nullos nostros fideles subditos sibi associante,
„ cum suis armigeris gentibus obuiam ipsius La-
„ dislai regis hostiliter protinus progredien-
„ te, et viam tutam — praecludente, — et
„ cuncta iurgia, — quae praetextu obitus ipsius
„ reginalis et ob absentiam nostrae maiestatum —
„ oriri valuissent, penitus sua peritia sedante, —
„ annotatus D. Ioannes archiep. praetaxata regna
„ nostra condigno moderamine praefulciendo, sub
„ pacis condigna tranquillitate indemniter et indi-
„ late pro nostra reseruauit maiestate." Dubium illud moueri potest, quod Turotzius Valachis simul et Turcis bellum intulisse Sigismundum asserat; quum tamen exstent tabulae foederis, inter illum et Myrchen, Valachiae principem, initi, de mutuis auxiliis, contra Turcas ferendis, (c) signatae *Brassouiae,* in

(a) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. I. p. 391. (b) Ap. Wagn. Collect. D. I. p. 20. (c) Ap. Pray Differt. VII. p. 144.

in dominica Reminiſcere, A. D. *MCCCXCV.* Sed enim Myrchen cum Turcis colluſiſſe, poteſt ex his eiusdem Sigismundi verbis colligi: (*a*) „ — Tandem cum felici triumpho verſus regnum noſtrum „ Hung. nobis remeantibus, in alpibus, Pazara „ dictis, ſtrictiſſimis indaginibus concluſa et obdurata multitudo Valachorum, per ipſum Myrche „ vaiuodam, *in priſtinae infidelitatis ingratitudinisque viam relapſum*, cum intoxicatis et mortiferis iaculis contra nos et noſtros inſidioſe deſtinatorum, exercitum noſtrum circumdedit." (*b*)

A. C. 1396. *Sig.* 10. *Ind.* 4. *P.* 2. *A.*

CXXVIII. His ad minorem Nicopolim actis, maiora ſunt ad maiorem Nicopolim acta: victor ibi Sigismundus; hic victus, fuga ſalutem quaeſiuit, et Hungariam in maximum diſcrimen, orbem Chriſtianum in maximum metum coniecit. Poſtquam Baiazetes in Hungaricas ditiones ſaepius irrupiſſet, ac Bulgariam quoque iam inuaſiſſet; Sigismundus, veritus, ne dominationem ſuam ſenſim latius porrigeret, legatione prius illum pertentandum, quam armis laceſſendum cenſuit. Ille, donec tota Bulgaria potitus fuiſſet, reſponſum diſtulit. *Tandem*, inquit Turotzius, (*c*) *diuerſitatem armorum — ſingulos per parietes vnius domus appendi feciſſe, introductisque regiis caduceatoribus, ad illos dixiſſe fertur:* „ Reuertimini ad regem veſtrum, „ et dicite illi: quoniam et ego terram ad hanc, „ vt videtis, ius habeo ſufficiens." — *Haec res Sigismundi regis animum non parum vleiſcendi in timorem*

(*a*) Ap. Pray Ann. P. p. 191. (*b*) Hiſt. Cr. T. XI. p. 371. —381. (*c*) Chron. P. IV. cap. 8.

morem excitauit. Quapropter sui regni decimo; dominicae autem incarn. MCCCXCVI. anno, commota vniuersa sui principatus armorum virtute, ingentem conflauit exercitum. In quam quidem regiam expeditionem tam grandem dux Burgundiae inter alias nationes, ac Francorum siue Gallorum populus arma non pauca fortiaque virorum bellatorum agmina aduexerant. — Mota igitur rex Sigismundus tam grandi sui exercitus congregatione, Danubium transiuit. — Regno tandem Rasciae crudeli furore — pertransito, Bulgariae venit ad oras. Inde oppidis Oriszo et Bidino aliisque partium earumdem munitionibus nonnullis — expugnatis, — circa festum S. Michaelis arch. in campo castri maioris Nicapolis sua castra fixit. — Maior Nicopolis in Bulgaria, minor in Valachia, non procul ab ostiis Alutae, fuit. — *Franci*, pergit Turotzius, *aduenientis hostis fama pulsati, regem adeuntes, et eum*, belli primitias — illis in se excipere vt annueret, " *rogatum effecere. Dum igitur caesar ipse — regiis opponi castris visus est; mox Franci, praecipiendae pugnae insolenti cupiditate capti, priusquam vniuersae regales copiae, instructis ex ordine aciebus, signis collatis, praelium inirent, e castris prosilientes et praecipites, ab equis, vt eorum moris est, pedites certaturi, descendentes, contrarias irruerunt in turmas. Diro itaque bello hostes inter vtrosque vigente, quum Hungari sellatos Francorum equos, cursu transuerso, regia petere castra conspiciunt; — illos omnino hostilem in manum exstinctos fore credentes, graues dissoluti in tumultus, castra pariter et bellica relinquentes ingenia, campo vndique fusi, hostibus acriter insistentibus, in fugam conuertuntur.* (*a*)

CXXIX.

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 401.—411.

CXXIX. Sigismundus, suis fugientibus, et ipse fugere coactus, conscensa naui, Constantinopolim defluxit. *Inde*, scribit Turotzius, (*a*) *ad Rhodum, post haec regnorum Dalm. et Croat. ad oras nauigauit. Comitabantur illum viri in regno potentes, D. Ioannes, archiep. Strigon. et Stephanus de Kanysa, frater eiusdem.* Horum fugae comitum ipse Sigismundus meminit, dum eos anno sequente hoc diplomate remuneratus est: (*b*) — „ Dum „ nos anno et tempore — proxime retrolapsis, — „ aduersus Turcorum — saeuitiam comprimendam, „ — ad climata dicti regni Bulgariae — applicuissemus; et Vidino ac Orchou — expugnatis, — „ vlterius proficiscendo — et stragem grandem inter ipsos schismaticos perpetrando, penultimoque fortuna nobis nouercante, — inuiti reflexos „ gressus fecissemus; et cum ipsis nostris fidelibus, „ D. Ioanne archiepiscopo, et magnifico viro Stephano, nostro lateri pro tuitione nostrae personae fideliter adhaerentibus, per Danubii et „ pelagi flumina in galeis remigando, ad ciuitatem Constantinopolitanam peruenissemus; ibidem „ Christicolas degentes et per ipsos Turcos obsessos et compressos opitulamine opportuno in nomine domini praefulciendo; et ab eadem per „ ipsius freti amnes in praefatis galeis eminus proficiscendo; extremum, DEO duce, ad climata „ regnorum nostrorum Dalm. et Croat. praedictorum ingressum habuissemus; memorati D. Ioannes archiep. et vir magnif. Stephanus — deserere „ nullatenus voluerunt. —“ Errant igitur, qui Sigismundum Constantinopolim nauigasse negant.

(*a*) Chron. P. IV. cap. 9. (*b*) Ap. Wagn. Collect. D. I. p. 80.

Voluerit nempe cum Manuele Palaeologo, Graecorum imp. consilia de coercendis victoribus Turcis conferre. Quod si Rhodum quoque petiit, quod ipse non commemorat, videtur etiam id auxiliorum, a Rhodiis militibus petendorum, caussa fecisse. Remisit autem Nicolaum Kanisaium et Ioannem Garam, ad Hungaros de statu regis ipsius edocendos ac interea gubernandos. Bonfinius vicena Christianorum, sexagena Turcorum millia hoc praelio hausta fuisse tradit. (*a*) Quae res impediuit, quo minus Baiazetes suas victrices copias in Hungariam statim infunderet. Vt animi Turcarum ex victoria Nicopolitana creuerunt; ita Christianorum ex accepta clade conciderunt, cuius sensus ad multas Europae prouincias pertinuit. Omnis enim propemodum Europa huc excita fuit. Rascii tamen et Bosnenses abfuerunt; hoc enim anno, Dabiscia mortuo, regnum, ex pactis et iure S. coronae Sigismundo debitum, Tuartkus Scurus, Tuartki I. nothus, occupauit. (*b*)

A. C. 1397. *Sig.* 11. *Ind.* 5. *P.* 22. *A.*

CXXX. Falsum esse, quod Dlugossus perhibet, (*c*) Sigismundum Constantinopoli *vno anno* obuersatum fuisse, certum est ex diplomate, quod in fauorem ecclesiae Spalatensis dedit, (*d*) *Tinini feria 2. post festum purificationis virginis gloriosae, anno dom.* 1397. Immo colligitur ex Paullo de Paullo, (*e*) 17. *Ianuarii* iam illum in Dalmatia fuisse, nauibusque non Venetorum, sed Iadrensium aduectum

(*a*) Decr. III. L. II. p. m. 404. (*b*) Hist. Cr. T. XI. p. 411.--421. (*c*) Libr. X. col. 145. (*d*) Ap. Farlat. T. III. p. 339. (*e*) Ap. Schwandt. T. III. p. 735.

aduectum esse. Ceterum vel breui hoc tempore fundamenta magnarum regni perturbationum iacta sunt. *Inter haec* autem, inquit Turotzius, (*a*) *Stephanus filius Latzk, vaiuoda, et alter Stephanus de Simontornya, — ad illustrem iuuenem Ladislaum, natum regis Caroli* (II.) — *suos mittentes nuncios, sceptra regni Hungarici illi quam leuiter tradere promittebant. Ille vero, miseram sui genitoris sortem, qua Hungarico in regimine comitatus erat, prae oculis praeque corde ferens, quamuis illi regem Sigismundum eliminare, et regimen tranquillum ei dare promitterent; ad capessendas res Hungaricas patre tardior fuit. Quum igitur illum grauiter moueri animaduerterent; — ipsi, vterque Stephanus, ab eodem rege Ladislao per internuncios iuramentum pariter et litteras receperant:* „ vt, quod „ illi vice eiusdem in regno operarentur; id sibi, „ dum sceptro potiretur, gratum fieret.“ *Magnam partem nobilium haec conditio infidelitatis per deuia traxit.* Alibi vero de Stephani Latzkouits alio scelere sic loquitur: (*b*) *Hunc Stephanum vaiuodam, — eadem tempestate, quum rex Sigismundus post cladem, sub Nicapoli receptam, maritimis demorabatur in partibus, tale scelus commisisse accusabant:* „ Etenim illum ad caesarem Turcorum Pasaythem „ nuncios misisse, filiamque illius regi Ladislao — „ ea conditione, vt illi contra regem Sigismundum „ adiumento fieret, iugo matrimoniali ducere spo- „ pondisse, et in huius documentum ingentia Tur- „ corum agmina Hungaricas in partes, inter flu- „ mina Zawe et Trawe situatas induxisse —“ *dicebant.* Vtrumque scelus, alterum altero saeuius, omni supplicio dignum erat. Vtrumque Sigismundus

(*a*) Chron. P. IV. cap. 9. (*b*) Ibid. cap. 12.

dus quoque, post varios errores in regnum suum reuersus, quum horum perduellium bona Kanisaiis confert, in diplomate suo commemorat, (*a*) *Dat. anno dom. MCCCXCVII. IV. non. Martii.* Subinde Hermannum quoque, Ciliae comitem, itineris sui socium, remuneratus est, (*b*) *in Vyhel, in vigilia festi assumtionis V. M. anno dom. MCCCXCVII.* Rursus ecclesiae Strigoniensi, propter merita Ioannis archiepiscopi, 400 florenos auri, quotannis soluendos, addixit, (*c*) *kalendis Iunii;* beneficiumque cumulauit, quum vicos Hynyeren et Ryblyen metropolitae donauit (*d*) *octauo idus Decembris*, subscriptis „ Valentino card. eccl. *Quinqueeccl.* guber„ natore; Ioanne *Strigon.* Nicolao Bubek *Coloc.* „ archiepp. Luca *Varad.* Martino *Transsilu.* Ioanne „ *Zagr.* Stephano Chyko *Agr.* Ioanne *Iaur.* Petro „ *Vac.* Ioanne *Bozn.* Demetrio *Vesprim.* Fr. Gre„ gorio *Sirm.* Michaele *Nitr.* — epp. — Detrico „ Bubek *palatino;* Styborio *vaiu. Trans.* Ioanne de „ Pastuh, *iud. curiae;* Nicolao de Gara, *Dalm.* „ *Cr. et Sclau.* Ioanne de Maroth et Petro de Pe„ rény, *de Machow banis.* —" (*e*)

A. C. 1398. *Sig.* 12. *Ind.* 6. *P.* 7. *A.*

CXXXI. Indefessus rex Sigismundus, a clade Nicopolitana nullam sibi quietem indulgere visus, diuersas regni partes obibat, variaque diplomata Tinninii, Budae, Tirnauiae, Vihelini, Strigonii, Temesuarini, Viglesini, Kesmarkini signabat. Rursus, ineunte hoc anno, Croatiam inuisit, comitiisque Crisium

(*a*) Ex MSS. Wagnerianis. (*b*) Ex MSS. Cornidesianis. (*c*) Ex apographo. (*d*) Ap. Schmitth. AEp. Strigon. p. 72. (*e*) Hist. Cr. T. XI. p. 421.—451.

Crisium indictis, digno supplicio Latzkouitsium affecit. *Quum*, inquit Turotzius, (*a*) *rex primoresque regni, et ipse vaiuoda simul eadem constituti in domo essent; ipse Stephanus vaiuoda ibidem, medios consilii inter tractatus, captus pariter et decollatus est.* Quod quidem apud Paullum de Paullo legitur ad an. 1395. his verbis: (*b*) *Eodem anno, die Martis, XXVI. Febr. in Crisi, in curia D. N. regis Sigismundi, interfectus fuit Stephanus Latzkouich cum nepote suo per certos barones Vngariae.* Quia tamen anno 1395. quo littera dominical. erat C. 26. *Febr.* non in *diem Martis*, sed in diem Veneris, incidit; nec vmquam in diem Martis incidere potest, nisi quando littera dom. est F. quae fuit anno 1398. ad hunc potius annum illud Latzkouitsii supplicium est referendum. Sigismundus, in inferioribus regni partibus ad res illic perturbatas praesentia sua componendas diutius adhaesit: et quia Ioannes Heruoia, Bosniae vaiuoda, dum de regno Bosniae Tuartkus Scurus et Ostoia post Dabisciae mortem inter se decertassent, ad Turcas desciuit, multasque regiis ditionibus iniurias intulit; Sigismundus, copias in illum educturus, a Traguriniis balistarios petiit. — „ Sciatis, *inquit*, (*c*) nos veridico accepisse ex relatu, quod Heruoya vaiuoda, veluti perfidus alumnus, proditionis ductus malignitate, nostrorum immensorum regalium beneficiorum immemor, seipsum in coetum infidelium crucis Christi, Turcorum videlicet, connumerare et coadunare, nostrique et S. coronae regiae fideles, in regno Bosnae exsistentes, offendere et expugnare proponeret — — Dat. in Posega-

„ war,

(*a*) Chron. P. IV. cap. 12. (*b*) Ap. Schwandt. T. III. p. 736. (*c*) Ap. Luc. L. V. C. III. p. 417.

» wár, in festo S. Trinitatis, anno dom. MCCC-
» XCVIII.«. In tanta perturbatione regnorum suorum, in tanta mole negotiorum, mirum est profecto, Sigismundum in Poloniam ad Wladislaum regem iuisse; quod tamen Dlugossus asserit. (*a*)

A. C. 1399. *Sig.* 13. *Ind.* 7. *P.* 30. *M.*

CXXXII. Sublato Latzkouitsio, non tam exstincta, quam aucta seditio fuit, eoque tandem euasit, vt Sigismundus primum ab ipsis praelatis et proceribus Budae caperetur, tum honestae custodiae seu Visegradi, seu Siklosini traderetur. Caussas ignominiosae huius captiuitatis Turotzius ita pandit: (*b*) *Concitauerat maxime Hungaros contra illum in odium tunc duorum et triginta mors militum; cum vero calamitosus Nicopolitanae expeditionis exitus; nec minus ipse rex, soluto thoro, carnis dissolutus in lasciuiam, virginum violentae deditus corruptioni, Hungaris opprobrio erat.* Atque haec praecipua captiuitatis caussa fuit, Hungaris vitium hoc ita semper detestatis, vt ob illud etiam Ladislaum Chunum *a suis baronibus et regni nobilibus odio habitum fuisse*, Turotzius itidem testetur. Adiuncta captiuitatis Turotzio melius quibusdam consignasse videtur Eberhardus Windeckius, Sigismundo familiariter notus, in haec verba: (*c*) *Dum numerabatur annus* 1399. *tunc Hungariae proceres ceperunt legitimum suum regem Sigismundum.— Ita rex Sigismundus captiuus a suismet ministerialibus ductus est in arcem Blindenburg* (Visegradum) *Inde porro*

(*a*) Libr. X. col. 154. Hist. Cr. T. XI. p. 451.—466. (*b*) Chron. P. IV. cap. 9. (*c*) Ap. Mencken. T. IV. p. 1078.

porro in domum Gara (Siklosinum) *vbi duodeuiginti hebdomades in carcere exegit.* Quo mense huius anni Sigismundus in carcerem coniectus sit, non meminit. Non certe Ianuario, cuius die 27. Hermanno, comiti Ciliae, castra quaedam contulit. Non Februario, cuius die 2. litteras ad Ioannem, metropolitam Iadrensem, Budae dedit; die vero 27. mensis eiusdem Leutschouiae Saarosienses ob aliquem in excipiendo rege neglectum redarguit; non Martio, cuius 23. die Cassouiae nosodochium S. Spiritus cruciferis Darotziensibus ademit. Palmius ex Windeckio quidem annum 1399. at ex patriis scriptoribus 28. Aprilis adoptat. Quia tamen mense Maio Sigismundus Petsuaradiensis abbatiae priuilegia confirmauit, (*a*) *Budae, in festo viuici corporis Christi, anno eiusdem* 1399. et 2. Iunii cum Iadrensibus de restituendis Pagensibus egit; (*b*) haec conciliatio Turotzii cum Windeckio locum habere non potest. Captiuitas igitur regis, si Windeckio deferre velimus; ad postremos huius anni menses differri debet, vt 18. hebdomades ad initium sequentis anni, quo liberum illum videbimus, confici possint. (*c*)

A. C. 1400. *Sig.* 14. *Ind.* 8. *P.* 18. *A.*

CXXXIII. Haec eorum gratia, qui plus Windeckio, quam Turotzio deferendum censent, dicta sunto. Ceterum Windeckiana chronologia multis difficultatibus est obnoxia, quarum praecipua haec est, quod Sigismundus litteras ad Nonenses et Tragurienses canonicos de Spalatensium dissidiis, teste Farlato,

(*a*) MSS. Heuenes. T. M. p. 364. (*b*) Ap. Schwandt. T. III. p. 740. (*c*) Hist. Cr. T. XI. p. 479.—493.

Farlato, (*a*) dederit *in Visegrad, in festo cathedrae B. Petri apost. anno dom. MCCCC.* Ac inquisitione peracta, litteras eodem anno 1400. receperit, a Nonensibus *kalendis Aprilis*; a Traguriensibus *VIII. idus Maii*, cum hac inscriptione: „ Ser. prin-
„ cipi et domino, illustriss. D. Sigismundo, DEI
„ omnipotentis gratia, Hung. Dalm. et Croat. cet.
„ regi faustissimo, marchioni Brandenburgensi, cet.
„ nec non aequitatis iugiter aequatori aeque mise-
„ rabilibus personis praecipue et oppressis, eorum
„ domino naturali. " Accedit et illud, quod 17. Februarii rex agnoscatur etiam in Spalatensibus tabulis, quarum initium hoc est: (*b*) „ — Anno
„ — MCCCC. Ind. VIII. regnante ser. principe et do-
„ mino nostro naturali, D. Sigismundo, D. gr.
„ Hung. Dalm. Croat. cet. rege inclito, ac mar-
„ chione Brand. cet. — " Horum enim documentorum auctoritas videtur praeferenda testimonio Lucii, qui, nescio, quo monumento nixus, asserit, (*c*) *anno Christi* 1400 *mense Maio Sigismundum carcere liberatum fuisse.* Quod tamen etiam Paullus de Paullo, dum res anni 1400. narrat, his verbis innuit: (*d*) *Die V. Maii audiui nouum, quod dominus noster rex Sigismundus reuersus est Vngariam.* Sed, an ex captiuitate reuersus sit in Hungariam, quia clare non exprimit; huic testimonio non magna vis inest. Nulla vero huic, quod ex diplomate, quo Sigismundus Petro de Septem tiliis ecclesiae B. Nicolai parochiam Eperiesini confert, eruitur. Licet enim illud sit (*e*) *datum in Thamashida, feria V. post dom.* Cantate (seu 20. Maii) *anno*

(*a*) Illyr. S. T. III. p. 353. (*b*) Ibid. p. 349. (*c*) Libr. V. Cap. IV. p. 418. (*d*) Ibid. p. 744. (*e*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 472.

anno dom. 1400. quia tamen hunc titulum praefert: „ Nos Sigismundus, D. gr. Romanorum rex sem- „ per augustus ac Hung. &c. rex" certum est, errorem in anno cubare. Nec enim Sigismundus hoc anno rex Romanorum renunciatus; nec eius adhuc frater mense Maio, sed Augusto tantum ex- auctoratus erat. Quam in rem Bonifacium IX. con- sensisse, *communique consensu Moguntinum die* 20. *Aug. in Wenceslaum sententiam exauctorationis pri- uationisque regni et imperii promulgasse*, Grebnerus scribit; (*a*) additque, Sigismundum apud cardina- les questum esse, *quod is praepropere, nec conuictus, esset exauctoratus.* (*b*)

A. C. 1401. *Sig.* 15. *Ind.* 9. *P.* 3. *A.*

CXXXIV. Ad hunc annum affigunt patrii scri- ptores captiuitatem Sigismundi, quem Februario mense liberum fuisse, patet ex eo diplomate, quod Chakiis dedit, *anno dom. MCCCCI. tredecimo kal. mensis Martii, regni autem anno XIV.* Vetustae quoque stirpi Semseianae diploma dedit *Budae, in festo B. Georgii, martyris Christi gloriosissimi, an- no dom.* 1401. Quae diplomata nihil officiunt chro- nologiae Turotzii, qui Sigismundi captiuitatem ad 28. Aprilis ita defigit: (*c*) *Millesimo quadringentesi- mo primo dom. incarn. anno, — die, qua mater ecclesia certaminis S. Vitalis gloriosum decantat trium- phum, barones regni, dolo indutae colloquutionis gratia, regia adeuntes palatia, ipsum regem medium esse voluerunt: qui quum adfuit; illi, obiectis prius ipsi uniuersis facinorum caussis, quas in illum exco- gitauerant,*

(*a*) Comp. Hist. Vnin. T. III. p. 434. (*b*) Hist. Cr. T. XI. p. 494. 508. (*c*) Chron. P. IV. cap. 9.

gitauerant, magno cum fremitu manus eorum in ipsum iniecerunt. Subiicit autem, *captores regis, ratos, grauem in illum animum habere,* Nicolaum et Ioannem Gara, *paternam propter necem, quum maxime propter illum poenas dedisset; ipsum regem iuuenibus eisdem in castro eorum, Soklos vocato, seruandum assignasse.* Male hanc caussam Turotzius comminiscitur, Sigismundus enim *paternae necis* nulla vel eminus caussa dici poterat; nullum igitur hi iuuenes odium in Sigismundum, a quo splendidissimis dignitatibus admoti fuerant, habuerunt. Immo, propter regios illos fauores, quibus cumulabantur, verosimilius Praius opinatur, (*a*) illos *operam inprimis dedisse, vt captiuus suae fidei crederetur, non ad perdendum, sed seruandum regem.* Anno hoc et 4. superioribus palatini munus gessit Detricus Bubek, sine cuius nutu consensuque rex captus non fuerit. Certe frater eius, Emericus, praecipuus factiosorum dux erat. (*b*)

CXXXV. Gloriam Sigismundi captiuitate liberati bene quidem Turotzius Garaiis adscribit; adiuncta tamen, quae fidem non merentur, narrationi huic affingit. Vnde bene rursum Praius monet: *Quicquid de Garaiorum matre, et regis, ad feminae pedes miserabiliter prostrati lacrimis, ceterisque haud sane viro et principe dignis fabellis nostri comminiscuntur, plane explodendum est.* Nouimus ex litteris regiis, Nicolai de Gara fratrem Ioannem et filium cognominem obsides factiosis datos esse; quum ille mediatorem inter regnum et regem ageret. Quod tunc factum fuerit; quum Visegrado Siklosinum Sigismundus traductus fideique

que

(*a*) Ann. P. II. p. 202. (*b*) Hist. Cr. T. XI. p. 517.—523.

que Nicolai traditus erat. Ergo male Turotzius ſingit, quum mater pro liberando Sigismundo perorasset, vtrumque filium praeſentem fuiſſe. Et quid obſidibus futurum erat; ſi clam, vt vult Turotzius, Sigismundus ſine conſenſu procerum emiſſus fuiſſet? Ad ſummum dici poteſt, adhortante matre, filios effeciſſe, vt captiuus rex in ſuam arcem Viſegrado transferretur, ſuaeque fidei committeretur, ne quod periculum eius vitae crearetur; dum pax et concordia procurabatur. Ita filiis, alioqui de rege ſollicitis, et vltro currentibus, calcar addere mater potuit. Praecipuum ſuae libertatis aſſertorem agnoſcit ipſe Sigismundus Nicolaum Gara, quum eum ita laudat: (a) „Quum — per quosdam praelatos
„ et barones regni noſtri, vt in exſilium relegare-
„ mur, capti fuiſſemus; iamque defacto rex Polo-
„ niae et dux Auſtriae, ex incitatione dictorum
„ nobis aduerſantium, in dictum regnum noſtrum
„ Hung. ad vſurpandum ſibi ipſis diadema noſtrum
„ regale regnaque noſtra praedicta ſubintrare mo-
„ liebantur; tunc praefati Nicolaus et Ioannes,
„ frater ſuus, reuera percipientes, mortis pericu-
„ lum exſulationemque praetactam nobis immine-
„ re, ſe pro liberatione noſtrae perſonae, fortu-
„ nae caſibus ſubmiſerunt, partes ſuas pro noſtra
„ maieſtate erga dictos praelatos et barones pro
„ fienda pace interponendo, eisdemque praelatis
„ et baronibus, nobis contrariantibus, ipſe Nico-
„ laus, fidelis mediator, praefatos Ioannem fratrem
„ et Nicolaum filium ſuos pro fulcimento deter-
„ minationis dictae inceptae pacis in obſides aſſi-
„ gnando. Dum igitur diebus non paucis ipſe
„ Nicolaus

(a) Ap. Pray Ann. P. II. p. 202.

„ Nicolaus per ſuos ſudoroſos labores inter noſtram „ celſitudinem et praeſcriptos praelatos et barones „ pro eiusdem pacis obtentu multimodos feciſſet „ tractatus; ad vltimum — —“ Atque hinc apparet, Dlugoſſum errare, quum ſcribit, (*a*) Wladislaum, *ratione Heduigis*, quae iam anno 1399. deceſſit, ab Hungaris oblatum ſibi diadema recuſaſſe. Sigismundus enim diſſerte teſtatur, illum *in regnum Hung. ad vſurpandum ſibi diadema, — ſubintrare molitum eſſe.* Idem Auſtriae ducem tentaſſe. Quatuor igitur in partes ſciſſum erat regnum, aliis Wladislaum Polonum, aliis Albertum Auſtriacum, aliis ipſum Sigismundum, aliis denique Ladislaum, caeſi Caroli II. filium, regem optantibus. (*b*) Huic Heruoia, Bosniae vaiuoda, ciuitates maritimas conciliabat, et Iadrenſibus ſpe recuperandi Pagum, defectionem perſuaſerat. (*c*)

A. C. 1402. *Sig.* 16. *Ind.* 10. *P.* 26. *M.*

CXXXVI. Laudatus Dlugoſſus ad annum vsque hunc Sigismundi captiuitatem producit. Sed enim etiamſi patriorum ſcriptorum chronologiam amplectamur; dicendum eſt, illum eodem anno, quo captus eſt, libertatem obtinuiſſe. Nam amneſtiae litteras, quibus partes contrarias ſequutis gratiam perduellionis facit, iam liberatus, (*d*) dedit *in oppido, Papa vocato, in craſtino feſti beatorum Simonis et Iudae app. anno dom.* 1401. Dedit et mandatum ad Sopronienſem comitatum, (*e*) vt, archiepiſcopo Strigonienſi duce, contra Wilhelmum, Auſtriae ducem, qui *confinia regni hoſtiliter ſubintrare volebat*,

(*a*) Libr. X. col. 173. (*b*) Hiſt. Cr. T. XI. p. 496.—506. (*c*) Ibid. p. 523. (*d*) Ex MSS. Cornid. (*e*) Indid.

volebat, arma sumerent. *Datum Zolii, nouo regio sub sigillo, in festo B. Andreae ap. anno dom. MCCCCI.* Captiuitas igitur eodem anno coepta finitaque fuit, etiam in patriorum chronicorum sententia; cui si Windekianam de hebdomadibus 18. iungere velimus, eadem sub exitum Aprilis initium, sub medium Augusti finem habuit. Interim Ladislaus Dyrrhachinus, licet post cladem Nicopolitanam a factiosis inuitatus, venire tamen ausus non est, partim nece patris territus, partim Andegauensis factione domi detentus. At postquam hic Ludouicus Andegauensis ex Italia recessit, et Ladislaus rex, vt Turotzius loquitur, (a) *Sigismundum captum suamque partem inualescere audiuit; quasi promtas res adepturus, vocantium flectitur votis, et celeri apparatu sumto, Hungariam versus iter continuauit.* Quum autem, Venetis inuitis, se liberam nauigationem ad ditiones Hungaricas non habiturum prouiderit; Corcyram insulam iis vendidit 30. millibus ducatorum, vt Lucius perhibet, (b) *anno* 1401. Sed enim, licet, Venetis hac rei non suae venditione sibi conciliatis, tutum iam transitum per Adriaticum mare sibi procurauerit; prius tamen res magis explorandas ratus, ipse hoc anno nondum iter ingressus, vt ibidem Lucius refert, *Aloysium Aldemariscum, admiratum suum, cum classe 5. triremium et vnius biremis, amplissima cum auctoritate, in Dalmatiam misit.* Quomodo hic Ladislao maritimas ciuitates adiunxerit, Paullus de Paullo pluribus recenset, e quibus pauca hic delibabimus. (c) *MCDII.—XXIV.—Aug. iuerunt ambasciatores pro communi Iadrae ad Haruoye vaiuodam.*

(a) Chron. P. IV. cap. 10. (b) Libr. V. Cap. IV. p. 420.
(c) Ap. Luc. L. V. p. 746.—748.

dam. XXVII. conclusum fuit, vt Aloysius ille, vicarius Ladislai, Iadram recipiatur. — *III. Septembris* decretum, vt Ladislai, regis Hung. Hierusalem et Siciliae, titulus tabulis Iadrensibus inscribatur. *Octobris XII. castrum Vranae dedit se ipsum D. Aloysio capitaneo, nomine D. regis Ladislai praedicti recipienti illud.* — *XIX. Nouembris*, Tragurienses cum magna sollemnitate erexerunt vexillum D. regis Ladislai; et die sabbati proxime *sequentis*, *Sibenicenses fecerunt idem.* Spalatensibus quoque se subdentibus, hic idem auctor cum aliis in Apuliam ad euocandum Ladislaum missus, *XXVII. Decembris* Iadra discessit. (*a*)

CXXXVII. Si maritimis vrbibus et insulis exutus Sigismundus, Dalmatiae dumtaxat iacturam fecisset; malum hoc facilius tolerari potuisset. At mali contagio Hungariam quoque peruasit: dumque Sigismundus in Bohemiam fratris caussa profectus fuisset; magna pars Hungarorum in Ladislaum consensit. Nonnulli volunt, Sigismundum, captiuitate liberatum, nec visitata Hungaria, primum Cilleiam, tum in Bohemiam concessisse; et Windeckius quidem, vt Praius ex eo refert, (*b*) illum *recta Cilleiam ad Hermannum II. profectum esse*, scribit, vt scilicet pacta nuptialia, iam prius inita, praesens confirmaret, vitaeque licentiam, de qua prius accusabatur, per nouum coniugium refrenaret. Sponsione matrimonii Cilleiae sollemni ritu confirmata, Sigismundum in Austriam delatum esse, pacemque cum Alberto duce his pactis instauratam esse, Praius ibidem scribit: „ Albertus Hungariae „ heres esset; si Sigismundus sine mascula prole „ dece-

(*a*) Hist.Cr. T. XI. p. 525.—530. (*b*) Ann. P. II. p. 203.

„ decederet." Sed hae pactionis tabulae Posonii, non in Austria, confectae sunt, (a) *in festo B. Matthaei ap. et euang. anno dom. MCCCCII.* Sigillis 112. munitae, horum praecipue procerum: Valentini, card. *Quinqueeccles.* Ioannis, arch. *Strigon.* — Thomae, ep. *Agr.* Eberhardi *Zagr.* Lucae *Varad.* Ioannis *Iaur.* Michaelis *Vesprim.* Nicolai *Vac.* Petri *Nitr.* Emerici Bubek, prioris Auranae; Fr. Dosae, abb. de S. M. Pannoniae; Nicolai de Gara *palatini;* Nicolai de Martzal, vaiuodae *Trans.* Stiborii, pridem *vaiuodae;* C. Frank de Zethen, *iudicis curiae;* — Ioannis de Maroth, *bani Machou.* — cet. Quia duae tantum ciuitates huic pactioni subscripserunt, *Poson.* et *Sopron.* et plures etiam ex optimatibus et nobilibus abfuerunt; numquam apud Hungaros eam vim illa habuit, vt eius virtute hereditaria successio principum Austriacorum in Hungariam agnosceretur. Ideo principes hi, nulla mentione facta pacti huius, de iuribus aliis in Hungariam procurandis solliciti semper erant. Quae subinde tam firma de consensu statuum et ordinum euaserunt, vt fundamentis adeo debilibus inniti non debeant. Non multo post Sigismundus Albertum Austriacum Hungariae gubernatorem instituit, *Posonii, septimo die festi B. Michaelis arch. anno dom.* 1402. se vero iam et *S. R. I. vicarium generalem, et regni Boh. gubernatorem* inscripsit. Quum enim Wenceslaus vtraque dignitate, Romanorum et Bohemiae regis, exciderit; Sigismundus vtriusque potestatis partem aliquam ad se deriuauit. (b)

(a) Ex MSS. Cornidesianis. (b) Hist. Cr. T. XI. p. 531.—541.

A. C. 1403. *Sig.* 17. *Ind.* 11. *P.* 15. *A.*

CXXXVIII. Male quosdam Sigismundi regis ex Bohemia reditum ad hunc annum retrudere, patet ex tabulis, anno superiore Posonii signatis Praius, eiusdem auctor sententiae, refert ex Windeckio, (*a*) Sigismundum, ex Bohemia reuersum, *pacta conuenta, quae anno abhinc cum Alberto Austriaco successionis caussa inierat, in medium proferri iussisse; et rogatis quidem, non item acceptis sententiis, singulos suis nominibus confirmare imperasse; eam rem celebrandi seorsim conuentus occasionem proceribus praebuisse, in quo omnium suffragatione decerni placuit:* „ Quoniam rex contra fas hereditatem regni, „ insciis ordinibus, alii transscripsisset; optimati- „ bus creandi noui regis ius omnino liquidum esse.“ *Abrogatisque pactis, cum Poloniae proceribus foedus percussum.* Huius tabulas exhibet Mathias Dogiel, (*b*) confectas *in oppido Zalatuoh, Zagrab. dioecesis, 4. mensis Apr. anno dom.* 1403. munitas sigillis 51. Atqui priores de successione tabulae 112. sigillis munitae sunt; non igitur, *insciis ordinibus*, regni hereditas Alberto transscripta fuit. Sed, quod mirum est, illic subscripti leguntur et Ioannes, Strigoniensis, et Thomas, Agriensis antistes; et tamen vtrumque Windeckius factiosis adnumerat. Videntur igitur aliam defectionis caussam habuisse, quos Sigismundus ad officium reuocaturus, copiis suis trifariam diuisis, ipse Strigonium ac Strigoniensem archiepiscopum obsidione pressit, ac ad deditionem coegit: Budam, a Benedicto de Macra captam, opera Stiborii recepit: Agriam, quam episcopus loci,

(*a*) Annal. P. II. p. 204. (*b*) Cod. Dipl. T. I. p. 41.

loci, Thomas de Ludány, Stephano de Debrö tutandam reliquerat, Simon, iudex curiae, Sigismundo vindicauit. His igitur feditioforum afylis in poteftatem redactis, vt eo promtius omnes ad fidem redirent; amneftiam promulgauit, (*a*) *Budae, feria* 2. *prox. poft festum S. Francifci conf. A. D.* 1403. „ Decreuimus, *inquit ibi*, cum omnibus „ rebellibus, aemulis et aduerfariis noftris — ve„ ram pacem facere et concordiam ftabilire; idcir„ co nos, — ex innata nobis clementia, omnibus „ et fingulis praelatis, baronibus, nobilibus — gra„ tiam faciendam duximus in hunc modum — " Valuiffe hanc Sigismundi clementiam ad ferociam factioforum expugnandam, Albertus ita teftatur: (*b*) „ Eodem in ipfum regnum fuum redeunte, — „ praedictorum rebellium fuorum proteruia emol„ lita; eorum refidui priftinae obedientiae fe red„ dentes, ad fufcipiendam gratiam ipfius D. regis „ fe inclinarunt. — " (*c*)

CXXXIX. Haec clementia magis, quam arma, Ladislai Dyrrhachini cauffam afflixit. Plurimis enim ad obfequium hac benignitate regia reuocatis, ille nec in Hungariam venire, nec in Dalmatia manere diutius aufus, poft tres fere menfes, ab aduentu fuo Iadrae transactos, Apuliam propere repetiit. Nondum in Dalmatiam ille venerat; quum praecipuus eius fautor, Heruoya, Paullum Biffenum, Croatiae banum, ad Bihatfium 4. Febr. vicit, doloque cepit. Paullus de Paullo huius facinoris auctorem facit Heruoiam; at Sigismundus in diplomate, Ioanni de Maroth dato, perduellionis et mali totius

 originem

(*a*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 174. (*b*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 364. (*c*) Hift. Cr. T. XI. p. 555—574.

originem in Emericum Bubek ita refundit: (a) „ — Nobis in regno Bohemiae pro S. R. I. et „ nostri patronatus honore laborantibus, dum non„ nulli — Ladislaum, filium condam Caroli de Du„ ratio, in hoc regnum nostrum — introducere „ voluissent; Emericusque Bubek, prior Auranae, „ qui fere totius ipsius rebellionis et dissensionis „ origo fuerat et caussa efficiens, — fidelem no„ strum, virum magnificum, Paullum Bissenum „ de Ezghede, Dalm. et Croat. — banum, qui se „ suae exquisitae dolositati opponere disponebat, „ fraudulenter captiuasset, captumque Ladislao, „ filio quondam Caroli, pro encenio destinasset; „ tunc idem Ioannes banus, — eleuato suo vexil„ lo proprio, et totali sua potentia instaurata, — „ annotatum priorem de regno nostro Sclauoniae „ ad regnum Boznae, simul cum suis sequacibus „ et fautoribus, expulit. — " Expulso licet Bubekio, Ladislaus, Bonifacii IX. fauore fultus, animum occupandi Hungariam non deposuit. A pontifice missus ad eum adiuuandum card. Florentinus, (b) *kal. Iunii, pontif. an. XIV.* Ladislaum *V. Aug.* hoc anno coronauit, non *in ciuitate Iauriensium*, vt Niemius scribit, sed *Iadrensium*. Ladislaus enim numquam Iaurini fuit; fuisse vero Iadrae, Lucius ex pluribus eius diplomatibus ostendit, datis *VI. Aug.* Spalatensibus; *XIV.* Brachiensibus; *XVI.* Sibenicensibus; *Traguriensibus die vltimo eiusdem mensis Augusti MCDIII.* (c) Profert etiam integrum eius diploma, sic inscriptum: „ Ladislaus, D. gr. „ Hung. Hierusalem et Siciliae, Dalm. et Croat. — „ rex. — Dat. Iadrae — A. D. MCDIII. die XIX. „ Octo-

(a) Ap. Koller. H. E. Q. T. III. p. 292. (b) Ap. Rayn. 1403. n. 13. (c) Libr. V. Cap. IV. p. 421.

„ Octobris.— " *Subinde*, subiicit Lucius, *Heruoya— a Ladislao dux Spalati et proximarum insularum creatus fuit; eoque vicesgerente in Dalm. et Croatia relicto, Neapolim reuersus est mense Nouembris MCDIII.* Quum igitur nullum eiusdem exsistentis in Dalmatia vestigium ante mensem Augustum occurrat; tribus fere mensibus eiusdem in Dalmatia praesentis dominatus circumscribitur. Farlatus eius epistolae meminit, quam ad Spalatenses dedit (*a*) *Neapoli die 9. Nou. indict. XI.* Innuit et Turotzius, illum litteras ad Sigismundum dedisse, (*b*) vt perduelles plecteret. Sed haec rogasse censendus non est, qui Heruoiam, praecipuum turbarum auctorem, Spalati ducem creauit; qui Dalmatiam et Croatiam ei nomine suo gubernandam commisit; qui deinceps etiam regis Hungariae titulum retinuit. (*c*)

A. C. 1404. *Sig.* 18. *Ind.* 12. *P.* 30. *M.*

CXL. Sigismundus, post Ladislai discessum, fugae simillimum, solio plene restitutus, superioribus Hungariae partibus, quas in fide constantes mansisse Turotzius testatur, lustratis, suisque fauoribus vbique sparsis, Budam reuersus, illos, qui venia, liberaliter oblata, frui noluerunt, publicatis bonis, proscripsit, (*d*) *Budae, feria III. prox. post dom.* Inuocauit, *anno dom. MCDIV.* Hoc diplomate querelis nonnullorum occurrit, ac inter cetera possessiones infidelium, fidelibus ante resipiscentiam illorum donatas, in horum possessione relinquit. Non multo post alio diplomate constituit, ne bul-

lae

(*a*) Ill. S. T. III. p. 360. (*b*) Chron. P. IV. cap. 11. (*c*) Hist. Cr. T. XI. p. 574.—594. (*d*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 176.

lae Romanae citra consensum regium acceptarentur, (*a*) *Posonii, dominico die in octaua paschae, anno dom. MCCCCIV.* Aegerrime nimirum tulit, Bonifacium, a quibusdam factiosis persuasum, pacem ac tranquillitatem Hungariae restituendam esse, si Ladislaus, a seditiosis expetitus, rex coronaretur, iis consensum praebuisse. *His*, inquit Sigismundus, *proximis disturbiorum et regni nostri motionum temporibus, per bullatos ac alios auctoritate sedis apost. quoad nostri honoris, status et gradus deiectionem, regni nostri et coronae in alium translationem, ac alios ad nostri totalem depositionem, laborasse, et adhuc sentimus indefesse laborare.* Verum igitur illud, quod Niemius in haec verba scribit: (*b*) *Sigismundus, aegre ferens, quod praefatus Bonifacius contra eum talia fieri fecerat; ipse postea cathedrales ecclesias et monasteria, nec non omnia beneficia ecclesiastica in Hungaria dedit, quibus voluit.* Quod subinde ius patronatus in concilio Constantiensi regibus Hungariae firmius asseruit. Etsi vero Sigismundus a Bonifacio sua iura fuisse laesa quereretur; de sua tamen in sedem apostolicam obedientia nihil remisit; nec ad partes Benedicti pseudo-pontificis transiuit; ac Innocentio VII. qui Bonifacio IX. hoc anno kal. Oct. defuncto, post 10. dies suffectus est, constanter adhaesit; operam denique perutilem praestitit, vt diuturnum illud schisma tolleretur. Perperam igitur Spondanus schismaticum illum facit, licet negari non possit, illum limites suae potestatis excessisse, vt, quum a iurisdictione Ioannis archiepiscopi praepositum Posoniensem cum suo capitulo clerumque Budensem exemit,

(*a*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 92. (*b*) Libr. II. cap. 18.

exemit, (*a*) *Posonii*, *fer. VI. prox. ante dom.* Iubilate, *anno dom. MCCCCIV.* „ Volumus etiam, „ *inquit*, quod iuxta decreti nostri tenorem, quod „ vobis cum praesentibus dirigimus, nec in curia „ Romana, nec extra, contra eumdem (*praep. Poson.*) litem mouere — debeatis." Sed quia violenta non durant; eodem hoc seculo, sub Mathia Coruino, pristinum ius archiepiscopi receperunt. (*b*)

A. C. 1405. *Sig.* 19. *Ind.* 13. *P.* 19. *A.*

CXLI. Offensum adhuc animum hac exemtione Sigismundus expressit, et quamuis Ioanni metropolitae conciliatus iam fuerit; cancellarii tamen munus, Eberhardo Zagrabiensi collatum, ei non restituit. Eberhardus hic inconcussae fidei iam tunc documenta dedit; quum captum regem in arcem Siklosiensem inclusum esse comperit. Quia sumtibus ad eum iuuandum necessariis prouentus episcopales non suffecerunt; decimas capitulares ad id adhibuit, quas hoc anno restituit, (*c*) *secunda die festi B. Francisci conf.* Ille iam cum axiomate *supremi cancellarii* subscriptus est decreto Sigismundi, quod ordine secundum, vulgo *minus* dictum, articulos XXI. continet, quorum tituli sic inscribuntur: (*d*) „ *I.* Mensura liquidorum et aridorum per „ totum regnum ad mensuram ciuitatis Budensis „ conformanda. *II.* Mercatores forenses qualiter „ pannum vendere intra regnum possint. *III.* Notarii publici non valeant procurare inter duos „ laicos in iudicio seculari. *IV.* Appellationibus

„ ciuium

(*a*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 69. (*b*) Hist. Cr. T. XI. p. 594—623. (*c*) Ap. Farlat. T. V. p. 453. (*d*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 178.

„ ciuium, hospitum et populorum ciuitatum, de-
„ ferendum est. *V.* Malefactores puniendi facul-
„ tas penes quos sit. *VI.* Colonis migrandi libera
„ facultas data. *VII.* Arestari non potest aliquis;
„ nisi prius coram suo iudice conueniatur. *VIII.*
„ Laesi et damnum passi primo a iudice loci de
„ eo, qui vim intulit, iudicium petant. *IX.* No-
„ nam et decimam ex deposita in loco credibili
„ pecunia conuictus, vel qui caussam depositioni
„ dedit, soluere tenetur. *X.* Ciues et inhabitato-
„ res singuli ciuitatum regi contribuere tenentur.
„ *XI.* Mercatores incolae res suas deferant, quo-
„ quo libitum et placitum est. *XII.* Appella-
„ tio liberarum ciuitatum fit ad magistrum tauer-
„ nicorum. *XIII.* Dona, a liberis ciuitatibus regi
„ et officialibus debita, qualia sint. *XIV.* Eccle-
„ siastici profanas; seculares vero iudices ecclesia-
„ sticas caussas non diiudicent. *XV.* Aurum et
„ alia metalla exportari prohibita. *XVI.* Poena
„ eorum, qui res extraneorum — sub nomine re-
„ rum propriarum — vendunt. — *XVII.* Tricesi-
„ ma soluenda tam de rebus efferendis, quam in-
„ ducendis in regnum. *XVIII.* Monetarum vsus.
„ *XIX.* De regiis commutatoribus monetarum. *XX.*
„ Sales externi non inferantur. *XXI.* Aurum et
„ argentum — e regno non efferatur. — *Dat.* —
„ *A.D. MCCCCV. XVII. kal. Maii.* Decreto III.
huius anni II. prohibet *I.* „ Ne per vim transeun-
„ tes domini vel milites damna inferant quibusuis
„ regnicolis. *II.* Arestum nullus propria auctori-
„ tate faciat. *III.* Nec mutilationes membrorum.
„ *IV.* Nec potentiores vim inferant minoribus. *V.*
„ Arestationes ne fiant in propriis locis et bonis.
„ *VI.* Pondus, mensura et vlna Budensis seruen-
„ tur. *VII.* Aurei valor. *VIII.* Salium externo-

„ rum

„ rum prohibitio. *IX.* Proſcriptos aut perduelles „ nemo ad ſe recipere auſit. X. De iudicio colo- „ norum. *XI.* — Ciuium ciuitatum regiarum. *XII.* „ Eccleſiaſticus iudex cauſſas profanas, et ſecula- „ ris ſpirituales non iudicet. *XIII.* Poſſeſſiones, „ in quarum metis minerae ſunt, rex a nobilibus „ non auferat. *XIV.* Migratio colonis libera facta. „ *XV.* Cenſus colonorum. *XVI.* — non vexando- „ rum. *Dat. Budae, in feſto S. Dominici conf.* „ *A. D. MCDV.* Hoc decretum, vt prius, nouo ſigillo munitum fuit, et omne poſt hunc annum muniri debuit, vt Verbötzius tradit; (*a*) quo ſignatum eſt etiam diploma, C. Hermanno Cilleienſi datum, *an. dom.* 1405. *III. non. Aug.* (*b*)

A. C. 1406. *Sig.* 20. *Ind* 14. *P.* 11. *A.*

CXLII. Promulgata de nouo ſigillo ſanctione, vt *vniuerſae litterae donationales et aliae priuilegiales quondam D. Ludouici regis, ſub ipſius ſecreto dumtaxat ſigillo emanatae, ac dominarum Eliſabeth relictae et Mariae, filiae eiusdem Ludouici regis,— nec non ipſius Sigismundi R. ante* 1406. *qualitercumque confectae, ad confirmationem importarentur;* inter alios etiam Ioannes archiepiſcopus eccleſiae Strigonienſi factas ſub iis ſigillis donationes, noua confirmandas, exhibuit, quas Sigismundus *XIX. kal. Febr.* hoc anno confirmauit, (*c*) his decreti cauſſis inſertis: „Propter ſigillorum ipſarum domina- „ rum reginarum atque noſtrorum deperditionem, ac „ noſtri maioris, ſcilicet duplicis, ex cauſſis et ratio- „ nibus legitimis confractionem.—“ Subſcripti ſunt: „ Valen-

(*a*) Trip. P. II. Tit. 14. (*b*) Hiſt. Cr. T. XI. p. 628.—699.
(*c*) MSS. Heuenes. T. R. p. 46.

„ Valentinus card. *Quinqueecl.* gubernator; Ioannes „ *Strigon.* vacat *Coloc.* Lucas *Var.* Stephanus *Transsilu.* Eberhardus *Zagr.* vacat *Agr.* Ioannes *Iaur.* „ Ioan. *Bosn.* vacat *Vesprim.* vacat *Vac.* Fr. Dousa „ *Chan.* Hynko *Nitr.* — Nicolaus de Gara *palatin.* „ Ioannes et Iacobus, *vaiuodae Transsilu.* C. Frank, „ *iud. curiae*; Paullus Byssenus et alter Paullus „ de Pecht, *Dalm. Croat. Sclau.* Ioannes de Ma- „ roth *Machou. bani.* —" In diplomate, dato hoc eodem anno, *XV. kal. Maii*, post antistites ita proceres mutantur: „Nec non spect. et magn. viris, „ Hermanno, comite Ciliae ac Zagoriae, Dalm. „ et Croat. praedictorum ac Sclauoniae regn. no- „ strorum bano, socero nostro carissimo; Nicolao „ de Gara palatino, cet." Quum hic Hermannus a Sigismundo *socer carissimus* appelletur ac ante palatinum nominetur; argui certo potest, Sigismundum cum eius filia Barbara, iam ante sex annos desponsa, nuptias inter 14. Ianuarii, qua nondum *socer* dicitur, et 17. Aprilis, qua dicitur, celebrasse; nec eas ad an. 1408. vt aliqui volunt, differendas esse. Luculentissimum huius rei testimonium exhibet illud diploma, quo capituli Varadiensis amissa per incendium instrumenta litteraria recenset ac instaurat, (a) *Varadini, secunda die festi B. Lucae euang. anno dom.* 1406. Hic enim disserte meminit *dominae Barbarae reginae, consortis suae carissimae.* Dum Sigismundus cum noua coniuge diuersas Hungariae partes obibat, Innocentius VII. aliquas in Hungaria pro basilicis Romae reparandis eleemosynas colligi iussit, (b) *XII. kal. Sept. pontif. anno II.* Sed enim harum ille fructum eleemosynarum

(a) Ap. Pray Hier. P. II. p. 115. MSS. (b) Collect. Bull. Ed. 1750. T. II. p. 16.

mosynarum percipere non potuit, mortuus 4. Nouembris, cui 30. mensis eiusdem Gregorius XII. successit. (*a*)

A. C. 1407. *Sig.* 21. *Ind.* 15. *P.* 27. *M.*

CXLIII. Ad nouum hunc pontificem suos oratores Sigismundus misit, Valentinum cardinalem et Andream, archiepiscopum Spalatensem, quorum precibus pontifex permotus, Christi fideles ad opem Sigismundo ferendam contra Turcos, Arianos, Manichaeos ac alios infideles, propositis indulgentiis, cohortatus est, (*b*) *Senis*, *V. idus Nouembris*, *pontif. an. I.* Iam tunc, quum haec scriberentur, bellum gessisse Sigismundum, his verbis Gregorius indicat: „ Qui actu cum praefato rege, vel eius „ gente contra infideles huiusmodi nunc personaliter militant, per se vel alios. — " Ipsum regem expeditioni huic interfuisse, liquet ex litterarum, quibus filias Stephani de Looch praefecerat, hac subscriptione: (*c*) „ Datum in descensu nostro „ campestri prope castrum, Babuncz vocatum, „ die dominico prox. post festum natiuitatis virgi„ nis gloriosae, anno dom. 1407. " Etiam sequenti mense hanc expeditionem continuatam fuisse, hae litterae vaiuodarum ex MSS. Cornidesianis indicant: „ Iacobus Lachk de Zantho et Ioannes Henrici de Thamasy, vaiuodae Transsiluani et comites de Zolnuk. — Ad nostram audientiam peruenit, qualiter Ioannes, filius Nicolai de Somkerek, Emericum de Budaych interemisset. — „ Datum in descensu campestri iuxta fluuium Or„ baz,

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 693.—723. (*b*) Ap. Rayn. an. 1407. n. 32. (*c*) Ex autographo.

„ baz, ſecundo die feſti B. Franciſci conf. anno „ dom. MCCCCVII.“ Nondum regem e Croatia IX. Decembris in Hungariam rediuiſſe, patet ex eius litteris, Kaprontzae hac die datis, quibus Nicolaum Garazda de Kereſztur et Ladislaum de Zilagy, quod caſtrum Ztrebernik *per continuos 4. annos* ſtrenue contra Turcas et Bosnenſes defenderint, remuneratur. (*a*)

A. C. 1408. *Sig.* 22. *Ind.* 1. *P.* 15. *A.*

CXLIV. Ex aliis litteris, quibus eorumdem merita Sigismundus recenſet, apparet, bellum etiam hoc anno contra Bosnenſes continuatum eſſe. Sic enim illic Sigismundus priora proſequitur: (*b*) „ Sa„ ne nobis in aeſtate proxime transacta dictorum „ noſtrorum aemulorum, Turcorum videlicet et „ Boznenſium, tyrannicam rebellionem — tolerare „ non valentibus, et contra eosdem, validiſſimo „ noſtro inſtaurato exercitu, dictum regnum Boz„ nae intrantibus, et quam plurima caſtra et ca„ ſtella — noſtrae ditioni triumphaliter ſubiuganti„ bus; praefati Nicolaus et Ladislaus, — dum eos„ dem — ad obſidionem cuiusdam caſtri, Branich „ nuncupati, in terra Vzurae ſituati, fortis nimis „ et excelſi, deſtinaſſemus; ipſum caſtrum viriliter „ et potenter obtinuerunt, et noſtris regiis mani„ bus applicarunt. — Dat. Budae, in feſto B. Tho„ mae epiſc. et mart. anno dom. 1408.“ Sigismundum victorem facit etiam Dlugoſſus ad hunc annum. *Multos Bosnenſes*, inquit, (*c*) *aut depriuat capite, aut deiicit de muro, regnumque vniuerſum redegit in*

(*a*) Hiſt. Cr. T. XI. p. 734.—744. (*b*) Ex MSS. Cornideſ.
(*c*) Libr. X. col. 194.

in obedientiam et tributum. Praius ex Windeckio refert, (*a*) ex proceribus et nobilibus 126. captos et capite truncatos esse. Heruoia quoque, teste Lucio, (*b*) *rebus suis prospiciens, — Bosnenses suae partis — cum Sigismundo conuenire suasit.* Cui postea Sigismundus, (*c*) *pro singulari honore quoddam clenodium, scilicet signum draconis* contulit. Quem *Draconis* ordinem a Sigismundo hoc anno *prid. idus Dec.* institutum esse, Carolus Palma perhibet, (*d*) *contra paganos, schismaticos aliarumque nationum orthodoxae fidei ac crucis Christi et regnorum eius aemulos.* (*e*)

A. C. 1409. *Sig.* 23. *Ind.* 2. *P.* 7. *A.*

CXLV. Atque hoc certissimum est argumentum victoriae Sigismundi, quod Heruoia, qui mordicus alias Ladislai partes propugnauerat; nunc rebus suis consulturus, eodem destituto, cuius res magis in dies, post hanc Sigismundi victoriam, labascebant, cum legitimo rege pacem ineundam censuerit. Nam id reuera factum esse, Sigismundus ipse testatur, litteris ad Traguerienses ita datis: (*f*) „Sigismundus — Auditis, prout non ambi„gimus, pace, vnione et concordia, inter nos et „D. Heruoiam, ducem Spalati, cet. ac vniuersi„tatem regni nostri Bosnae initis, — quod, ad in„star aliarum ciuitatum regnorum Dalm. et Croat. „— nuncios vestros ad nos destinare distulistis, „ non

(*a*) Annal. P. II, p. 226. (*b*) Libr. V. C. IV. p. 423. (*c*) Id. L. V. C. V. p. 433. (*d*) Not. H. P. II. p. 194. (*e*) Hist. Cr. T. XI. p. 747.—752. (*f*) Ap. Luc. L. V. C. IV. p. 423.

„ non immerito admiramur. — Dat. Budae, in fe„ sto epiphaniae domini, MCDIX. " Idem testatur in diplomate, quibus insignia nobilitatis Garazdiis et Szilagyiis confert, in haec verba: — „ Quum „ alias illustris D. Heruoia, dux Spaleti et par„ tium inferiorum comes, regnique nostri Bosniae „ barones, nobiles, proceres ac incolae vniuersi, „ pro nunc, occulto DEI iudicio, ad veram obe„ dientiam et fidelitatis obseruantiam reuersi — " *Dat. — anno dom. MCCCCIX. VI. kal. Martii.* — Spalatenses iam hoc anno Sigismundi nomen ita suis tabulis inseruerunt: (*a*) „ Anno 1409. Ind. 2. „ 8. Maii, regnante D. ser. principe et domino „ naturali, D. Sigismundo, D. gr. Hung. Dalm. — „ rege inclito; nec non magn. et spect. D. nostro „ Heruoia, duce illustri Spaleti. — " Sigismundus igitur, Heruoia sibi conciliato, tam Spalatum, quam reliquam Dalmatiam postliminio recepit, excepta Iadra, quam Ladislaus retineri non posse ratus, omne suum ius et in illam, et totam Dalmatiam Venetis, *pro ducatis* 100. *millibus*, vt tabulae loquuntur, (*b*) vendidit; *et die sequenti, scilicet vltima Iulii, ciuitas et arx* Iadrensis *eisdem tradita, A. C.* 1409. Nullus vmquam regnum tam abiecto pretio redemtum aut legit, aut audiuit, vt hic fabula de Suatoplugo, regnum equa Hungaris vendente, historia videatur euasisse. Vile hoc pretium vendentis et ementis ius infirmum indicat. Agnouit resp. Veneta, Sigismundum esse legitimum Hungariae regem, dum, vt eligeretur, per suos oratores egit. Agnouit igitur, Dalmatiam ad eum pertinuisse, nec a Ladislao vendi potuisse; quum alioqui

(*a*) Ap. Farlat. T. III. p. 361. (*b*) Ap. Luc. L. V. C. V. p. 424.

alioqui, licet legitimus rex fuisset; consensus Hungarorum ad abalienationem accedere debuisset. (*a*)

A. C. 1410. *Sig.* 24. *Ind.* 3. *P.* 23. *M.*

CXLVI. Sigismundus, tanta victoria potitus, in vindicandis sacrae coronae iuribus suscipiendisque bellis indefessus, maioris iam non tantum ab Hungaris, sed etiam exteris aestimari. Mox igitur aliam Hungaria faciem induit: et, vt Turotzius loquitur, (*b*) *vniuersae in regno paratae insidiae vndique tacuere: ipse quoque rex, ab illic quieto potitus sceptro, infra vitae suae limites suo in regimine intestino tumultu turbatus est numquam. Igitur, quum tantis calamitatibus iuuenis princeps saepius agitatus, moribus et vita melioratus esset, immobilique sui regni dominio etiam nationibus ab extraneis fungi prospiceretur; et iam tres et viginti in Hungaria regnasset annos; in regem Rom. electus est.* Multum ad id contulit Ioannes XXIII. pontifex, qui, Ruperto caes. 18. Maii defuncto, quum de successore constituendo deliberaretur, vt Fleurius e Tritemio scribit, (*c*) *ad electores misit nuncios cum litteris, quibus illos magnopere hortabatur et orabat, vt in Romanorum regem eligerent Sigismundum Luxemburgium. — Vigesima Septembris fuit, qua eum eligebant archiep. Treuirensis, comes Palatinus et marchio Brandenburgius. Deliberabant adhuc archiepiscopi Moguntinus et Coloniensis: ac postquam Iodocum, Moratiae marchionem, cooptarunt; sed grandis natu 20. Martii* (8 Ian.) *anno sequente obiit; tunc electores cuncti agnoscebant*

(*a*) Hist. Cr. T. XI. p. 759.—779. (*b*) Chron. P. IV. cap. 13. (*c*) Libr. C. §. XLVII. p. 697.

bant Sigismundum, qui regnauit annos 27. Ab hoc Sigismundo Franciscus Augustus quartus decimus est, qui Hungariae regiam dignitatem cum imperiali coniunxit. (*a*)

A. C. 1411. *Sig.* 25. *Ind.* 4. *P.* 12. *M.*

CXLVII. Qua de caussa Sigismundus exercitum ad Sauum sub anni prioris exitum promouerit; incertum est. Quum enim donationem Piponis confirmauit; diploma dedit *in descensu campestri, videlicet in portu fluuii Zabe, Razcha vocato, secundo die festi B. Emerici D. et C. anno dom.* 1410. Sub exitum autem Decembris litteras ad Stephanum de Remethe dedit *in Diako, in festo B. Ioannis ap. et eu.* Videtur inferiores Dalmatiae partes, quas Veneti mercando suas facere conabantur, vindicare voluisse. Sed metu Polonorum, superioribus regni partibus imminentium, mense Ianuario Cassouiam militibus profectionem edixit. Hic ille diplomata mense tam Martio, quam Aprili dedit, titulo *regis Romanorum* vsus, (*b*) ac induciis ad festum assumtae virginis, anni sequentis, inter Hungaros et Polonos prorogatis, meridionalem Hungariam lustrauit, ac *in Temeswár, fer. IV. prox. post festum BB. Viti et Modesti MM. anno dom. MCDXI.* litteras signauit. Augusto rursus et Septembri mense Visegradi diplomata dedit. Inde Budam reuersus Elisabetham filiam, vix in lucem editam, Alberto Austriaco despondit. Sequenti mense Posonium profectus, de lucro camerae decretum IV. articulos VI. complexum condidit, hoc ordine: (*c*) „*I.* Di-

„catores

(*a*) Hist. Crit. T. XII. p. 1.—9. (*b*) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 255. (*c*) Corp. Iur. H. T. I. p. 188.

„ catores vltra duos denarios a iudicibus ratione „ quietantiarum non accipiant. *II.* Portae maiores „ ad denarios 30. et minores ad 15. dicentur. „ *III.* Familiares dominorum terrae non dicentur. „ *IV.* Restantiae contributionum per comites et „ vice-comites exigantur. V. Decimatores iura„ mento rusticorum credere et stare debent. *VI.* „ Decimae per censuram ecclesiasticam extorquen„ dae sunt. — Dat. Posonii, in festo B. Francisci „ conf. A. D. MCDXI. regn. anno Hung. 24. Rom. „ 2.ª (*a*)

A. C. 1412. *Sig.* 26. *Ind.* 5. *P.* 3. *A.*

CXLVIII. Aperitur annus, multarum rerum feracissimus, quo Sigismundus et Wladislaus non tantum perpetuam pacem inter se pacti, sed etiam per nobiliora Hungariae loca simul peregrinati, magnaque honoris et amoris mutui significatione post longiorem Wladislai regis in Hungaria moram inuicem diuulsi sunt. Argumentum hoc narrationis iucundum Dlugossus suis suspicionibus solitisque cauillationibus corrumpere conatur. Secundum legatorum vtriusque partis sententiam, anno superiore pronunciatam, et a regibus confirmatam, Wladislaus Sandeczium, Sigismundus Lublouiam vel Kesmarkinum pro dominica quinquagesimae se conferre debebant. Iam hic Sigismundo Dlugossus ingentem metum ac sollicitudinem affingit, (*b*) vt Wladislaum, quasi grauiter in illum deliquisset, sibi propitium reddere posset. Et quasi Wladislaus non ideo Sandeczium accessisset, vt cum Sigismun-

 do

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 37.—77. (*b*) Libr. XI. col. 317.—326.

do pacis negotium pertractaret; rursus aegre potuisse per nuncios illum induci fingit, vt id ageret, cuius caussa venit. Vt autem aequis lectoribus pateat, quam caute Dlugosso fides in narratione rerum Hungaricarum adhibenda sit; argumenta longius non accersam; sed, ipsius dumtaxat verbis in medium productis, ex chronologia lumen accendam, quo, tenebris dissipatis, veritas magis eluceat. Ius ille Hungaricum in Russiam rubram saepe iam alias praefracte negauit, quod nos et synchronorum testium, et regiorum diplomatum fide saepius asseruimus et stabiliuimus. Idem ius Hungariae reges in laudatas prouincias habuisse, tabulae foederis, inter reges nunc initi, tam dissertis verbis adstruunt, vt ipse Dlugossus agnoscat, vim illis inferri non posse. Quid igitur agit? vt commenta sua, toties iam difflata, contra manifestum harum tabularum testimonium tueri nunc quoque possit; ad comitia recurrit: Sigismundum astutum et periurum; Wladislaum iurium suorum rudem et ignarum facit. Quum Sigismundus in secreto colloquio promisisset *exterminium* cruciferorum Prussiae; *credidit*, inquit, *princeps simplex et rectus Wladislaus P. R. huic vafro callidoque Sigismundi regis promisso.* Secretum hoc colloquium ait Dlugossus habitum fuisse, *sabbato ante dominicam Iudica*, seu XIX. Martii. Tunc, inquit, *Sigismundus rex noua rogatione peruicit* Wladislaum, *quatenus faciat secum, omnibus arbitris exclusis, ad secretam cameram ingressum.* Tunc Sigismundus, *ad versutias plenus, simplicem Wladislaum vafro promisso, consiliariis eius ignorantibus*, induxit ad consensum illarum tabularum, quae *XV. Martii* datae sunt. Hoc est, *XIX. Martii* persuasus est, vt in illas tabulas consentiret, in quas *XV. Martii* consensit. Quae haec

portenta?

portenta? Tabulas illas tam sub Sigismundi, quam sub Wladislai nomine, plures vulgarunt, signatas *XV. die mensis Martii, anno dom. MCDXII.* quibus sigillum regis appensum est, et hic 50. procerum Poloniae, totidem illic Hungariae nomina subscripta sunt. Non igitur clam hae foederis conditiones sancitae sunt, quibus tot proceres tam Hungariae, quam Poloniae subscripserunt; nec Wladislaus simplex et ignarus iurium regni sui, cui iam in 26. annum praefuit, dici potest. Conclusum hac pace fuit, vt, induciis post obitum alterutrius regis in quinquennium prorogatis, de partis vtriusque iuribus in Russiam rubram decideretur. (*a*)

CXLIX. Quia Sigismundus bellum Venetum meditabatur, ad quod securius gerendum pax cum Polonis necessaria fuit; ad tempus quidem aliquod possessionem Russiae Polonis concessit; iuri tamen in illam non cessit, et tam ille, quam successores Halliciam et Lodomeriam titulis suis innexuerunt. Inuitatus deinde Wladislaus ad nobiliores Hungariae ciuitates visendas, Cassouiam primum cum Sigismundo profectus, suis praelatis et baronibus hic primum tabulas foederis exhibuit, vt Dlugossus fingit, qui, subiicit, (*b*) *inuiti pactis assentiunt* XXI. Martii, quibus XV. Martii sigilla sua iam appresserunt. Et illud absurdum, *alteram rursus petitionem* hic Sigismundum adiecisse, ne scilicet promissa, de cruciferis exterminandis facta, tabulis insererentur, licet a se fideliter exsequenda. Atqui tabulae iam prius confectae, subscriptae, sigillis munitae fuerant, in quibus nulla cruciferorum exterminandorum mentio facta fuit. Nec umquam Sigismundus in ex-

 cidium

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 78.—101. (*b*) Libr. XI. col. 321.

cidium cruciferorum consensit; secus enim impudenter mentitus fuisset, quum pacis arbitrium inter Wladislaum et cruciferos in se recepit, (*a*) *Cassouiae, anno dom.* 1412. *feria 6. ipso die annunciationis virginis gloriosae.* Fraudulenter etiam Wladislaus hoc negotium illi postridie credidit. Simili censura dignus est Dlugossus, quum iter regum Cassouia Varadinum describit, ac addit: *Quindecim diebus reges ambo apud Varadinum morati, pascha domini illic agunt.* Et tamen habemus diplomata Sigismundi feria V. tam ante, quam post pascha Cassouiae data. (*b*) Fama potentissimorum regum, Budam aduentantium, tot vndique finitimos principes eodem exciuit, vt aula regis Hungariae principum Europae domicilium dici potuerit. Nam, vt Praius e Windeckio refert, (*c*) *aderant, praeter regem Bosniae, Albertum et Ernestum, Austriae duces, bini Bauariae principes, duces variarum gentium* 19. *optimatum dignitate conspicui* 58. *equestris ordinis ex Gallia, Italia, Bohemia, Bulgaria, Graecia et Albania, praeter Polonos,* 1400. Postquam Sigismundus Wladislaum quinque fere mensibus hospitem habuit; *in die S. Magdalenae, reges,* vt Dlugossus narrat, (*d*) *vna simul ex Vaprin* (f. Vadkert) *egressi, in monasterium, quod appellatur Nostra, fratrum heremitarum, — perueniunt: et sermonibus multifariis atque amplexibus in magna caritate atque dulcedine celebratis, valedictione alter in alterum impensa, discessionem faciunt.* (*e*)

CL.

(*a*) Ap. Dogiel T. IV. p. 87. (*b*) Ap. Wagn. Saros p. 101. Scep. P. I. p. 211. (*c*) Annal. P. II. p. 236. (*d*) Libr. XI. col. 330. (*e*) Hist. Cr. T. XII. p. 101.—115.

CL. Dubitari vix potest, quin Sigismundus iam tunc, quum Wladislaum in Hungaria tamdiu hospitem habuit, animum ab eo mutuam leuandi pecuniam aperuerit. In hunc finem XIII. vel potius XVI. oppida Scepusiensia Polonis in pignus transscripsit, hoc diplomate: (a) „ Nos Sigismun-
„ dus, D. gr. Romanorum, Hung. — — rex, re-
„ cognoscimus, — ratione veri mutui nos a ser.
„ principe D. Wladislao, rege Poloniae, eius prae-
„ latis et baronibus 37. millia sexagenarum latorum
„ grossorum nouae monetae, numeri Bohemicalis,
„ boni ac iusti ponderis, habuisse, et cum effectu
„ recepisse. Quem quidem D. Wladislaum, regem
„ Poloniae, successoresque, praelatos et barones
„ ipsius, in restitutione earumdem pecuniarum, as-
„ securare eum cupientes, — sibi et eius succes-
„ soribus, praelatis et baronibus, terras, videlicet
„ castrum nostrum *Lublo*, alias Lublaw, cum op-
„ pido, et oppidum *Podolinitz* cum fortalicio ac
„ villis, ad ea pertinentibus, nec non oppidis et
„ ciuitatibus infra scriptis, in terra nostra Scepu-
„ siensi, dioecesis Strigoniensis, situatis, videlicet
„ *Gnizna*, *Bela*, *Leubicz*, *Menhartsdorff*, *Georgen-*
„ *dorff*, *Temtschendorff*, *Michelsdorff*, *Valendorff*,
„ *Nemdorff*, *Rysdorff*, *Fülka*, *Kirchdorff*, *Matthis-*
„ *dorff*, *Dureldsdorff* nuncupatis, cum eorum omni-
„ bus attinentiis — obligamus; — quousque sibi
„ aut eius successoribus, praelatis aut baronibus,
„ per nos aut successores nostros praedicta 37. mil-
„ lia sexagenarum latorum grossorum Bohemicalis
„ monetae, boni et iusti ponderis aut valoris ea-
„ rumdem, in auro et argento, fuerint efficaci-
„ ter persoluta. — Datum Zagrabiae, octaua die OO.
„ SS.

(a) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 212.

„ SS. annó domini MCDXII." Ingens vulnus Hungariae hac oppignoratione Sigismundus inflixit, cui multis medicam manum admouere frustra conatis; tandem M. Teresia post annos 360. felix et efficax remedium adtulit. Quum enim grossorum et sexagenarum valorem aliqui nimium augerent, nec in eo definiendo conuenire seu possent, seu vellent; illa felici demum ictu nodum Gordium vel soluit, vel dissecuit, et famigerata XIII. iam XVI. oppida postliminio Hungariae ditionibus adiunxit 5. Nouembris anno 1772. Nullam igitur video iam necessitatem indagandi valorem 37. millium sexagenarum, quem Kerchelichius exhibet aequalem fl. 88800. (*a*) Schwartzius extendit ad fl. 98666⅔ (*b*) Dobnerus apud Praium reducit ad fl. 740000 (*c*) Errat iterum Dlugossus, (*d*) quum pro 37. millibus 40. millia sexagenarum mutuo data Sigismundo scribit. (*e*)

CLI. Idem Dlugossus asserit, Sigismundum *ad prosequutionem imperialis fastigii* mutuum illud aes leuasse. Sed bene Schwartzius obseruat, (*f*) *in mutuum sumendum, alienandas a regno partes tam eximias, non videri consensuros fuisse status et ordines regni Hungariae; si tantum ad imperiale fastigium prosequendum rex illo indiguisset. Domi potius rerum suarum Hungari per illud tempus satagebant, bellaque magnorum sumtuum apparabant.* Bellum per illud tempus apparabatur, immo iam gerebatur in Venetos, qui Iadram a Ladislao Dyrrhachino cum iniuria regni Hungariae mercati, reliquam etiam Dalmatiam sensim carpebant. Ostrouitza 5000. ducato-

(*a*) Not. Pr. p. 381. (*b*) Flor. Sparf. p. 72. (*c*) Ann. P. II. p. 243. (*d*) Libr. XI. p. 333. (*e*) Hist. Cr. T. XII. p. 125.—135. (*f*) Flor. Sparf. p. 26.

ducatorum anno superiore redemta, *res Sibenicensium*, inquit Lucius, (*a*) *eo magis coarctatae fuere: — Venetis tandem ciuitatem tradere pacti sunt die 30. Octobr. anno 1412.* Subinde, *sicuti Veneti Iadram et Sibenicum sedulo muniebant; ita Sigismundus, pro reliquorum locorum conseruatione classis indigus, — Hugolinum de Auria Ianuensem, electum admiratum, statim atque Sibenicum amiserat, Tragurium miserat; tuncque ciuitas muniri coepta est et triremes adornari.* Dlugossus iterum errat et bellum hoc occupat; dum, Wladislao Budae commorante, narrat, (*b*) Venetorum legatos, Dalmatia retenta, *nonnisi album equum, purpura tectum, pro tributo annuo, — Hung. regibus —* obtulisse; subiicitque: *Sigismundus rex, — in magnam iram excandescens, quinque Venetorum signa bellica, per capitaneum suum, P.ponem de Florentia, caeso Venetorum exercitu apud Forum Iulii, ante vnum annum capta, — in strata magis trita, vt conculcarentur a transeuntibus, — poni iussit.* Bellum enim istud cui Pipo, seu Philippus de Ozora, praefuit, Praius ex Windeckio ad hunc annum, et *post Wladislai discessum*, collocat. (*c*) *Hunc rex*, inquit, *cum 40. millibus pedetentim consequutus, Zagrabiam venit.* Neque tamen vltra Zagrabiam progressus, signatis illic accepti mutui tabulis 8. Nouembris, Visegradum reuersus; ibidem 13. die mensis eiusdem litteras ad Scepusiense capitulum dedit. (*d*) Niemius item testatur, exeunte hoc anno Sigismundum misisse, *tempore hiemali ad partes Foroiulii in Italiam aliquot capitaneos cum certo exercitu*, cuius res ge-

stae

(*a*) Libr. V. Cap. V. p. 426. 435. (*b*) Libr. XI. col. 329. (*c*) Annal. P. II. p. 236. (*d*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 364.

ſtae commodius anno ſequente referentur. Lucius quidem innuit, (*a*) Sibenico 30. Octobris amiſſo, Hungaros Oſtrouitzam recepiſſe; ſed eam ante 22. Iulii iam recuperatam fuiſſe, certum eſt ex Sigismundi diplomate, quo Subichios remuneratur, (*b*) *Budae, in feſto B. M. Magdalenae anno dom. MCDXII.* Sic inter cetera loquutus: „ Nouiſſime vero caſtrum „ noſtrum Oztrouiche, in dicto regno noſtro Croa„ tiae habitum, per Venetos, noſtros et ſacrae co„ ronae noſtrae notorios aemulos, occupatum, et „ iniurioſe detentum, ipſorum et proximorum ac „ familiarium perſonas formidabilibus fortunae ca„ ſibus — intrepide ſubmittendo, — a manibus, „ poteſtate et regimine ipſorum Venetorum obti„ nuerunt. — " Certum igitur eſt, hoc anno bellum cum Venetis iam geſtum eſſe. (*c*)

A. C. 1413. *Sig.* 27. *Ind.* 6. *P.* 23. *A.*

CLII. Initia belli Veneti proſpera fuerunt, quibus tamen exitus, propter Pippi ſeu negligentiam, ſeu perfidiam, non reſpondit. *Ille*, ſcribit Bonfinius, (*d*) *recepto Vtino, in Taruiſinorum fines caſtra mouit: Venetis Sereuallum, Bellunum, Feltrum ac Metam abſtulit.* Quomodo Hungari praedarum intempeſtiua cupiditate victoriam e manibus dimiſerint; chronicon Taruiſinum refert. (*e*) Erratum eſt a Pippo, quod poſt felicem irruptionem, diſſipatis hoſtium turmis, pluribusque ciuitatibus deditione captis, non illico Taruiſio copias admouerit; ſed, praedis in terra Serrauallis agendis intentus, e ſolis

ſpoliorum

(*a*) Libr. V. Cap. V. p. 431. (*b*) Ex MSS. Corpideſianis. (*c*) Hiſt. Cr. T. II. p. 135.—145. (*d*) Dec. III. L. III. p. m. 427. (*e*) Ap. Murat. Tom. XIX.

ſpoliorum, quae milites collegerant, decumis, intra paucos dies, 66. aureorum millia corraſerit. Nam interea Taruiſium, quod primo metu deditionem ſpectabat, ad defenſionem egregie ſe comparauit. Sunt, qui Pippum, auro Veneto corruptum, ſpatium reſpirandi Venetis ſeque confirmandi prudentem volentemque praebuiſſe perhibeant. *Quem*, inquit Bonfinius (*a*) *detecta viri auaritia*, *Sigismundus*, *infuſo in os auro*, *vt aiunt*, *enecari iuſſit.* Quod quidem ipſe Bonfinius dubie refert, et falſum eſſe, deinde patebit. Certius eſt, quod ita ſubiungit: *Quum praefecti ſui cupiditate victoriae ſucceſſum interceptum eſſe intellexiſſet; inſtauratis exercitibus, in Italiam venit.* Nam Sigismundum non in Iſtria ſolum ſubſtitiſſe, quod aliqui volunt; ſed in Foroiulium ipſum penetraſſe, certum eſt ex Alberti litteris, Ladislao de Gara datis, vbi ſic loquitur: (*b*) „ — Quum, collecta fidelium ſuorum expedi-
„ tione valida, pro recuperatione ciuitatum, ca-
„ ſtrorum et bonorum ſuae coronae, ſub tempore
„ diſturbiorum praemiſſorum, ad manus inimicorum
„ regni Hung. et ſuorum, ſpecialiter Venetorum,
„ qui ciuitatem Iadrenſem et caſtrum Auraniae,
„ cum nonnullis aliis ciuitatibus, caſtris et fortali-
„ ciis regni Dalmatiae, vſurparant; *in terras Iſtriae*
„ *et Fori — Iulii* ipſe dominus rex perſonaliter
„ profectus fuiſſet; praefatus quondam Nicolaus
„ palatinus — eumdem ſequutus, in plurimorum
„ caſtrorum et fortaliciorum oppugnatione et ob-
„ tentione — eidem aſſiſtere non deſtitit. — Igitur,
„ dum idem D. Sigismundus rex praemiſſae expe-
„ ditionis proceſſum feliciter continuaret; cogenti-
„ bus

(*a*) Dec. III. Libr. III. p. 421. (*b*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 564.

„ bus eumdem regni ſui Romani expeditionibus,
„ — in partes Alemanniae et Italiae per principes
„ ſacri imperii euocatus, debuiſſet ſe conferre; ne
„ res ipſa Hung. improuide deſerta remaneret; idem
„ Nicolaus palatinus cum Venetis antelatis — treu-
„ gas quinquennii, hinc inde pacifice durandas,
„ ſui induſtria conſilii ſtabiliuit. — " Raynaldus ex auctore diarii Veneti refert, (*a*) *Sigismundum*, — *adhibito ſocero*, Ciliae *comite*, *concordiae interprete*, 28. *Aprilis die*, *inducias cum Venetis eorumque ſociis pepigiſſe*; *acceſſiſſe* 9. *Maii Genuenſium oratores*, *deprecaturos*: „ vt in Turcas vtrorumque arma ver-
„ terentur; quum Graecorum imperium ab ipſis in
„ ſummum diſcrimen adductum eſſet. " (*b*)

CLIII. Inter plures cauſſas accelerandi has inducias fuit metus a Turcis, quos Heruoia, dux Spalati, clam ad inuadendam Bosniam ſollicitauerat, vt ex interceptis eius litteris compertum erat. Ergo Sigismundus, querelis etiam Spalatenſium, a quibus contra veterem libertatem multa per vim et metum extorſerat, permotus, Heruoiam, tamquam perduellem, recenſitis pluribus eius flagitiis, exauctorauit, (*c*) *in Pulſano in feſto B. Petri ad vincula*, *anno dom. MCDXIII.* Heruoia quidem per ſuos amicos egit, vt Sigismundum ſibi conciliare poſſet; ſed vt Doymus ſeu Domnius archiepiſcopus ſuis Spalatenſibus ſcripſit, (*d*) Imperator *nullam deliberationem voluit facere in factis Heruoy*, *niſi ſecundum voluntatem Spalatenſium.* Interrupti cum Venetis belli cauſſa quoque fuit exhauſtum aerarium

rium

(*a*) Ad an. 1413. (*b*) Hiſt. Cr. T. XII p. 147—153.
(*c*) Ap. Luc. L. V. C. V. p. 432. (*d*) Ap. Farlat. T. III. p. 364.

rium, cuius indicium certum sunt octo millia florenorum, ab Andrea Kapio pro rege mutuo leuata, testibus Sigismundi litteris, (a) *datis Budae, sabbato proximo post festum B. Michaelis arch. anno dom.* 1413. Plerique tamen censent, praecipuam induciarum, cum Venetis tam propere sancitarum, caussam fuisse studium exstinguendi schismatis in ecclesia per concilium generale. Sigismundus enim, imperator electus, memor, ecclesiae protectoris munus suae dignitati connexum et innatum esse, nihil non egit, quo pertinax malum, quod ecclesiam 35. iam annis in partes distrahebat, efficaci remedio tandem e medio tolleretur. Huic occasionem dederunt quidam cardinales Galli, pontificis Vrbani VI. seueritatem perosi: qui, postquam antipapam Clementem VII. elegissent, ac ex Italia secum Auenionem deduxissent; huic subinde mortuo Petrum de Luna sub nomine Benedicti XIII. subrogarunt. Interim apud catholicos Vrbano VI. Bonifacius IX. anno 1389. huic Innocentius VII. anno 1404. demum Gregorius XII. successit anno 1406. qui pontificatu se cessurum promisit; si Benedictus XIII. idem facere voluisset. Sed, quum id ille non fecisset, amboque pro papa se gererent; vtriusque partis cardinales, vtroque simul exauctorato, primum Alexandrum V. anno 1409. deinde, hoc mortuo, Ioannem XXIII. pontificem renunciarunt anno 1410. Quum igitur tres in partes ecclesia scinderetur; ac alii hunc Ioannem, alii Gregorium XII. alii Benedictum XIII. sequerentur; Ioannes concilium indixit, ac legatis ad Sigismundum missis, eius arbitrio commisit, vt locum, tempus, modum congregandi generalem synodum constitueret. Imperatori,

(a) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 369.

peratori, re collata cum apost. sedis legatis, Constantia placuit, et prima dies Nouembris anni sequentis; vulgatis ea de re litteris, (*a*) *anno a natiuitate dom. MCCCCXIII. die lunae, penultima Octobris.* Vt vero cum ipso pontifice pluribus agere posset; ad illum se contulit primum Placentiam, deinde Laudam, vnde tam ad Gregorium XII. quam ad Carolum, Franciae regem, de concilio celebrando scripsit. (*b*)

A. C. 1414. *Sig.* 28. *Ind.* 7. *P.* 8. *A.*

CLIV. Post Laudensem vnius fere mensis cum pontifice congressum, Sigismundus, Cremonam profectus, litteris, ibidem *in festo epiphaniarum domini, anno eiusdem MCDXIV.* confectis, (*c*) *Ioannem, archiepiscopum Strigoniensem, et Nicolaum de Gara, palatinum, gubernatores et vicarios regni generales, absente se, constituit.* Cremonae diutius moratus, indidem mandatum Zagrabiam misit, (*d*) *festo conuersionis S. Paulli.* Mense Iunio iam Tridenti fuit, vbi cum Carolo VI. Franciae rege, foedus instaurauit, (*e*) 25. *die mensis Iunii.* Lustratis pluribus imperii ciuitatibus, Octobris die 18. Spirae Ioanni Huss securitatis litteras dedit, quibus liber tantum accessus ad concilium concedebatur; nusquam autem exprimitur, vt, spretis concilii decretis, in Bohemiam impune reuerteretur. In spargendis erroribus socium ille habuit Hieronymum Pragensem, qui quum publicas fidei litteras petiisset; *imperator ab initio reluctatus est*, vt continuator Fleurianus perhibet,

(*a*) Ap. Pray Annal. P. II. p. 248. (*b*) Hist. Cr. T. XII. p. 253.—173. (*c*) Ex. MSS. Cornid. (*d*) Kerchel. H. E. Z. p. 159. (*e*) Pray Ann. P. II. p. 252.

perhibet, (a) *quum vero a Bohemiae nobilibus vrgeretur; — dixit:* „ Dabimus ei salui commeatus litteras, quibus munitus accedat; non tamen inde recedat. " Sigismundus, Aquisgranum profectus, 8. Nouembris argentea redimitus est imperii corona. Ioannes XXIII. antequam ad concilium accessisset; Cremonae vel Bononiae se continebat, vnde Ladislaus, rex Neapolitanus, illum pellere voluit; sed graui morbo correptus, VI. mensis Augusti viuere desiit. Pontifex, Ladislai metu solutus, kalendis Octobris Bononia Veronam, inde Tridentum discessit; denique Constantiam 28. mensis eiusdem ingressus, 5. Nouembris concilium inchoauit. Eodem etiam Sigismundus, cum Barbara coniuge, per palatinum adducta, sollemniter ingressus, quum nocte natiuitatis, vt idem continuator narrat, (b) *summus pontifex — primum missae sacrificium sollemni ritu perageret; imperator, habitu diaconi indutus, adstitit, eoque sacro officio fungens, cantauit euangelium, ex cap. 2. S. Lucae desumtum:* „ Exiit edictum a caesare Augusto — " — *Sigismundus tunc temporis nonnisi 46. aetatis annum agebat, princeps magni ingenii, naturali eloquentia praeditus, litteratorum virorum fautor, atque expedita Latini sermonis facilitate clarus.* (c)

A. C. 1415. *Sig.* 29. *Ind.* 8. *P.* 31. *M.*

CLV. Omnia, quae tollendi schismatis caussa Sigismundus egit, enarrare longum esset; nec id ad Hungariae historiam proprie pertinet. Quia tamen

---

(a) Tom. XXVI. p. 4. (b) Tom. XXV. p. 414. (c) Hist. Cr. T. XII. p. 177.—199.

men ista quoque cum gloria gentis aliqua ratione coniuncta sunt; ne prorsus ignoremus, quid noster rex extra regnum, pacis in orbem Christianum reuehendae caussa, susceperit ac perfecerit; ex iis etiam aliqua hic delibabimus. Tanta prouidentia Sigismundus omnia Constantiae constituit, vt, quamuis circiter 100. millia peregrinorum illuc confluxerint, ac interdum 30. circiter equorum millia numerarentur; vix vllus tamen de necessariis alimentis quereretur. Hic, vt continuator Fleurianus refert, (a) *Imperator, deposito diademate, flexisque genibus, pontificis pedem deosculatus est;* impetrare tamen non potuit, *vt cessionis factae bullam, iuxta consuetam formam ederet.* Ioannes, spe retinendi pontificiam dignitatem frustratus, opera Friderici, ducis Austriae, clam noctu 20. Martii Schafhusiam euasit; inde Lauffenburgum elapsus, Ratolfi cellam postea petiit, vbi suspensionis a pontificatu sententiam accepit, ac deputatis et annulum piscatoris reddidit, et eorum custodiae cum magna demissione se tradidit. Sententia depositionis die 29. Maii, sessione 12. promulgata, confractoque sigillo papali, sententiam exauctorationis, ad se missam, ratam habuit; nec vmquam se, tamquam papam, gesturum, nec ipsum pontificis nomen amplius acceptaturum, iurauit. *Imperator electori Palatino negotium dedit, vt illum Heidelbergam transferret; quouis tamen officiorum genere decenter eum haberet.* (b) Post aliquot annos ad Martinum V. concessit, ac ad eius se pedes abiecit, a quo benignissime susceptus, creatusque sacri collegii decanus, post sex menses obiit 22. Dec. 1419. Difficultatibus in caussa Ioannis feliciter superatis, Sigismundus cum

Gregorio

(a) Tom. XXV. p. 440. (b) Tom. XXVI. p. 71.—77.

Gregorio XII. minus negotii habuit. *Quia vero Gregorius XII. vt idem continuator narrat, (a) synodi, vtpote a Ioanne, aemulo suo, conuocatae, auctoritatem non agnoscebat, atque, si cardinalium quisquam praesideret; papatum dimittere recusabat; patres caesarem, pro hac dumtaxat vice, sine praeiudicio in futurum, sessioni* (XIV. habitae IV. Iulii) *praeficiendum esse censuerunt.* Lectis eius litteris, quibus et synodum approbauit, et pontificatui renunciauit, imperator a loco praesidis recessit. Gregorius autem primus cardinalis decreto concilii creatus, 18. Octobr. 1417. viuere desiit. Die 15. Iulii Sigismundus in Hispaniam, vt Benedictum XIII. ad pontificatum vltro dimittendum et pacem ecclesiae reddendam hortaretur, iter suscepturus, synodo valedixit, quae preces et tunc, et deinceps, vt hoc iter illi bene cederet, ad reditum vsque fudit. Interim Heruoia, quem Sigismundus duobus abhinc annis exauctorauerat, adscitis in armorum societatem Turcis, bellum Hungaris intulit, quibus victis, Ioannem Gara, Ioannem Maroth et Paullum Chupor intercepit. (b) Nuncio cladis Constantiam perlato, patres vehementer commoti, Sigismundi ditiones aduersus hostes tutandas Wladislao Polono maiorem in modum commendarunt, (c) *XVII. kal. Sept. anno dom. MCCCCXV.* Ex actis concilii patet, Pippum cum Sigismundo Constantiae fuisse, quem Dlugossus post hanc pugnam domi statuit. (d) Interea Sigismundus, 18. Septembris Perpinianum delatus, quum nulla ratione Benedictum XIII. iam annos 78. natum, ad dimittendum pontificatum permouere potuisset; effecit tamen, vt

(a) Ibid. p. 111. (b) Turotz. Chron. P. IV. cap. 16. (c) Ap. Dogiel. T. I. p. 50. (d) Libr. XI. col. 361.

ab eius obedientia recederent reges Arragonum, Castellae, Nauarrae, conditis 12. articulis, 13. Decembris 1415. (*a*)

A. C. 1416. *Sig.* 30. *Ind.* 9. *P.* 19. *A.*

CLVI. Nondum Perpiniano Sigismundus discesserat, quum inter Anglos et Gallos pacem conciliaturus, per legatos vtriusque partis, animos ad paciscendas inducias, quoad ipse controuersias aduentu suo componeret, tentandos censuit. Sed illis interea praelio congressis, victos Gallos ad tractandum foedus proniores futuros ratus, ipse Parisios ire constituit. Spondanus illum kalendis Martiis Parisios aduenisse scribit, vbi litteras in fauorem Nicolai de Gara palatini dedit, (*b*) 26. *die Martii*. Rerum adhuc actarum praecipuum adiutorem fuisse hunc Nicolaum, qui sororem suae coniugis connubio sibi iunxerit, ac in bello Veneto lateri suo semper adstiterit, ita testatur: „Dum haec „ agerentur negotia; S. R. I. cuius habenas mode„ ramur, sed etiam SS. matris et vniuersalis eccle„ siae, a 13. annis citra, per nefandissimum schis„ ma nefarie per tres contendentes de papatu di„ uisae, nobis vndequaque negotia prosequenda „ ante oculos nostrae considerationis proposita fue„ re: quibus sollicitudini nostrae incumbentibus, „ memoratum Nicolaum palatinum ad regnum no„ strum Hung. pro felici dispositione, et vt cariſſi„ mam consortem nostram, vna nobiscum imperiali „ diademate coronandam, in Aquisgranum condu„ ceret, remisimus. — — Postea vero ex delibera-

„ tione

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 199.—237. (*b*) Ex MSS. Comidesianis.

„ tione et ad instantiam praedicti sacri generalis
„ concilii, quia tertius, videlicet Benedictus XIII.
„ qui et Petrus de Luna nominatus est, fuerat in
„ regno Aragonum receptatus; ipse Nicolaus pa-
„ latinus vna nobiscum personaliter pro vnione S.
„ matris ecclesiae, non parcens laboribus et ex-
„ pensis, ad partes Franciae occidentalis, vsque ad
„ regnum Aragonum — ante faciem nostram pro-
„ fectus est. — Tandem — desideratam mundi pa-
„ cem — effecerunt: — Castellae et Legionis, Ara-
„ gonum, nec non Nauarrae et Scotiae reges —
„ coadunando se sacro Constantiae concilio, obe-
„ dientiam Petro de Luna prorsus subtraxerunt. —
„ Quid plura? Ecce serenissimis principibus, Fran-
„ ciae et Angliae regibus — per collisiuas aggres-
„ siones dure certantibus, eumdem Nicolaum, vt
„ angelum pacis, ante faciem nostram praemisimus.
„ — Iamque vna nobiscum pro tractatu huiusmo-
„ di pacis firmandae inter reges et regna Franco-
„ rum et Angliae procedit. — — " Parisiis dum esset, teste Fleurii continuatore, (a) *litteris ad synodum 5. Aprilis datis*, sollicite rogauit, vt nullam *electionem in regno Hung. confirmarent.* Iam tunc nempe de iure patronatus Hungariae regibus vindicando cogitauit. Londinum 7. Maji deductus, diutius illic negotium pacis egit; nam litteras ad Tihanyiensem abbatem dedit (b) *in ciuitate Londonar. in regno Angliae, in festo B. Laurentii M. anno dom. MCDXVI.* Quia vero Carolus G. R. a pacis conditionibus, antea Sigismundo promissis, recessit; hac leuitate Gallorum offensus, cum Anglis aduersus illos foedus percussit, (c) *in ciuitate,*

(a) Tom. XXVI. p. 234. (b) Ex autographo. (c) Ap. Pray Ann. P. II. p. 263.

Cantuariae in Anglia A. D. MCDXVI. die XV. mensis Aug. regn. anno Hung. — 30. Rom. vero 6. (a)

A. C. 1417. *Sig.* 31. *Ind.* 10. *P.* 11. *A.*

CLVII. Sigismundus, longis itineribus per tot regna confectis, post sesqui annum 27. Ian. Constantiam reuersus, incredibili patrum gaudio susceptus est. Eodem 3. Febr. Ioannes, archiepiscopus Strigoniensis, aduenit, et pluribus sessionibus interfuit; nam inter testes a Sigismundo recensetur, (b) *Constantiae, anno dom. MCDXVII. die XVIII. Aprilis.* Die 26. Iulii, sessione 37. (c) *peracta Benedicti depositione, duo tantum negotia absoluenda supererant.— Reformationem ecclesiae praeponendam esse pontificis creationi imperator contendit, cardinalibus contrarium sentientibus.* Dissidiis longius protractis, noui pontificis electio nonnisi post tres menses peragi potuit. (d) *Tandem die XI. Nouembris omnium electorum vota in Ottonem Columnam, card. diaconum, conspirabant, qui in honorem S. Martini, Turonensis episcopi, cuius festum hoc ipso die agebatur, Martinus V. nominari voluit. — Imperator, comperta electione, confestim conclaue ingressus est, atque humili obsequio ante pontificem procumbens, pedes eius deosculatur, simulque electoribus gratulatur:* „ quod „ tantum virum delegissent. “ *Papa vicissim tenerrimo affectu in amplexus caesaris ruit, gratias ei agens:* „ quod tanto zelo hucusque vnionem eccle„ siae promouerit. “ — *Prodiit ille e conclaui cum suis electoribus, albo equo, rubris phaleris ornato, vectus*

(a) Hist. Cr. T. XII. p. 238.—252. (b) Ap. Dumont. T. II. P. II. p. 85. (c) Cont. Fleur. T. XXVI. p. 306. (d) Ibid. p. 357.

vectus, cuius frenum imperator a dextris, et elector Brandeburgicus a finiſtris tenebant. Erat hic elector, cui Sigismundus Brandeburgiam 400. millibus fl. vendidit, e Zolleranorum comitum ſtirpe prognatus, genearcha marchionum Brandeburgicorum, e quibus quartum regem hodie Fridericum Wilhelmum Boruſſia veneratur. Electo pontifici natio Germanica libellum in haec verba porrexit: (*a*) „ Petimus, quatenus — electiones — per — patronos — „ libere fieri permittat." Quid natio Germanica ſuo ſupplici libello conſequuta ſit, ſcire noſtra non intereſt. Quid vero Sigismundus in hoc concilio petierit et obtinuerit, Verbötzius ita refert: (*b*) *Iſta libertas regni, quantum ad beneficiorum collationes, olim tempore D. Sigismundi imp. et regis — in generali et celebri concilio Conſtantienſi — corroborata iurisque iurandi religione firmata fuit; prout in bulla, ſuperinde confecta, clare continetur.* Etſi nunc iſta bulla nusquam reperiatur; aetate tamen Verbötzii, qui tam audacter ad illam prouocat, exſiſtere debuit. Vnde nec electionis exempla poſt hoc concilium occurrunt, quo tamen adhuc durante, Veſprimienſes canonici, 15. annorum orbitatis pertaeſi, Petrum de Rozg[illegible] epiſcopum elegerunt, (*c*) *26. menſis Dec. ſub anno dom. natiuit. MCCCCXVII.* Ceterum Sigismundus Rozgonium monuit, ne huic infirmae canonicorum electioni deferret. (*d*)

P 4 CLVIII.

(*a*) Ibid. p. 364. (*b*) Trip. P. I. Tit. XI. p. m. 11. (*c*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. II. p. 2. (*d*) Hiſt. Cr. T. XII. p. 257.—286.

CLVIII. Prouido consilio Vesprimienses canonici Rozgonium sibi praesulem delegerunt; huius enim stirpis tanta fuerunt in regnum et regem merita, tantis ipse Petrus virtutibus effloruit, vt Sigismundus, non multum tergiuersatus, eius electionem hoc anno ratam habuerit. Licet enim in diplomate, Szirmaüs dato, *IV. idus Martii*, vacare dicatur sedes Vesprimiensis; in alio tamen, cuius autographum ipse legi, *nono kalendas Maii*, Petrus electus Vesprimien. legitur. Ex pluribus Constantiae datis diplomatibus apparet, Sigismundum primis quatuor huius anni mensibus ibidem adhuc haesisse. Sessioni 45. quae die 22. mensis Aprilis celebrata fuit, illum interfuisse, continuator Fleurianus notat. (*a*) Post hanc concilium quidem dissolutum est; pontifex tamen nonnisi 16. Maii Constantia discessit. Imperator, cum 40. ferme millibus nobilium virorum equestrium, innumera multitudine pedestrium non computata, per aliquod spatium abeuntem comitatus, iterum Constantiam rediit, ac inde 21. Maii versus Argentoratum abiit. Hic Ewlenbachenses eximit a solutione tributi regii, (*b*) *in festo B. Petri et Paulli ap. A. D. MCCCCXVIII.* Hinc in Sueuiam profectus, Albertum, Auranae priorem, quibusdam possessionibus est remuneratus, (*c*) *in imperiali Rauenspurgh ciuitate, in festo B. Bartholomaei ap.* Quo diplomate, quia *fidelem* suum, *grate et sincere dilectum, magnificum Pipponem de Ozora, Themesiensem et camerarum salium regalium comitem* vocat et laudat; Bonfinius eius supplicium male

(*a*) Tom. XXVI. p. 408. (*b*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 216.
(*c*) Ap. Pray Prior. Aur. p. 40.

male consignauit. Bellum, quod ille tunc cum Venetis gesserat, quinquennalibus induciis interceptum fuisse diximus, 28. Aprilis anno 1413. sancitis. Nunc igitur, vt Lucius refert, (*a*) *induciis elapsis, inter Sigismundum et Venetos recruduit bellum, Traguriique iussu regis tres triremes de nouo instructae fuerunt, praeter minores lembos, a quibus maxima damna Venetas naues passas, eorum chronistae memorant.* Quum igitur irrito conatu Tragurium obsedissent; *obsidionem*, vt Praius ex Windeckio narrat, (*b*) imperatoris *aduentantis fama perculsi, soluunt, et legatos cum muneribus regi obuiam mittunt. — Passauii ad Sigismundum admissi, quum de conditionibus conuenire vtrisque non posset, reiecti sunt; tametsi sex aureorum numum millia donum offerrent.* His aliisque de caussis Sigismundus iter in Hungariam accelerabat, quae suum interea gubernatorem, Ioannem, archiepiscopum Strigoniensem, 30. Maii morte sublatum, amisit. (*c*)

A. C. 1419. *Sig.* 33. *Ind* 12. *P.* 16. *A.*

CLIX. Sigismundus, aliquamdiu Passauii commoratus, apud Georgium episcopum, comitem de Altaflamma seu Hohenlohe, Strigoniensem metropolitam quarto post anno futurum, 22. Ianuarii Viennam peruenit, ac inde 3. Februarii digressus ac Hungariam ingressus, ad Saxones Scepusienses circa decumas, parochis praestandas, diploma dedit, (*d*) *in Posoniensi ciuitate, in die festi B. Dorotheae V. et M. A. D. MCDXIX.* Indidem coniux Barbara,

(*a*) Libr. V. Cap. V. p. 435. (*b*) Ann. P. II. p. 269. (*c*) Hist. Cr. T. XII. p. 286.—312. (*d*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 275.

Barbara, nec in conſpectum admiſſa, Varadinum migrare iuſſa fuit, fortaſſis, vt ex conſequentibus argui poteſt, quod, abſente Sigismundo, haud ſatis pudice vitam traduxerit. Si Dlugoſſo credimus; opera Wladislai, Poloniae regis, hoc anno Barbarae coniugi conciliatus fuit. Quod quidem inde fit veroſimile, quod, quum Sigismundus Dobronyenſium et Babaſzekienſium priuilegia confirmat, *vndecimo kal. Sept. anno MCDXIX.* dicat, id ſe facere, *de conſenſu et beneplacita voluntate ſer. principis, D. Barbarae, Roman. et Hung. — reginae, conſortis ſuae cariſſimae*; niſi forte haec de ſtilo curiae fortaſſis addita fuiſſent. Idem Dlugoſſus Sigismundi cum Wladislao congreſſum ad hunc annum refert; (*a*) ea tamen narrationi huic admiſcet, quae ſine ſtomacho legi non poſſint. Toties enim Sigismundum, principem illum de religione tam bene meritum, ab orbis Chriſtiani praeſulibus in concilio Conſtantienſi tantopere laudatum, tamquam verſipellem, impoſtorem, mendacem, periurum, aſtutum traducit, vt Wladislaum, regem ſuum, admodum hebetem fuiſſe ſimul innuat, qui toties a Sigismundo ſe decipi permiſerit. Hoc eſt conſectarium calumniarum Dlugoſſianarum, quibus ego meliora ſenſa neutrique principi tam iniurioſa ſufficio. Wladislaum nempe damnorum, a Pruſſiae cruciferis acceptorum, memoria vindictaque longius, quam par erat, abreptum, eorum excidium anhelaſſe; Sigismundum vero nihil induſtriae praetermiſiſſe, vt immoderatum hunc vltionis aeſtum temperaret. Sub exitum Maii, ſub medium item Auguſti, Sigismundum Caſſouiae fuiſſe, conſtat ex litteris ibidem datis, *feria 2. prox. poſt feſtum B.* *Vrbani*

(*a*) Libr. XI. col. 399.

Vrbani PP. anno dom. 1419. et *fer.* 5. *prox. ante festum B. Elenae.* Quo tempore de crucigeris agere reges inter se poterant, et, vt Dlugossus ait, *feria VI. in crastino ascensionis* ab se diuelli. Sed non video, quomodo sex illae hebdomadae confici possint, quibus Sigismundi legatos Cracouiae commoratos fuisse scribit; quum illos innuat missos post 26. Maii; reuersis autem illis, alios nuncios, a Sigismundo missos, *sabbato* post festum SS. Petri et Paulli Sandomiriam aduenisse. Tam parum Dlugossi narratio sibi constat. (*a*)

A. C. 1420. *Sig.* 34. *Ind.* 13. *P.* 7. *A.*

CLX. Laudatus auctor scribit, (*b*) Wladislaum *Sigismundi regis pronunciationem et arbitramentum se adstrinxisse praestolaturum; dummodo ferre illud iuxta praesens tempus et diem epiphaniarum inclusiue non negligat.* Wenceslao fratre 16. mensis Augusti mortuo, *Sigismundus*, vt idem narrat, (*c*) *dum iter versus Pragam pronunciasset, et pro die natiuitatis domini Brunam, oppidum Morauiae, attigisset; Pragensibus, illic veniam petentibus, ea lege pepercit:* „ vt catenas et repagula tota ex vrbe dissol- „ uerent, suosque magistratus acciperent.“ *Paruit attonita ciuitas, omnibus sanae et maxime catholicae mentis hominibus de eius aduentu gratulantibus. Nec dubium videbatur, quin tota Bohemia Hussitarum tabes excessisset; si ex Bruna Sigismundus recta se Pragam contulisset. Sed diuertit inde — iter, Wratislauiamque — accessit.* Nisi fixum huic auctori fuisset, Sigismundum semper et vbique carpere;

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 312.—318. (*b*) Libr. XI. col. 403.
(*c*) Ibid. col. 408.

pere; laudandus illi fuiſſet, quod ad ſententiam de controuerſiis, inter Polonos et Pruſſiae cruciferos agitatis, *ad diem epiphaniarum incluſiue* ferendam, itinere magis neceſſario tantisper dilato, Wratislauiam properauerit. Hic vero, quia non ad vota Polonorum ſententiam tulit; vix verba Dlugoſſus inuenit, quibus eius iniquitatem et fraudes depingat. Certe tam prolixus in hoc argumento tamque minutus eſt, vt ſine taedio nec legi, nedum referri poſſit. (*a*) Ne quid autem ad plenam calumniam deeſſet; fingit, ipſum Sigismundum agnouiſſe, ſententiam ſuam iniquam; ſe per nuncios apoſtolicos deceptum fuiſſe; cruciferos, vt latam ſententiam immutare poſſet, rogaſſe. Dlugoſſus tamen, parum ſui memor, quum legato Poloniae crudiſſimam orationem, qua Sigismundum *auro crucifèrico ineſcatum* criminabatur, affingit; ad tam atrocem Philippicam hoc illum mite reſponſum reddidiſſe ſcribit: „ Quicquid in ſententia inter fratrem „ noſtrum, Poloniae regem, et cruciferos de Pruſ- „ ſia pronunciauimus; iuſte, dante domino, nos „ pronunciaſſe exiſtimamus.“ En! quam parum hic calumniator ſibi conſtet: prius exhibuit, Sigismundum faſſum fuiſſe: (*b*) *ſe de notoria ſuae ſententiae iniquitate ingenti cruciatu teneri*; nunc illum exhibet fatentem, *ſe iuſte pronunciaſſe.* Sed et ſuis principibus characterem nimis mollem, nec ſatis virilem et conuenientem, appingit, quum ita ſcribit: *Adeo autem regi et duci erat ſententiae praedictae pronunciatio moleſta et acerba, vt eorum fletus et rugitus, non ſecus quam duorum leonum frementium, a longe exaudirentur.* (*c*)

CLXI.

(*a*) Ibid. col. 409.—412. (*b*) Ibid. col. 414. (*c*) Hiſt. Cr. T. XII. p. 338.—344.

CLXI. Sigismundus, negotio cum Polonis terminato, Wratislauiae diutius adhaesit, cum Bohemis acturus de modo factiosos, a Ziska concitatos, ad officium reducendi. Hic enim Hussitarum princeps et dux, vt continuator Fleurianus perhibet, (*a*) *Sigismundum omnino sceptri indignum esse proclamabat; eo quod supplicium Ioannis Hussi et Hieronymi Pragensis approbasset.* Conuocatis igitur suis sectatoribus, Sigismundo bellum indixit, eoque Wratislauiae commorante, cum catholicis, Sigismundi partes amplexis, conflixit, quorum *equestribus copiis penitus deletis*, (*b*) *pedestres, qui nimio terrore perculsi, ne quidem primos hostium impetus sustinebant, in fugam egit.* Sigismundum, quum haec ante quadragesimam agerentur, Wratislauia nondum discessisse, liquet et eius litteris, in fauorem Wratislauiensium ibidem confectis, (*c*) *A. D. MCDXX. XXI. die Martii.* Wratislauia prius in Hungariam reuersus, subditos nobilium de Polyank a iurisdictione quorumlibet iudicum exemit, (*d*) *Budae, die dom. prox. post festum B. Marci euang. A. D. MCDXX.* Post haec in Bohemiam profectus, vt Turotzius scribit, (*e*) *quatuor et 30. annos regni Hung. principatus gloria fretus, MCCCCXX. dom. incarn. anno, regni Bohemiae in regem coronatus est. Hos enim ante annos post sublationem* (exauctorationem) *Wenceslai, fratris sui, ipse rex Sigismundus regno in eodem non regio, sed gubernatoris nomine fungebatur.* Chronicon Bartossii perhibet, (*f*) *eodem anno, dominico ante S. Iacobi regem Sigismundum*

(*a*) Tom. XXVI. p. 420. (*b*) Ibid. p. 450. (*c*) Ap. Lunig Germ. n. XLI. p. 258. (*d*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 138. (*e*) Chron. P. IV. cap. 19. (*f*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 144.

gismundum coronatum esse in regem Bohemiae, in ecclesia Pragensi S. Viti, per D. Conradum, tunc archiep. Pragensem. — Eodem anno feria 5. post Iacobi praedictus rex, marchiones, duces, comites et barones de campis a Praga recesserunt. Cur recesserit, chronicon Austriacum hanc caussam reddit: (*a*) *Et ipsi* (Pragenses) *promiserunt sibi obedire in omnibus mandatis, et exstirpare haeresim: et ipse credidit eis; et licentiat populum: post haec ipsi mentiebantur omnia promissa sibi facta: et noluerunt sibi obedire; sed manserunt haeretici.* Collectis igitur copiis, alteram hoc anno contra Hussitas expeditionem suscepit; sed, vt Pulkauae continuator scribit, (*b*) *Eodem anno, die Veneris, festo OO. SS. ante Wischehradum rex Hung. cladem magnam passus fuit.* Inde repulsus, Kutenbergae haesit, ac Petrum Zerenium in gratiam recepit, litteris datis (*c*) *in montibus Cutnis, dom. prox. post fest. B. Andreae ap. A. D. MCDXX.* Veneti, hac absentia regis in commodum suum vsi, Dalmatiam occuparunt. Longa 4. fere seculorum regni huius possessio Venetis nihil ad ius conducit; quod numquam reges Hung. legitimo iuri suo renunciauerint. Ad quod contestandum et titulum regis Dalmatiae constanter vsurparunt, et episcopos ad Dalmaticas ecclesias ad haec vsque tempora semper nominarunt. Etiamsi Dalmatae Venetorum dominationem vltro suscepissent, quod tamen e Lucio falsum est; (*d*) subditorum tamen a legitimis dominis defectio certum ius fundare non potuisset. (*e*)

A. C.

(*a*) Ap. H. Pez T. I. col. 732. (*b*) Ap. Dobn. Mont. T. IV. p. 159. (*c*) MSS. Cornides. T. XI. (*d*) Libr. V. Cap. V. p. 435. (*e*) Hist. Cr. T. XII. p. 344.—362.

CLXII. Quod res Dalmaticas remissius hoc tempore Sigismundus curauerit, caussam Bohemi, qui non tantum eius hereditatem, sed etiam religionem impugnabant, obtulerunt. His igitur ad obsequium non tantum principatus sui, sed etiam verae fidei reducendis intentus, neglectis interim Venetis, eiusdem secum religionis, praecipuas vires in Bohemos refractarios vertit, ac 27. Martii Znoymae constitit. Hinc videtur illam incursionem fecisse, cuius chronicon Austriacum ita meminit: (a) *MCCCCXXI. fer. D. Sigismundus, Rom. rex, congregauit magnum populum; et venit cum potentia in Bohemiam cum Vngaris; et deuastauerunt et combusserunt vbique locorum. Et tunc haeretici congregauerunt magnum exercitum, et opposuerunt se sibi; et ipse non potuit ipsis resistere.* Trenchinium igitur se recepit, vnde *die post festum corporis Christi* (27. Maii) litteras ad factiosos, Chaslauiae congregatos, dedit, (b) quibus illos ad pacem adhortatus, querelas ab iis 17. capitibus comprehensas recepit. His ille solidum quidem responsum reddidit; quum tamen nihil profecisset; comitia Brunam indixit, vbi catholici proceres acta conciliabuli Chaslauiensis antiquarunt. Eodem tempore contigit, quod inscriptio Coronensis ita memoriae prodidit: (c) 1421. *Amurathes II. imp. Turcarum, — terram Barczensem ferro et igne vastat: senatum Coronensem abducit: residuo populo in arce montis conseruato.* In tot partes distractus Sigismundus eo maiores curas conuertit, vnde maius pericu-

(a) Ap. H. Pez. T. I. col. 732. (b) Ap. Dobn. Mon. T. IV. p. 160. (c) Ap. Schwandt. T. I. p. 886.

periculum impendebat. Venetis erepta Dalmatia contentis, Turcis erasa Dacia quietis, otium in his partibus tantisper fuit. At in Bohemia seditiosi nulla beneuolentia Sigismundi placari poterant; missisque nunciis, Wladislaum, Poloniae regem, ad capessendum Bohemiae regnum euocabant. Interceptos fuisse hos nuncios Pulkauae continuator asserit. (a) At Dlugossus eosdem in Poloniam euasisse scribit, et addit, (b) Sigismundum *filiam* suam *vnicam, Elisabeth, duorum regnorum dote locupletem, — Wladislao regi* coniugem obtulisse. Scribit autem, (c) legatos, hanc oblationem nunciaturos, in Poloniam *quarta die Octobris regressos esse.* Gerardus vero de Roo, 28. *Septembris*, Elisabetham, Alberto proxime nupturam, tabulis nouis heredem regnorum scripsisse Sigismundum, ait. (d) Prius igitur, quam in Poloniam legati reuerterentur. (e)

A. C. 1422. *Sig.* 36. *Ind.* 15. *P.* 12. *A.*

CLXIII. Vera Gerardum scripsisse, patuit ex nuptiis, inter Albertum et Elisabetham anno hoc celebratis, vt Mellicense chronicon testatur. (f) Ante has nuptias, Sigismundus, accepta sub anni superioris exitum ad Kuttenbergam clade, Brodam se recepit; inde vero *feria IV. post epiphaniam* illum recessisse, Benesius scribit. (g) Et quia sub exitum Februarii litteras Michaeli Litterato Hradistii

(a) Ap. Dobn. Mon. P. IV. p. 261. (b) Libr. XI. col. 433. —441. (c) Ibid. col. 442. (d) Ap. Bel. N. H. T. I. p. 158. (e) Hist. Cr. T. XII. p. 363.—381. (f) Ap. H. Pez T. I. col. 254. (g) Ap. Dobn. Mon. P. IV. p. 71.

ſtii dedit; ante has videntur nuptiae celebratae; poſt cladem tamen Kuttenbergenſem, cuius etiam Turotzius ita meminit: (*a*) *Rex vero Sigismundus, qui ex ſuſcepti Romani regiminis officio; fidem catholicam tutari tenebatur; maxime autem, quia natalem eiusdem terram dicti Huziſtae, magnam in vim conglomerati, vaſtabant, contra ſuae ſectae alienos igne et gladio atrociter dimicantes, contra eosdem armatum, tum Hungaricae, tum Germanicae gentis non ſemel ſuſcitauit robur. — Illi — pro armorum inſigniis in vexillis et ſcutis et clypeis — imaginem calicis arte pictoria ſcribi facientes, duce quodam Syska, homine robuſto et monoculo, turmatim procedebant. — Pugnatum eſt ea de cauſſa partes inter vtrasque cum magno discrimine perſonarum ſaepius; maxime autem, quum vna dierum vterque hoſtis in campo, non remote ad ciuitatem vrburarum, Kothumbánya vocatam, conueniſſent, pars non ceſſit ſine ingenti ſtrage parti. Diu igitur populo in vtroque ancipiti bello feruente, et multis ex vtraque parte cadentibus, vltimatim Syska ſuperiore, rex campum deſerens, terga vertit.* Sigismundus, acceptis tot cladibus, Varadinum ad implorandam D. Ladislai, cui peculiari cultu ſemper deuotus erat, opem forte profecturus, menſe Iunio Debretzini ſubſtitit, ibique vetuſtiſſimae ſtirpi Chakianae litteras dedit, (*b*) *feria* 3. *prox. ante feſt. SS. corporis Chriſti.* Humanum etiam auxilium aduerſus Huſſitas imploraturus, indicto Norimbergam conuentu, de pacanda Bohemia deliberabat. Suppetiis ſumma voluntate principum decretis,

(*a*) Chron. P. IV. cap. 15. (*b*) Ap. Kaprinai H. D. P. I. p. 448.

decretis, ecclesiastica bona, quae profanis quibusdam hominibus vtenda concesserat, ecclesiis restitui iussit, (a) *die dominico prox. ante fest. S. Bartholomaei ap.* Turotzius cambium Tauruni *circa* 1425. *annum*, quod alii melius ad hunc annum referunt, ita factum scribit: (b) *Sigismundo regi illustris princeps Georgius, Rasciae dezpotus, summa obedientia fuit, castrumque Nandoralbense, — merae fidelitatis pro obside eidem cessit. — Rex vero Sigismundus illi propter hoc non minoris munificentiam largitatis exhibuit. Nam in regno suo Hung. castra Zalankemen, Lewlpen, Bechey, Világoswár, Thokay, Munkach, Thalya, Regeg, ac oppida Zathmar, Bezermen, Debreczen, Thur, Varsán et alia nonnulla — donauit.* Plura recensentur in diplomate, quod Timon producit. (c)

A. C. 1423. *Sig.* 37. *Ind.* 1. *P.* 14. *A.*

CLXIV. Etsi Dlugossus Wladislaum, Poloniae regem, et Alexandrum, Lithuaniae ducem, a moderatione, qua regnum, a Bohemis oblatum, propter clarum Sigismundi ius in Bohemiam, recusabant, dilaudauerit; neutrius tamen vel ea laus vera, vel ea constantia fuit, vt agnitum Sigismundi ius violatum nollent. Idem enim panegyrista horum principum scribit, (d) *Sigismundum Coributhum, — de mandato Alexandri Withawdi, ducis magni Lithuaniae, Wladislao insuper, Poloniae rege, et consentiente et probante, ad recipiendum regnum Bohemiae, — cum frequenti et valido Polonorum exercitu, in Bohemiam pro-*

(a) Ap. Pray Ann. P. II. p. 223. (b) Chron. P. IV. cap. 20. (c) Im. N. H. C. VII. p. 49. Hist. Cr. T. XII. p. 381. —396. (d) Libr. XI. col. 451.

processisse. Sigismundus, hac re comperta, litteris anno superiore Norimberga 29. mensis Augusti datis, Bartfensibus significauit, (*a*) *ex certis et rationabilibus caussis, — cum rege Poloniae et Witoldo nouas in proximo inchoandas esse guerras.* Hungaris igitur ex Polonia reuocatis, Polonis autem ex Hungaria depulsis, tristia haec belli praeludia populum vtriusque regni metu perculerunt. Agentibus et conspirantibus ad intercipiendum bellum proceribus, vterque rex sub medium quadragesimae conuenire constituit. Sigismundum 15. Martii iam Kesmarkini fuisse, discimus ex litteris indidem ad Nicolaum de Chaak vaiuodam datis, (*b*) *fer. 2. prox. post domin.* Laetare, *A. D. MCDXXIII.* Wladislaus quoque 14. Martii Szandetzium aduenit; vt Dlugossus narrat: (*c*) — *Ambo deinde reges in campo prope Schramowicze conueniunt, et de equis descendentes, dextras et amplexus iungunt.* Iacto tam bono pacis fundamento, quibusuis simultatibus oblitteratis, perpetuum inter se foedus iniuerunt, confectis tabulis, (*d*) *in oppido Kiesmark, anno dom. MCDXXIII. feria III. post dom. Ramis palmarum.* Sigismundus, instauratis 30. Martii foederibus, Wladislao plene conciliatus, amicum regem aliquot diebus in Hungaria retinuit, et Kesmarkino Leutschouiam deduxit, vbi paschate celebrato, die IX. Aprilis reuersum vsque Bartfam comitatus, ibidem *feria 2. prox. post dom. Quasi modo*, litteras ad praepositum Scepusiensem dedit. (*e*) Eodem ipse profectus, praerogatiuas quasdam

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 103. (*b*) Ex MSS. Cornidesianis. (*c*) Libr. XI. col. 469. (*d*) Ap. Dogiel. T. I. P. I. p. 52. (*e*) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 50.

Zingaricae genti concessit; (a) *Dat. in Scepus, dominica die ante festum S. Georgii M. an. dom.* 1423. Errant igitur, qui Zingaros a Turcis in Hungariam adductos opinantur. Budam reuersus Sigismundus, vt Dobnerus refert, (b) *concedit Alberto, Austriae duci, eiusque vxori, Elisabethae, filiae suae, marchionatum Morauiae in feudum, die lunae post S. Michaelis* 1423. Ibidem Manuelem Palaeologum, orientis imperatorem, hospitem habuit. (c)

A. C. 1424. *Sig.* 38. *Ind.* 2. *P.* 23. *A.*

CLXV. Sigismundus, a tot principibus Budae salutatus, rursus ibidem Ericum, Daniae regem, hoc anno hospitio bis excepit, qui, teste Dlugosso, (d) *visitato Sigismundo, R. et H. R. in Poloniam rursus redierat.* In Poloniam ipse Sigismundus subinde cum Barbara coniuge profectus, coronationi reginae Sophiae, quae 5. Martii peragebatur, interfuit. *Quindecim diebus reges apud Cracouiam commorati, firmata inter se amicitia verbis et pollicitationibus amplissimis, disgrediuntur. Wladislaus siquidem P. R. a Sigismundo R. et H. R. rogatus, suffragium se contra Bohemos Hussitas in aestate futura cum* 5000. *equestrium repromisit laturum.— Sigismundus — cum Erico D. R. in Hungariam profecti sunt, ex qua Daniae rex vice altera Hierosolymam adiit.* Quem nouum Budae hospitem Sigismundus habuerit, Turotzius ita narrat: (e) *Curia principis huius magna nobilium claritate, illam frequentantium, refulsit, ingentique aduenarum inundatione*

(a) Ap. Oefelium T. I. p. 21. (b) Monum. T. IV. p. 414. (c) Hist. Cr. T. XII. p. 396.—422. (d) Libr. XI. col. 474. (e) Chron. P. IV. cap. 20.

tione ſemper glorioſa fuit. Multi Germaniae ac Italiae proceres hanc frequentauere. Nec minus regis Portugalliae natus, multo ſui regni nobile cinctus, occiduis terrae de finibus pro tanti veneratione principis veniens, curiae huius honori fuit. Eum tum, quod inſtante hiemis diro rigore, Danubium congelatum vidiſſet, admiratum exſtitiſſe, et genitori ſuo maiori pro miraculo, quod vmquam peregrinarum partium in luſtratione vidiſſet, nunciaſſe ferunt. Sigismundus, auxiliis vndique corrogatis, Albertum, Auſtriae ducem, generum ſuum, in Morauiam, quam in feudum illi conceſſerat, praemiſit, mox in eius auxilium copias etiam Hungaricas et foederatas miſſurus. Felicem hanc expeditionem fuiſſe, chronicon Auſtriacum ita perhibet: (*a*) *MCCCC XXIV. Albertus, dux Auſtriae, congregat magnum exercitum in Auſtria et in Morauia; et rex Vng. direxit ſibi populum. — Et tunc iterum Vngari venerunt ſibi in adiutorium: et quicquid iſtis remanſit; hoc ipſi totum deuaſtauerunt.* Rebus tam proſpere ſuccedentibus, ad intercipiendas Sigismundi victorias, teſte continuatore Pulkauae, (*b*) *Zizka cum ſuis fratribus proceſſit in Morauiam, et ibidem apud caſtrum Przibislaw Zizka mortuus eſt.* Latronis huius obitum Praius figit (*c*) *ad V. idus Octobres*, ac e Siluio nominat illum, *monſtrum deteſtabile, crudele, horrendum, importunum, quod poſtquam manus humana conficere non valuit, digitus DEI exſtinxit.* Eius exercitus ab illius interitu duas in factiones diuiſus eſt, et altera *Taboritarum*, *orphanorum* appellationem adſciuit altera; quod nullum eſſe dicerent, qui Ziscam aequare poſſet. (*d*)

(*a*) Ap. H. Pez T. I. col. 733. (*b*) Ap. Dobner Mon. T. IV, p. 163. (*c*) Ann. P. II. p. 289. (*d*) Hiſt. Cr. T. XII, p. 423.—433.

A. C. 1425. *Sig.* 39. *Ind.* 3. *P.* 8. *A.*

CLXVI. Magnae viciſſitudines interim in ſacris profanisque magiſtratibus factae ſunt, quos exhibet diploma Sigismundi, (*a*) „ datum per manus R. in „ C. P. D. Ioannis, ep. Zagrabien. aulae regiae et „ reginalis maieſtatum ſummi cancell. — anno dom. „ MCDXXV. VI. kal. Mart. regnorum autem anno „ Hung. etc. XXXVIII. Rom. XV. et Boh. V. ven. „ in C. PP. DD. Georgio Strigon. Doymo Spalat. „ Andrea Raguſ. archiepiſcopis; Colocen. et Iadr. „ ſedibus vacantibus; eodem Ioanne Zagrab. An- „ drea Varad. Blaſio Tranſſiluan. Henrico Quinque- „ eccl. Petro de Rozgon Veſprim. Ladislao de Mar- „ czali Chanad. Benedicto Boznen. Clemente Iaur. „ Nicolao Vac. Iacobo Sirm. Petro Corbau. FF. „ Hyncone Nitr. Thoma Segn. — — Agrien. Tragur. „ Scardon. Sibinic. Tinin. Nonen. Makar. et Phar. „ ſedibus vacantibus; nec non magnificis viris Ni- „ colao de Gara palatino; altero Nicolao de Chaak, „ vaiuoda Tranſſiluano; C. Stephano Kompolth de „ Nana, iudice curiae; Hermanno, C. Ciliae Zago- „ riaeque ac totius regni noſtri Sclau. ſocero no- „ ſtro cariſſimo; Alberto de Vng, priore Auranae, „ Dalm. et Croat. — Deſe de dicto Gara, Machou. „ banis. — " (*a*)

A. C. 1426. *Sig.* 40. *Ind.* 4. *P.* 31. *M.*

CLXVII. Etſi quies a bellis hoc tempore fuerit; Sigismundus tamen, egere ſolitus, mutuam rurſus pecuniam a vidua Petri Kaplerii, comitis quondam Poſonienſis, leuare coactus, eidem ad

vires

(*a*) Ex tabulario Veſprim. (*b*) Hiſt. Cr. T. XII. p. 440.

vires 8500. flor. aureorum castrum et oppidum Kecz pignori dedit, (a) *Posonii, die S. Agathae V. et M. anno MCDXXVI.* Mirum est, in litteris, *IV. non. Aug.* pro Gregorio Teureuk datis, (b) ordinem ita mutatum esse, vt primum *Hermanus, Ciliae, Sclauoniae totius; Nicolaus Vegliae et Modrusiae comes, Dalm. et Croat. bani*; deinde Georgius Strigon. Ioannes Coloc. archiepiscopi cum episcopis; demum Nicolaus de Gara palatinus, vaiuodatu Transsilu. vacante, C. Matthaeus de Palótz iudex curiae, — legantur. Tantum enim alias socero suo honorem Sigismundus numquam praestitit, vt antistitibus praeponeretur. (c)

A. C. 1427. *Sig.* 41. *Ind.* 5. *P.* 20. *A.*

CLXVIII. Videtur errore scribentis haec ordinis immutatio facta fuisse; quum apud eumdem Kerchelichium ibidem aliud eiusdem Sigismundi diploma, datum ecclesiae Zagrabiensi, *tertio id. Nou. an.* 1427. legatur, in quo non tantum antistitibus, sed etiam palatino, vaiuodae Transsiluano, qui iam Ladislaus de Chaak erat, et iudici curiae postponitur. Cur autem sub anni superioris exitum Transsiluaniam Sigismundus perlustrauerit, et regias pro Beretzkfaluensium libertate litteras Coronae 26. Decembris signauerit, intelligi potest ex diplomate, quo merita Ioannis de Maroth, quatuor annis apud Turcas captiui, depensisque 40. millibus flor. auri libertatem consequuti, recenset ac remuneratur, (d) *dat. in oppido, Rosno vocato, partium Trans-*

(a) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 409. (b) Ap. Kerchel. H. E. Z. p. 162. (c) Hist. Cr. T. XII. p. 458—462.
(d) Ex MSS. Cornides. T. XI.

Transsiluanarum, *feria II. prox. post fest. visitationis virginis gloriosae*, *anno dom. MCDXXVII.* „ Dum,
„ *inquit ibi*, tempore hiemali prox. praeterito, —
„ certum gentium belligerarum subsidium, pro tui-
„ tione et defensa partium nostrarum Transalpina-
„ rum, animo repellendi eosdem perfidiae alumnos,
„ videlicet Turcos, — quaeritassemus; mox praefa-
„ tus Ioannes banus, — accepta secum quam plu-
„ rium carorum familiarium suorum et gentium
„ turma copiosa, ad dictas partes nostras Transal-
„ pinas, cum suo banderio et gentibus, exerci-
„ tuantium more, propriis suis expensis accessit;
„ ibique per totum ipsius temporis hiemalis inter-
„ uallum, vsque nostrum beneplacitum, diurnis et
„ nocturnis vigiliis, totisque nisibus, contra prae-
„ tactos Turcos, — qui quemdam nostrum notorium
„ et manifestum infidelem, Radul, alias Praznaglaua
„ cognominatum, in vaiuodam ipsarum partium
„ nostrarum Transalpinarum — praeficere; fidelem
„ vero nostrae maiestatis, — magnif. virum Daan,
„ earumdem partium nostrarum Transalpinarum ve-
„ rum vaiuodam, per nos constitutum, dominio
„ earumdem priuare, et de eisdem excludere ma-
„ chinabantur, insistendo, — nobis nostroque sa-
„ cro diademati regio, adeo studuit complacere,
„ vt ipsius Ioannis bani ingeniosae sagacitatis per-
„ uigil diligentia et actus strenui obsequiosa opera
„ principaliter recuperandi dictas partes nostras
„ Transalpinas, — et ab eorumdem Radul et Tur-
„ corum hostilibus incursibus tutandi viam speciali-
„ ter praebuerunt. — Nobis a dictis partibus no-
„ stris Transalpinis versus has partes nostras redeun-
„ tibus, ipsoque Ioanne bano cum dictis gentibus
„ suis — remanentibus, — praedictis quoque Radul
„ et Turcis abinde aufugatis, praedictum Daan vai-

„ uodam

„ uodam in priſtinum dicti ſui vaiuodatus domi-
„ nium reſtituit victorioſe. — " Sigismundus adhuc in Valachia fuit ſub initium Aprilis, quum Ioannem de Kálo remuneratus eſt, *in Hozimezy, partium Tranſalpinarum, in dom.* Iudica, *anno dom.* 1427. Interim Barbara ſubſtitit in Tranſſiluania, deditque litteras ad Cremnicienſes, *in Zenthgywrgh, terrae ſeu prouinciae Siculorum, fer.* 2. *prox. poſt dominicam* Quaſi modo genitus, *anno dom.* 1427. Feliciter iſtic Sigismundus contra Turcas, infeliciter contra Huſſitas aliorum opera bellum geſſit. Nam, licet Albertus primum in Morauia victus, deinde vicerit; imperii tamen principes, a Sigismundo per litteras arma ſumere iuſſi, dum IX. kal. Iul. Miſam obſidione cinxerunt; XI. kal. Aug. accurrentibus Bohemis, panico terrore correpti, machinis relictis, turpem fugam arripuerunt. (*a*)

A. C. 1428. *Sig.* 42. *Ind.* 6. *P.* 4. *A.*

CLXIX. Admiratione magna dignum eſt, Sigismundum, qui tam amplas ditiones ſub poteſtate ſua habebat, ſemper egenum, ſemper pecuniarum indigum, easque ſaepius a ſubditis ſuis mutuas ſumere, locaque multa pignori propterea dare coactum fuiſſe. Plura iam exempla huius egeſtatis et neceſſitatis vidimus. Nunc rurſum Kerchelichius perhibet, (*b*) Zagrabienſem ciuitatem *vna cum aliis et ſignanter caſtro regio Kemlek, — Sigismundum Ioanni epiſcopo in pignus dediſſe, — pro auri puri* 14000. *in arduis regni neceſſitatibus et expeditionibus, ob inſultum Turcarum neceſſariis, a Ioanne, epiſcopo*

(*a*) Hiſt. Cr. T. XII. p. 475.—495. (*b*) Hiſt. Eccl. Zagr. p. 163.

episcopo Zagrabiensi, datis eidem Sigismundo, in persona cum regnicolis in Turcas eunti, — regium castrum Nagy-Kemlek — eidem Ioanni episcopo vendidisse. — Videtur hic expeditio, pro castro Galambocz suscepta, significari, cuius sinistrum successum Turotzius ita describit: (a) *Rex, — vi non modica armorum conflata, rursus vires Turcorum tentare aggressus est, arcemque, Galambocz vocatam, alta in rupe supra decursum Danubii Rasciano in agro situatam, tempestate eadem illis subditam, multo milite cinxit. Dimicabant vtrique hostes simul; et semper Sigismundanae copiae superiores erant; donec ille caesar Turcorum Chalapinus* (Amurates) *oppressione suorum propulsatus, bellico apparatu cum ingenti veniens, rege hostis potentior visus est. Quapropter rex ipse, post non modicam suorum, vndique decertantium, stragem, campum deserens, Danubium transiit.* Hanc stragem editam esse, quum Sigismundus, induciis cum Amuratho factis, ab eodem perfide lacessitus est; ipse, quum Stephanum Rozgonium remuneratur, his verbis innuit: (b) „— In „ expugnatione castri Galambocz, apud manus „ ipsorum Turcorum habiti — in directione bom„ bardarum nostrarum, — certas eiusdem castri „ turres in notabili parte rupit. In conflictu etiam, „ cum ipsis Turcis, qui, nobis cum nostro exer„ citu ab obsidione dicti castri Galambocz, treugis „ pacis inter nos et Omorath, eorumdem Turco„ rum dominum, praehabitis et firmatis, remouen„ tibus, et secus Danubium absque vlla formidine „ ad partes regni nostri Hung. transfretare volen„ tibus, immo iam maiori parte dicti nostri exer-

„ citus

(a) Chron. P. IV. cap. 13. (b) Annal. P. II. p. 295.

„ citus transuadante, fraudulenta hostilitate, du-
„ rantibus treugis praenotatis, nos et nostras gen-
„ tes, nobiscum eo tunc in nostro descensu ad-
„ huc exsistentes, impetuose inuaserant, facto et
„ inito — — " (*a*)

A. C. 1429. *Sig.* 43. *Ind.* 7. *P.* 27. *M.*

CLXX. Sigismundus, litteris ad Alexandrum, Lithuaniae ducem, praecipuosque Poloniae proceres datis, acerbe questus est, auxiliares copias contra Turcas sibi submissas non fuisse, quae tamen Wladislaus secundum foedus, anno 1412. percussum, ex Moldauia submittere debuisset. Iustam Sigismundi hac de re querelam Dlugossus eludere conatus, ait, (*b*) *misisse Wladislaum, P. R. anno transacto, promissum subsidium.* Sed enim illud Russicum, non *Moldauicum* erat; neque *cum tota potentia*; sicut promissum fuerat. *Propter quod Withawdus, — conuentionem mutuam agere, et irritatum animum Sigismundi regis placida oblatione sopire, — ne bella inter regna consurgerent, multipliciter consuluit et persuasit. — Ad hanc diaetam Sigismundus — — nonnisi dominica Septuagesimae cum sua consorte, Barbara, praelatisque, principibus et baronibus Hung. et Bohemiae aduenit*, in Lutzko. — *Sequentibus diebus consilia tenta sunt. — Rom. rex Sigismundus, missis certis praelatis et baronibus suis ad P. R. Wladislaum, requirit eum, iuxta inscriptiones et foedera, quae tunc originaliter exhibebat, secum percussa et iuramento firmata*, „ expe-
„ ditionem contra Moldauiam, in aestate ventura,
„ vna

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 495.—503. (*b*) Libr. XI. col. 598.

„ vna secum faciat; et expulsis eius principibus, „ terras ipsas, iuxta ordinationem, inscriptionibus „ contentam, partiantur et diuidant." Postquam Moldaui, teste Dlugosso, (*a*) *Sigismundo regi, expeditionem contra Turcos facienti, gentes pro subsidio mittere denegassent;* iustam hanc Sigismundi petitionem explere Wladislaus ex pactis debebat; neque tamen volebat. (*b*)

A. C. 1430. *Sig.* 44. *Ind.* 8. *P.* 16. *A.*

CLXXI. Non poterat non offendi Sigismundus hac Wladislai tergiuersatione, maiorique fauore prosequendum eius fratrem Alexandrum ratus, illi coronam et titulum Lithuaniae regis destinauit. Comitiis imperii Norimbergae iam ante pentecosten coactis, eodem ipse sub exitum Augusti venit, ac, vt chron. Bauar. perhibet, (*c*) *Ioannem, episcopum Zagrabien. et Ernestum, ducem Bauariae, misit in Lithuaniam, ad coronandum ducem Witoldum in regem; qui impediti per Ladislaum, regem Poloniae, — vacui sunt reuersi. Interea praefatus dux Lithuaniae, Alexander, qui in paganismo dictus fuerat Witoldus, est defunctus.* Quum autem hic Alexander 27. Octobris obierit; nondum eius obitus Martino V. pontifici fuit cognitus, quum ab hoc consilio Sigismundum dehortatus fuerat, (*d*) *idibus Nou. pontif. anno XIV.* Diem suum obiit etiam Danus, Valachiae vaiuoda, quod vbi Norimbergae Sigismundus intellexit; Myrzen, Pancratii quondam vaiuodae filium, inter suos familiares accensum, vaiuodam ibidem renunciauit, ac in Valachiam subinde

(*a*) Ibid. p. 514. (*b*) Hist. Cr. T. XI. p. 519.—522. (*c*) Ap. Boecler. p. 41. (*d*) Ap. Dlug. L. XI. col. 533.

inde deduxit. Primis huius anni mensibus partim Posonii, partim Tirnauiae Sigismundus ideo commorabatur, vt motus Hussitarum e propinquo facilius et obseruaret, et reprimeret. Quod illi feliciter cessisse, Bartossius, scriptor synchronus, testatur. (*a*) Nam Hussitae primum quidem in Morauia leuiorem, deinde grauiorem in limitibus Hungariae cladem acceperunt, ipso quoque Welkone duce cum 2000. orphanorum interfecto, reliquis fuga Pragam eluctatis, *anno* 1430. *feria* 3. *ante Margarethae.* (*b*).

A. C. 1431. *Sig.* 45. *Ind.* 9. *P.* 1. *A.*

CLXXII. Sigismundus, collatis Norimbergae cum imperii principibus de pacanda Bohemia consiliis, priusquam perduellibus extremam vim admoueret; periclitaturus, an, oblata spe veniae, possent ad officium reuocari, profectus Egram, legatos ea de caussa Pragam misit. Quumque nihil profecisset; marchionem Brandeburgensem aduersus illos misit. Sed isto 14. Augusti turpiter fugiente, *regimen deseritur*, vt chronicon Bauariae testatur, (*c*) *ordo confunditur, ratio turbatur, vltimi cum curribus mutuo inuicem se percutiunt et occidunt.— Albertus autem, dux Austriae, — in campo viriliter permansit; et quam plurima gloriose peregit.* Plurium illustrium huius Alberti facinorum Bartosius meminit. (*d*) *Acquisiuit*, inquit, *per potentiam quoddam fortalicium, dictum Kygiow.— Congregata* 14. *millia — per potentiam de campis repulit*

(*a*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 164. (*b*) Hist. Cr. T. XII. p. 523.—553. (*c*) Ap. Ioan. Henr. Boecler p. 9. (*d*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 169.

repulit. — *Cum 16. millibus equitum et peditum Wiclephistas prope ciuitatem Waydhoff conflictu inuaserunt, et contra se hinc inde hostiliter pugnauerunt; sic vltimo gentes ducis euicerunt; et, vt dicebatur, circa 4000. Wiclephistarum interfecerunt; et meliores et nobiliores 700. captiuauerunt.* Nec in Hungaria meliorem eosdem sortem expertos fuisse, scriptor idem perhibet. Nam ex eorum 7000. post nouem dierum certamina *vix duo millia redierunt.* Post infelicem illam Germanorum cum Hussitis pugnam, Sigismundus, Budam reuersus, priuilegia Iudaeorum confirmauit, (*a*) *in festo B. Lucae euang. A. D. MCDXXXI.* Italiam autem imperialis coronae suscipiendae caussa petiturus, ad ducem Mediolanensem oratores praemisit, qui foedus et contra Venetos, et ad tutum iter praestandum cum illo concluserunt, (*b*) *A. D. MCCCCXXXI. die Mercurii, primo mensis Augusti.* Via sic praemunita, Mediolanum profectus, 25. Nouembris ferream vel, vt ipse loquitur, (*c*) *secundam coronam imperialem de manibus RR. P. et D. archiepiscopi Mediolanensis, in domicilio B. Ambrosii episcopi, suscepit.* In locum Martini V. qui 20. Febr. decesserat, Eugenius IV. kal. Martiis electus, concilium, Basileam indictum, ratum habuit, ad quod Sigismundus suos populares amantissimis litteris inuitauit, seque, natione Bohemum, nulli genti, quam suae, magis affectum esse declarauit. Prima sessio 14. Decembris, praesentibus Sigismundi legatis, celebrata fuit. (*d*)

A. C.

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 464. (*b*) Ap. Pray Annal. P. II. p. 303. (*c*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 375. (*d*) Hist. Cr. T. XII. p. 564.—584.

A. C. 1432. *Sig.* 46. *Ind.* 10. *P.* 20. *A.*

CLXXIII. Ad hunc annum figit Timon vtramque Sigismundi coronationem, et Romanam, et Mediolanensem. Neutrum bene; nam Mediolanensis ad annum isto priorem, ad posteriorem Romana pertinet. Turotzius cum coronatione Sigismundi Blasconis seu Blasii seditionem ac tumultum coniungit, quem Benesius ad hunc annum paucis ita perstringit: (*a*) 1432. *anno Hussitae haeretici Trnauiam in Vngaria traditione obtinuerant.* Bartosius modum quoque traditionis et occupationis occasione nundinarum annuarum S. Ioannis Bapt. ad eumdem hunc annum describit. *Hostiliter*, inquit, (*b*) *successiue ad annuale forum, ac si mercatores essent, in ciuitatem venerunt: et quum eorum exercitus prope ciuitatem aduenit; ex tunc isti, qui quasi mercatores diuersi in ciuitatem Trnaua venerunt, sentientes suos complices iam circa ciuitatem in nocte esse, ad valuas concurrerunt, et valuas duas effregerunt, et suos in ciuitatem immiserunt.* Quum igitur etiam Balbinus haec ad eumdem annum referat; his potius deferendum videtur, quam Turotzio, qui Sigismundi laudes ita narrationi huic praemittit: (*c*) *Rex Sigismundus sanctam matrem ecclesiam, tum armis tristatam, tum vero ingentibus schismatis et haeresis procellis et turbinibus agitatam, crebris vicibus consolatus est, ruentemque erexit; et pro illa suos saepius thesauros suorumque sanguinem simul et animam fudit. Tandem quum aetas sua longas sibi moras promittere videretur minime; ne morte praeuentus,*

imperialis

(*a*) Ap. Dobn. Mon. T. IV. p. 73. (*b*) Ibid. T. I. p. 174.
(*c*) Chron. P. IV. cap. 21.

imperialis nominis honore frustraretur; illa in toto orbe terrarum nominatissima Romani regni diademata, imperialisque dignitatis insulas suscipere satagens, dispositis in regno ex viris praestantioribus pro eiusdem tutela custodibus, versus vrbem Romanam suorum flexit habenas equorum. Sed hi custodes regnum Hungariae, sui praesentia principis orbatum, haud bene protexere. Nam MCDXXXI. salutis anno, ipso rege peregrinis in regnis res suas dirigente, quidam Blasko, exigui tum census, tum nominis, ex collectiuo milite — ingenti manu conflata, primum oppidum Ternauiae, — ciuibus eiusdem nocturna quiete soporantibus, vi clamdestina subintrauit, potitusque munitione, arma auxit. Balbinus ait, (*a*) eos, quum *incendiis omnia foedassent, ad Vagum IX. Nouembris, deprehensos ab Hungaris magnam cladem accepisse.* Bartosius etiam ab Alberto duce non leuia damna Hussitis illata fuisse, testatur. (*b*) Interea Sigismundus, iter Romanum prosequutus, aliquamdiu Placentiae haesit. *Die VI. Maii* Parmae; *die* 28. *Octobris* Senis in Hetruria litteras dedit. (*c*)

A. C. 1433. *Sig.* 47. *Ind.* 11. *P.* 12. *A.*

CLXXIV. Has litteras Sigismundus Senis ad Ladislaum de Kanisa, comitem Sopronienſem, dedit, vt contra Venetos in Foroiulienſem prouinciam *ad minimum gentes* 100. *lanceatorum* promoueret. Ad eumdem hoc anno rursus indidem scripsit, mutatique de bello Venetis inferendo consilii caussas ita reddidit: (*d*) „ — Nunc, rebus aliter et longe durius

(*a*) Epit. L. IV. C. XI. p. 477. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 178. (*c*) Hist. Cr. T. XII. p. 585.—595. (*d*) Ex MSS. Cornidesſ. T. XI.

„ durius ac asperius se habentibus, nobis in hac „ nostra imperiali Senarum ciuitate constitutis, pro- „ pter sacrum Basileense concilium, domino no- „ stro apostolico odiosum, — obligauimus nos po- „ pulo huius nostrae ciuitatis Senensis, in veritate „ nobis fidelissimo, — vt pro rebus nostris impe- „ rialibus regendis, ac pro recuperatione Dalma- „ tiae, et specialiter pro defensione huius ciuitatis „ Senensis et suorum territoriorum, gentes nostras „ venire, et per totum mensem Aprilis, proxime „ adfuturi, hic constitui faciemus. — Datum in „ praedicta nostra ciuitate Senarum, fer. IV. prox. „ ante fest. conuers. B. Paulli ap. A. D. MCDXXXIII." Rursus inde litteras in Hungariam pro Posonio contra Hussitas communiendo dedit, (a) *Senis, 2. die festi purificationis V. M. gloriosae, A. D. MCDXXXIII.* Ex eadem ciuitate, legatis 16. Martii Romam destinatis, ad concilium scripsit, (b) se Viterbium ad pontificem iturum, *et vsque medium Iunii vel prius in vrbe Romana a sanctitate sua coronandum. — Dat. Senis, die XV. mensis Aprilis.* Quia Basileenses patres amicitiam Sigismundi cum pontifice, qui concilium dissoluere, Senasque vel ad alium locum, Graecis viciniorem, transferre volebat, suspectam habuerunt, certos illos reddidit, se nihil in praeiudicium synodi facturum. Antequam autem Romam accessisset; Matkonem de Thalotz et Casparum Slikium praemisit, ac per eos promissa quaedam pontifici iureiurando fecit. Senis Viterbium ad pontificem profectus, litteris IX. Maii datis, synodo significauit, (c) *a pontifice legatos fuisse*

(a) Ibidem T. XII. (b) Ap. Dumont T. II. P. II. p. 258.
(c) Cont. Fleur. T. XXVII. p. 91.

fuisse deputatos, qui eius nomine concilio, a se confirmato, praeessent. Huc tandem Eugenium Sigismundus inflexit; sed Basileensium ambitio, qui supremam auctoritatem sibi supra pontificem arrogabant, hos pontificis legatos admittere noluit. Die 21. Maii Sigismundus sollemni pompa Romam ingressus est, et (a) *in festo pentecostes* (31. Maii) *sollemnissimis ceremoniis coronatum pontifex imperatorem augustum nuncupauit; postquam prius de fide catholica strenue defendenda, iuribusque ac priuilegiis Romanae ecclesiae tuendis consuetum praestitisset iuramentum. Quo facto, Sigismundus pontifici equitanti de more stratoris officium exhibuit.* Turotzius vtramque Sigismundi coronationem vna serie sic proponit. (b) *Sigismundus, partibus Tusciae et Lombardiae perlustratis, in ciuitate Mediolanensi, secunda Romani regiminis corona, quum primam ante haec in Aquisgrano suscepisset, — exstitit coronatus. Deinde, continuato itinere, Romanam venit ad vrbem, vbi sacrarum imperialis fastus infularum honore veneranda tanti principis canities per SS. in C. P. D. Eugenium PP. IV. ingenti cum sollemnitate, laudabiliter exstitit adornata.* (c)

CLXXV. Sigismundus augustus, Roma Mantuam profectus, ditionis huius principem titulo marchionis ornauit, (d) *Mantuae, A. D. MCDXXXIII. die XXII. mensis Septembris.* Vltra progressus, datis ad Scepusienses litteris, muros Kesmarkienses, ab Hussitis vitiatos, reparari iussit, (e) *Ferrariae,*

fer.

(a) Ibid. p. 98. (b) Chron. P. IV. cap. 23. (c) Hist. Cr. T. XII. p. 595.—612. (d) Ap. Dumont. T. II. P. II. p. 269. (e) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 53.

fer. VI. prox. post festum B. Matthaei ap. et eu. A. D. MCDXXXIII. Quando muros illos Hussitae vitiauerint; vrbis Kesmarkiensis memorabilia his verbis exprimunt: (*a*) *Anno dom.* 1433. *ipso die S. Marci euang. intrauerunt Hussitae, alias Thaboritae, cum maxima potentia curruum, equitum et peditum, in numero quasi* 20. *millia hominum; et eodem die ipsi Thaboritae, fallaci eorum astutia et palliata dolositate, manu bellicosa hostiliter subintrauerunt, ipsam ciuitatem Kesmarkt incinerando.* Dlugossus addit: (*b*) *Vbi magnas opes, pluribus annis congestas, reperientes, spoliatis vicinis oppidis et villis, captoque praeposito Scepusiensi Georgio, qui Pragam deductus, occubuit, — cum multitudine praedarum, sine aliqua animaduersione et obstaculo, reuersi sunt.* Haec ante 28. Octobris acta fuisse, discimus e Sigismundi litteris, quibus Georgio Ioannem Stock subrogauit, (*c*) *Basileae, in festo BB. Simonis et Iudae app. A. D. MCDXXXIII.* Sigismundus reliqua parte huius anni Basileae mansit, duabusque sessionibus, nempe XIV. die 7. Nouembris et XV. die 26. mensis eiusdem interfuit; ac interea legationem Turcarum excepit, quam ita continuator Fleurianus e Krantzio describit: (*d*) *Amurates II. Turcarum imperator, ad Sigismundum caes. sollemnem legationem decreuit, vt, postquam cum eo diu iam armis conflictatus erat, tandem perpetuae ac firmae pacis foedera componeret. Sigismundus, caesareis ornamentis praefulgens, hosce legatos, in Ecclesia Basileensi exceptos, ad alloquium admisit. Duodeni ex primo horum oratorum ordine Sigismundo nomine sui imperatoris offerebant munera, nempe* 12. *praegrandes ex*

(*a*) Ibid. P. II. p. 48. (*b*) Libr. XI. col. 625. (*c*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 330. (*d*) Tom. XXVII. p. 125.

auro scyphos, aureis nummis plenos; pannos, auro et arte Phrygia insignes; vestem, auro intextam, plane pretiosissimam; aliasque plures sericas, gemmis distinctas. Imperator, pari ac regia munificentia horum liberalitatem adaequaturus, vicissim eos donis pretiosis iuxta ac magnificis cumulauit. Ad resarciendas has expensas seruire potuit id, quod Ioannes, Zagrabiensis antistes, ei testamento reliquit, nempe *ciuitatem de monte Gretz*, vt Kerchelichius scribit, (*a*) *quam titulo pignoris possidebat.* — *Item Sz. Péter prope Drauum, et tributum, quod ab eodem Sigismundo titulo pignoris pro* 10000. *floren. possidebat.* (*b*)

A. C. 1434. *Sig.* 48. *Ind.* 12. *P.* 28. *M.*

CLXXVI. Sigismundus, Bohemis ad veram fidem et officium reducendis intentus, primis quatuor huius anni mensibus Basileae mansit, ac sessioni XVI. die 5. Febr. et XVII. die 26. Aprilis interfuit. Quale subsidium contra Hussitas a concilio decretum fuerit; sub initium mensis Aprilis ipse Sigismundus ad Sarosienses ita perscripsit: (*c*)
„ —— Quia sacrum Basileense concilium, ad ex-
„ stirpationem et destructionem haereticorum Hussi-
„ tarum de regno nostro Bohemiae specialiter in-
„ tendens, inter ceteras prouidas ordinationes, —
„ statuit et conclusit, vt per totam Christianita-
„ tem semidecimae, id est, vicesima pars decimarum
„ et similiter omnium aliorum certorum prouen-
„ tuum annualium, a clero, cuiusuis ordinis et
„ libertatis exsistat, tam exemto, quam non ex-
„ emto

(*a*) Hist. Eccl. Zagr. p. 165. (*b*) Hist. Crit. T. XII. p. 612. 628. (*c*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 3.

„ emto; ab vniuersis vero principibus, — diuitibus „ et pauperibus, qui annuales prouentus et census „ habent, — quinquagesima pars, seu 50. denarius „ vtputa de 50. florenis vnus; de aliis vero rebus „ mobilibus, — ad valorem iustum aestimatis, de „ mille florenis vnus; — item a qualibet persona, „ nullos certos prouentus habente, sex denarii vsu- „ ales exigantur; — nosque aduertentes, — le- „ gatos omnium principum et regnorum fere to- „ tius Christianitatis, in ipso sacro concilio con- „ stitutos, praetactam ipsius sacri concilii ordina- „ tionem, nominibus principum et regnorum, a „ quibus missi sunt, affectuosis voluntatibus acce- „ ptasse; considerantes nihilominus, ipsum regnum „ nostrum Hungariae vicinius grauiusque insulti- „ bus non solum ipsorum haereticorum, verum „ etiam Turcorum — lacerari; — vna cum fideli- „ bus nostris consiliariis, nobiscum hic exsistenti- „ bus, mature superinde deliberantes, decreuimus „ eamdem dispositionem — rationabiliter acceptan- „ dam. — — — Dat. in nostra imperiali ciuitate „ Basileensi, fer. V. post festum B. Ambrosii ep. A. „ D. MCDXXXIV." seu VIII. Aprilis; quum olim fe- stum B. Ambrosii IV. mensis Apr. celebratum fue- rit, Basilea iam Vlmam Sigismundus discesserat; quum catholici Hussitas primum Vetero —, tum Neo — Pragae, caesis ambobus Procopiis, 30. Maii profligarunt. Illustrem hanc victoriam Sigismundus ad patres Basileenses *Vlma IV. Iunii* perscripsit. Vix inde Ratisbonam concessit; quum Bohemiae legati suum illum regem salutarunt. (*a*)

 CLXXVII.

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 628.—646.

CLXXVII. Tot negotiis variorum regnorum et imperii ciuitatum distentus, vota Hungarorum, eiusdem reditum auide praestolantium, serius explere potuit. Postquam autem Hungariam, quam ab imperiali corona Romae suscepta non viderat, ingressus est, quo facilius tam Germaniae, quam Hungariae rebus prospicere posset, in vtriusque regni limitibus Posonii plerumque se detinuit, vt Turotzius in haec verba scribit: (a) *Reuersus post haec per Italiam et Germaniam, et rebus tam Romanae ecclesiae, quam suis sibi occurrentibus discretionis moderamine ad votum compositis, venit in Hungariam, quae suam propter absentiam multis iniuriis vndique lacessita, et in suae quietis statu grauibus affecta erat procerum discordiis. Figens igitur in ciuitate Posoniensi residentiam, et ad illum regni sui Hungariae principibus et proceribus, quasi totum regnum repraesentantibus, pro visenda noua domini ipsorum dignitate confluentibus, omnem impetum et turbinem discordiarum, quibus regnum suum, sua regali absentia viduatum et interim agitatum exstitit, sagaciter complanauit.* Sigismundum reipsa Posonii multum dehinc resedisse, testantur plura diplomata, quae hoc in loco mense Nouembri confecit. Ex iis illud est, quo Kesmarkiensibus, ad ciuitatem suam contra Hussitas emuniendam, sacram et parochialem aedem demolientibus, cautionem dedit, (b) *Posonii in festo B. Martini E. et C. anno dom. MCDXXXIV.* Szent-Martoniensium praerogatiuas, ab iisdem Hussitis exustorum, ibidem eiusdem mensis die 23. renouauit. Biduo post etiam Neosoliensium priuilegia nouis litteris ibidem

con-

(a) Chron. P. IV. cap. 22. (b) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 214.

confirmauit. Die 30. mensis eiusdem Vjbanyensibus itidem Posonii ius nundinarum certis diebus concessit. Tum quoque Posonii Sigismundus erat, quum legati Poloniae filiam Alberti, ducis Austriae, pro nouo rege suo sponsam petierunt. *Legati Poloniae*, scribit Dlugossus, (*a*) *imperatorem in Prisburg, de partibus Rheni per Istrum descendentem, adeuntes, comiter et benigne ab eo excepti — sunt*. Haec legatio decreta fuit, postquam Wladislaus Iagello 31. Maii hoc anno decessit, eique filius, itidem Wladislaus, Hungariae rex futurus, successit. Sed Sigismundus, donec aequo iure simultates inter vtrumque regnum componerentur, Polonorum postulatis non acquieuit. Mortuo vero Ioanne, quum ecclesia Zagrabiensis anno superiore vacare coepisset, ad eius iura vindicanda, Matkonem seu Mathiam de Tallocz, comitem Keuiensem, misit, qui ciues bonorum episcopalium inuasores, in ius vocauit, ac reos *in centum marcis auri condemnauit*. (*b*)

A. C. 1435. *Sig.* 49. *Ind.* 13. *P.* 17. *A.*

CLXXVIII. Id, quod ex Turotzio legimus, Sigismundum, post suum ex Germania reditum, sedem suam Posonii fixisse, diplomata, rursus ibidem Ioanni Stock, praeposito Scepusiensi data, tum ipsum Sigismundi decretum VI. *maius* dictum, eiusque praefatio testatur, quae sic habet: (*c*) „ Sigismundus, diuina fauente clementia, Rom. imperator „ S. A. ac Vng. Boem. Dalm. Croat. Ram. Seru.

 „ Gallic.

(*a*) Libr. XI. col. 671. (*b*) Ap. Kerchel. H. E. Z. p. 170. Hist. Cr. T. XII. p. 646—656. (*c*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 191.

„ Gallic. Lod. Cum. Bulgariaeque rex. — Quum
„ nos pro imperialis fastigii honore finaliter adipi-
„ scendo, post electionem nostram, in regem Rom.
„ factam, et primae coronae regiae Romanae Aquis-
„ grani susceptionem; nouissime S. R. I. principibus
„ electoribus nobis consulentibus, in partes Lom-
„ bardiae descendendo, in ciuitate Mediolani secun-
„ dam coronam regiam Rom. imperii recepimus;
„ et demum in vrbem Romanam profecti fuissemus,
„ insulasque nostras imperiales de manibus SS. D.
„ N. D. Eugenii PP. IV. cum debita sollemnitate
„ suscepissemus; et deinde, nonnullis partibus Ita-
„ liae et Germaniae perlustratis, — tandem in pe-
„ culiare regnum nostrum Hung. — regressi, in
„ hac ciuitate nostra Posoniensi primam residen-
„ tiam fecissemus personalem; — infrascriptas con-
„ stitutiones — decreuimus. — " Complectitur au-
tem decretum hoc articulos XXIV. quorum *I.* est
„ de iudicibus ordinariis regni et eorum iuramen-
„ to. *II.* De iudicum nobilium electione. *III.* Bir-
„ sagia inter comites et iudices nobilium diuidan-
„ tur. *IV.* Occupata bona spoliatis quomodo per
„ comites restituantur. *V.* Inquisitione sufficienti
„ habita et satisfactione impensa, factum poten-
„ tiae ad regiam curiam decidendum transmittatur.
„ *VI.* Castellani, damna aliis inferentes, cui poe-
„ nae subiaceant. *VII.* Birsagia moderata per quos
„ et quando exigenda. *VIII.* Capituli et conuen-
„ tus pro testimonio quales personae emitti debe-
„ ant. *IX.* Vicinorum et commetaneorum nomina
„ in litteris relatoriis capituli conscribantur. *X.* Lit-
„ terarum taxa et salarium fide dignitatum. *XI.*
„ Taxa litterarum minoris cancellariae. *XII.* Taxa
„ litterarum maioris cancellariae. *XIII.* Arestatio
„ in propriis terris et officiolatibus fieri nequit sub

„ poena

„ poena marcarum ſex. *XIV.* Areſti iudicis, parti „ fauentis, poena. *XV.* Areſtantium ciuium poe„ na in propriis terris. *XVI.* Areſti iudicis ſala„ rium. *XVII.* De defectu ſeminis, donationibus „ et ſequeſtro. *XVIII.* De vxoribus et filiabus, „ in domibus nobilium decedentium remanentibus. „ *XIX.* De quarta filiarum et domo paterna. *XX.* „ De filiabus nobilium homini ruſtico nubentibus. „ *XXI.* Eccleſiarum res et bona ſeculares non oc„ cupent. *XXII.* Tributorum ſuperflua exactio ve„ tatur. *XXIII.* De moderandis tributorum ſiue „ teloniorum ſolutionibus et viarum falſarum prohi„ bitione. *XXIV.* Infideles ad caſtra dominorum „ non acceptentur. Officiales finitimi latrones re„ cipere poterunt. — Datu[illegible]ſonii, — anno dom. „ 1435. octauo idus Martii[illegible]" (*a*)

CLXXIX. Vix decretum iſtud Sigismundus abſoluit; quum poſt 4. dies aliud, poſterius quidem editum, *quintum* tamen inſcriptum, *ſuper modo exercituandi*, condidit legesque, pro hoc ſcopo ſalutares, IX. articulis in haec verba pertulit: (*b*) „ Nos Sigismundus — notum facimus, — quod nos „ — volentes fines regni noſtri a partibus Bohemiae „ et Morauiae, a quibus propter ingruentiam prae„ ſentis temporis, ab aliquibus elapſis annis, huc„ usque frequentiores feruentioresque ipſum re„ gnum pertulit hoſtilitates, vi noſtra regia redde„ re ſecuriores, — fortalicia, in confinio Morauiae „ et iuxta fluuium Wagh ſituata, — noſtris ſumti„ bus regalibus contra quempiam Bohemorum — „ muniemus et tutabimur. — *Art. I.* Regis penes

„ gentes

(*a*) Hiſt. Cr. T. XII. p. 656—690. (*b*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 189.

„ gentes etiam proceres inſurgere debent. *II.* De
„ 33. colonis vnus eques, armis bene inſtructus,
„ mitti in expeditionem debet. *III.* Nobiles im-
„ poſſeſſionati, ſeu colonos non habentes, in pro-
„ priis perſonis in bellum ire tenentur. *IV.* No-
„ biles, fratres indiuiſi, vnum eorum; apud do-
„ minos autem ſeruientes, alios pro ſe in bellum
„ mittere cum comite tenentur. *V.* Proceres cum
„ coniugibus ſuis pro magiſtris curiae aliquos do-
„ mi relinquere nobiles poſſunt. *VI.* Iudex nobi-
„ bilium regeſtum colonorum omnium, in comi-
„ tatu exſiſtentium, comiti exhibere tenetur. *VII.*
„ Non veniens, aut tarde in expeditionem profe-
„ ctus, aut inde clam aut temere ſe ſubducens,
„ bona amittit. *V*[illegible] Milites, nemini damna in-
„ ferentes, et prae[illegible] herbas, ligna et aquam a
„ colonis nihil accipiant. *IX.* Modus recuperandi
„ damna, per milites illata. — Dat. *Budae*, in fe-
„ ſto B. Gregorii papae, anno dom. 1435." Male
locum adſcriptum eſſe, patet ex litteris, ad Ladi-
ſlaum Chaky poſtridie Poſonii datis. Indidem etiam
10. Menſis Aprilis Saxones admonuit, vt decumas
vini ſuis plebanis exacte praeſtarent. Menſe Iunio
Tirnauiam profectus, ad valla ciuitatis Eperies la-
tius proferenda duas molas ſuſtulit. Sub initium
Iulii Brunae, ſub Auguſti medium Iglauiae, 18.
menſis eiusdem Szakoltzae diplomata dedit. Poſo-
nium reuerſus, Stephano Berzeuitzio poſſeſſionem
Nyaragh contulit, (*a*) *octauo die feſti B. Michaelis
arch.* Sequenti menſe priuilegia Keſmarkenſium ibi-
dem confirmauit, (*b*) *in feſto B. Martini Ep. et C.*
Tatham ſubinde conceſſit, et ibidem Iglouienſium
priuilegia

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Sáros. p. 378. (*b*) Anal. Scep. P. I.
p. 55.

priuilegia ſtabiliuit, (*a*) *in feſto B. Nicolai Ep. et C.* Litteras indidem ad *Fr. Iacobum de Marchia, vicarium Bosnenſem*, dedit, (*b*) *ſabbato proximo poſt feſtum B. Andreae ap.* Huius Iacobi Piceni, vulgo de Marchia dicti, quem ſubinde Benedictus XIII. catalogo caelitum adſcripſit, opera Sigismundus ad Bohemos conuertendos vti voluit, expertus, illum in Bosnia plurimos conuertiſſe. (*c*)

A. C. 1436. *Sig.* 50. *Ind.* 14. *P.* 8. *A.*

CLXXX. Sigismundus, a legatis Bohemorum menſe Decembri Tatae ſalutatus, non multo poſt pietatis cauſſa Varadinum conceſſit, poſtremumque S. Ladislai regis exuuias veneratus, Albamregalem ineunte hoc anno petiit, vbi rogatus a Bohemiae legatis, ſtatuta concilii Baſileenſis de calicis vſu cum aliis quibusdam priuilegiis auctoritate ſua confirmauit, (*d*) *die VI. Ianuarii.* Biduo poſt eadem confirmauit, nullum tamen ad communionem ſub vtraque ſpecie compellendum eſſe, quod Huſſitae volebant, pollicitus. Ibidem adhuc erat 27. *Ianuarii*, qua lucrum camerae quibusdam in poſſeſſionibus eccleſiae Veſprimienſi remiſit. Quia vero pecuniae fere ſemper indigus erat; ad iter Bohemicum eam ſibi comparaturus, archiepiſcopo Strigonienſi, Georgio de Palotz, pignori dedit Dechter et Patak; (*e*) *datum in ciuitate Peſtienſi, in dominica* Reminiſcere, *A. D. MCDXXXVI.* Eadem de cauſſa mutuas 100. argenti marcas a Kesmarkienſibus exegit; (*f*) *dat.*

(*a*) Ibid. p. 221. (*b*) Ap. Koller H. E. Q. T. III. p. 350. (*c*) Hiſt. Cr. T. XII. p. 690.—724. (*d*) Ap. Pray Annal. P. II. p. 317. (*e*) MSS. Hevenes T. DD. (*f*) Ex MSS. Coraideſianis.

dat. Budae, sabbato prox. post festum SS. corporis Christi, seu IX. Iunii. Postridie Buda, numquam eam reuisurus, mouisse videtur; nam, teste Bartosio, (*a*) 12. *Iunii* iam Iglauiae fuit, vbi dato diplomate, Bohemis et Morauis vsum calicis concedendum promisit, (*b*) *die tertia mensis Iulii.* Postquam eum die 23. mensis Augusti Pragam ingressum Eugenius pontifex intellexit; litteras, amoris et laetitiae testes, ad ordines Bohemiae dedit, (*c*) *Bononiae, anno VI.* Quum autem Sigismundus sperauerit, se propediem in Hungariam reuersurum; sigillis, quibus vt Hung. rex vti consueuerat, illic relictis, priuilegia Iudaeorum, in Hungaria constitutorum, imperiali sigillo muniuit, (*d*) *Pragae*, — *anno dom. MCDXXXVI. tertio nonas Nouembris.* (*e*)

A. C. 1437. *Sig.* 51. *Ind.* 15. *R.* 31. *M.*

CLXXXI. Dum Sigismundus Pragae commoratus fuisset; Palotzio palatii comite mortuo, Laurentium Hederuarium eius successorem constituit, (*f*) *feria V. prox. ante fest. B. Gregorii papae.* Laetus, dum hic ageret, de duabus victoriis nuncios illum accepisse, Bartosius ita perhibet: (*g*) *Circa festum SS. Philippi et Iacobi ap. Rohacz de Duba, cum suis complicibus, in monte, dicto Sion, quem ipse Rohacz sic appellauit, et ibidem castrum nouum aedificauit, est per D. Hinczonem, — cum gentibus D. imperatoris et ciuibus Pragensibus circumuallatus; et eodem anno*

(*a*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 194. (*b*) Ap. Dumont. T. III. P. I. p. 8. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1436. (*d*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 464. (*e*) Hist. Cr. T. II. p. 728.—762. (*f*) Ex MSS. Comitdesianis. (*g*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 198.

anno, feria 2. ante natiuitatem B. V. per Sturm vinctus et captus. Adductus ad Sigismundum, cum 53. sociis suspendio necatus, iustas sceleris poenas dedit. Alterius victoriae sic ibidem meminit: *Gentes Hungarorum, Bohemorum, Morauiae et Poloniae, — multos Turcos et paganos bello in campo bene 40. millia et vltra vicerunt; inter quos Hungaros quidam Pangracz erat capitaneus; et circa assumtionem B. M. V. quatuor duces dictorum paganorum, gentes Hungarorum D. imperatori Pragam adduxerunt vinctos.* Pro his victoriis DEO se gratum exhibiturus, B. Iacobi, cuius vtilissimam in conuertendis haereticis operam plures Hungariae praesules experti laudibusque meritis prosequuti sunt, patrocinium aduersus Quinqueecclesienses, monitionum eius impatientes, suscepit, datis ad episcopum Henricum et capitulum litteris, (a) *Pragae, in vigilia festi B. Bartholomaei apost. A. D. MCDXXXVII.* grauissimis verbis questus, quod „ ven. Fr. Iacobum „ de Marchia, vicarium Bosnae ac inquisitorem hae„ reticae prauitatis, et toti regno Hung. de man„ dato et auctoritate D. apostolici et suo, viam „ veritatis demonstrantem, — procul fugassent, „ ipsumque a sua praedicatione et inquisitione di„ ctae haereticae prauitatis et corrupti status mo„ dis omnibus prohibuissent. — " Iubet igitur sanctum virum, cuius maximam semper aestimationem habuit, honorifice recipi. Nec multo post pignori datam possessionem Mere ratam habuit, itidem *Pragae, in festo decollationis B. Ioannis Bapt.* Mense Septembri, filiis Nicolai vaiuodae de Marczaly donauit oppidum Vereucze, rursus *Pragae, secundo die festi exaltationis S. Crucis.* Octobri mense Paul-

lo

(a) Ap. Koller H. E. Q. T. III. p. 359.

lo de Lindua, qui primam coniugem Catharinam, Stiborii filiam, habuit, a morte Stiborii iunioris, castrum Bolondocz, quod iam Betzko dicimus, contulit. Ita Sigismundus etiam extra Hungariam in Hungaros fauores regios sparsit. (*a*)

CLXXXII. Sed numquam ille luculentius suam in Hungaros propensionem, quam ante suam mortem, prodidit. Veritus enim, ne Rochezana, Hussitarum primipilus, homo tumidus ac turbulentus, fuga nuper elapsus, ab obitu suo nouas turbas conciret, iisque Hungaros, quos secum habebat, inuolueret; eos periculo hoc erepturus, grauissimis extremi morbi doloribus insuper habitis, Praga prius, quam moreretur, discedere constituit. *Dum*, inquit Turotzius, (*b*) *senex princeps aetate curisque pariter et paralysis infirmitate laboraret; magna infirmitatis grauitate occupatur, suamque senilem aetatem extremos suae vitae ad limites appropinquare, sui corporis ex debilitate agnoscens, Hungarorum potioribus, qui illum comitabantur, clam ad se vocatis, illos ita affatus est*: „Cari mihi filii! — si hic morte prae„uentus fuero; timeo, ne Bohemi, qui me et „vos semper odio habuere, in vos irruant; vos„que et vestras res rapaci praedae exponant. Sed, „qui hucusque vos dilexi, vt et nunc me vos „intime diligere sciatis; maximam propter vos „incidi in curam. — Quamdam igitur vestrae sa„lutis viam inueni, per quam vos vestris laribus „incolumes me reddere posse cogito. Cras enim „barba et crinibus meis coadunatis, canitiem ca„pitis mei crinali adornate; locantesque me im-

„periali

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 770.—790. (*b*) Chron. P. IV. cap. 24.

„ periali in ſede, ſimulque in feretro me ponite; „ et mediam per ciuitatem vna mecum transeun- „ tes, me et vos e medio illorum, qui veſtrum „ ſitiunt ſanguinem, educite.“ *Pariterque poſt verba imperialibus e luminibus madidae obortae lacrimae ſuas defluxére vsque ad maxillas. Placuit Hungaris imperialis beneuola perſuaſio. Quamobrem, — vniuerſis ad viam neceſſariis praeparatis, omnia iuxta imperatoris conſilium fecerunt.* Fuit et alia diſceſſus adeo moleſti cauſſa, Barbara coniux, quae, viuo, ſed aetate morbisque fracto Sigismundo, de nouo marito, Wladislao, Poloniae rege, cui ſimul Hungariam et Bohemiam deſpondebat, agitare conſilia coepit. (*a*) Haec igitur conſilia diſſipaturus, Albertoque, genero ſuo, tam Hungariam, quam Bohemiam aſſerturus imperator, reditum ſuum accelerauit; ac vbi Znoymam venit; *imperatricem cuſtodiae tradidit*, vt Dlugoſſus perhibet, — ac *baronibus Vng. et Boh. in cubiculum vocatis, moriturum ſe ſe indicat: et generum ſuum, Albertum, Auſtriae ducem, praeſentem, pro regno vtroque regem declarat* (vel potius commendat) *rogans*: „ vt „ ſupremam eius voluntatem in hoc exſequantur: „ beata fore regna, quibus Albertus imperabit.“ Reliqua Turotzius ita proſequitur: *In Znoymam, ciuitatem Moraniae, delatus, domini MCCCCXXXVII. anno, in feſto conceptionis glorioſiſſimae, aetatis ſuae ſeptuageſimo* (nondum plene completo) *regnorum autem ſuorum Hungariae* 51. (8. menſibus et 8. diebus inchoato) *Romanorum* 27. *Bohemiae* 17. *imperii vero anno* 5. *diem obiit. Qui poſtmodum, ſuorum non ſine vberrimo fletu, in Hungariam portatus, et in eccleſia Varadienſi honorifice, ſuorum praedeceſſorum* ad

(*a*) Dlugoſſ. Libr. XII. col. 699.

ad instar, traditus est sepulturae. Fuit imperator Sigismundus homo in sui vultus qualitate et personae quantitate satis idoneus, pulchra facie, crinibus crispis et glaucis, ac sereno intuitu a summo rerum conditore adornatus. Hic in fauorem Hungarorum, quondam longas barbas deferentium, prolixam barbam deferebat. (a)

CLXXXIII. Et erat Hungaris, postquam primos iuuentutis impetus ac vitia cum aetate correxisset, clarissimus, primi nominis regibus accensendus; si quanta consiliorum vbertate, tanta quoque bellorum felicitate valuisset. Turcarum sub initium et exitum victor, alias saepe victus, tam iis, quam Venetis multas Hungaricae ditionis plagas cedere coactus est. Litterarum ac litteratorum munificus maecenas ac censor, adulatorum acerrimus osor, religionis ac ecclesiae cum regnorum etiam ac vitae periculo strenuus defensor, animi magnitudine summus, diuitiarum minime cupidus, immo nonnumquam ex intempestiua munificentia profusus, vtramque fortunam non semel expertus, quos ferro non potuit, clementia vicit, multosque honoribus amplissimis arctissime sibi deuinxit. Quia turbulentis Mariae Caroli que Parui temporibus magistratus non exhibuimus, hic simul omnes coniungimus, qui post obitum Ludouici floruerunt. Erant igitur archiepiscopi *Strigon.* Demetrius card. 1383. Ioannes de Kanisa 1388. Georgius ab Altaflamma 1423. Georgius de Palotz 1423. *Coloc.* Ludouicus 1383. Nicolaus Bubek 1391. Ioannes de Gara 1400. Nicolaus 1408. Andreas 1416. Ioannes 1426. Episcopi *Agrien.* Emericus Zudár 1383. Ioannes de Kanisa

(a) Hist. Cr. T. XII. p. 797.—804.

Kanisa 1385. Stephanus Chyko 1388. Thomas de Ludan 1401. Stiborius 1410. Thomas 1423. Petrus de Rozgon 1426. *Bosnen.* Georgius 1383. Ioannes 1388. Benedictus 1410, Dionysius 1427. Iosephus 1428. *Iaurin.* Guillermus 1383. Ioannes 1387. Clemens 1419. *Nitrien.* Fr. Dominicus 1383. Demetrius 1387. Gregorius 1388. Michael 1395. Petrus 1399. Fr. Hinco 1404. Georgius 1419. *Quinqueecclesiensis.* Valentinus card. 1383. Ioannes 1410. Henricus 1423. *Sirmien.* Ioannes 1383. Fr. Gregorius 1393. Fr. Thomas 1397. Ladislaus 1399. Franciscus 1419. Iacobus 1420. *Transsiluan.* Gublinus 1383. Emericus 1386. Petrus 1389. Demetrius 1391. Martinus 1395. Nicolaus 1400. Stephanus 1401. Georgius de Palotz 1419. Blasius 1423. Georgius Lépes 1427. *Tsanad.* Ioannes 1383. Lucas 1395. Fr. Gregorius 1397. Georgius 1401. Fr. Dósa 1404. Ladislaus de Martzali 1423. *Vacien.* Petrus 1383. Nicolaus 1405. Fr. Philippus 1408. Nicolaus 1419. *Varad.* Ioannes 1383. Paullus 1396. Lucas 1397. Eberhardus 1407. Andreas 1409. Dionysius 1427. Fr. Ioannes 1436. *Vesprim.* Benedictus 1383. Demetrius 1388. Martinus 1393. Demetrius 1397. Michael 1399. Ioannes 1407. Petrus de Rozgon. 1419. Ioannes 1426. Simon de Rozgon 1429. *Zagrab.* Paullus 1383. Ioannes 1386. Eberhardus 1397. Andreas 1408. Eberhardus 1409. Ioannes 1421. *Palatini:* Nicolaus de Gara 1383. Nicolaus de Szech 1386. Stephanus 1388. Leustachius de Ilsua 1393. Detricus Bubek 1397. Nicolaus de Gara 1401. Matthaeus de Palótz 1434. Laurentius de Hedervára 1437. *Vaiuodae Trans.* Ladislaus 1383. Franciscus Bubek 1391. Emericus Bubek 1394. Frank de Konya 1395. Stiborius 1397. Nicolaus de Martzal 1403. Ioannes et Iacobus 1404. Stiborius 1410. Nicolaus de Chak

 1415.

1415. Ladislaus de Chak 1427. simul Petrus Cheh de Leua 1436. *Iudices curiae*: C. Nicolaus de Széch 1383. C. Emericus Bubek 1386. Ioannes de Kapla 1391. Ioannes de Pastoh 1396. Frank Konye, de Zethen 1398. C. Simon de Rozgon 1410. C. Petrus de Perén 1415. C. Stephanus Kompolt de Nána 1424. Matthaeus de Palótz 1425. C. Stephanus de Báthor 1435. *Bani Cr. et Dalm.* Emericus Bubek 1383. Templinus 1384. Ladislaus et Stephanus de Losontz 1387. Dionysius 1388. C. Ioannes de Veglia 1391. Nicolaus de Széch 1395. Nicolaus de Gara 1397. Paullus Bissenus et Paul Péch 1404. Hermannus C. Ciliae 1407. C. Carolus de Corbauia 1410. Ioannes de Medue 1415. Albertus de Vng 1419. Nicolaus C. Vegliae 1426. Ioannes et Stephanus, comites Vegliae, 1435. Stephanus Frangepanius et Matko de Thallotz 1436. (*a*)

§. IX.

ALBERTVS REX XXXI.

Coepit A. C. 1437. *desiit A. C.* 1439.

A. C. 1437. *Alb.* 1. *Ind.* 15. *P.* 31. *M.*

CLXXXIV.

Albertus, claro principum Habsburgicorum sanguine prognatus, abnepos erat Alberti I. filii Rudolphi I. imp. pronepos Alberti II. nepos Alberti III. filius Alberti IV. Ex hoc ille natus anno 1397. post eius quidem obitum Austriam adeptus est an. 1404. quia tamen tenerioris tunc aetatis erat, quam vt ipse hereditariam illam prouinciam administrare posset; sub tutela patruelium primum quidem

(*a*) Ibid. p. 804.—818.

quidem Wilhelmi ducis ad annum vsque 1406. deinde Leopoldi IV. vixit ad annum 1411. Tum mortuo huic Erneſtus ſucceſſit, qui Budam Albertum, 14. annos natum, adduxit, eique Sigismundus Eliſabetham filiam ea conditione deſpondit, vt, quamprimum viro matura fuerit, ſub multa 40. millium flor. in manus cum Alberto conueniret. Sponſalibus his anno 1419. confirmatis, poſtquam Eliſabetha 12. aetatis annum attigiſſet; nuptiae ſollemni pompa celebratae ſunt anno 1422. Ex hoc ſubinde connubio ſuſtulit Albertus duas filias, Annam et Eliſabetham, illam Wilhelmo Saxoni, hanc Caſimiro Polono collocatam anno 1454. quae biennio poſt, Wladislaum II. Hung. regem, genuit. Alberto regi poſt 4. ab eius obitu menſes natus eſt Ladislaus Poſtumus, itidem Hung. rex futurus, in quo ramus hic Albertinus exaruit. At alter ramus, quem Leopoldus per Erneſtum propagauit, longa ſerie Hungariae ſceptrum obtinebit, vt genealogica haec arbor exhibet:

Rudolphus I. imp. ex domo Habsburgica.

Albertus I. imp. et dux Auſtriae.

Albertus II. D. Auſtr. Fridericus, aem. imp.

Albertus III. Leopoldus.

Albertus IV. Erneſtus.

Alb. V. imp. R. H. B. Frider. III. imp.

vx. Eliſ. Sigism. F. Maxim. I. imp.

Lad. Poſt. Anna Eliſ. Philippus R. Hiſp.

Wlad. II. R. H. B. Ferd. I. imp. R. H. B.

Ludou. II. R. H. B. Maximil. II. imp. R. H. B.

CLXXXV. Albertus, a morituro Sigismundo circumſtantibus Hung. proceribus maiorem in modum commendatus, iam tunc eorum conſenſione rex deſtinabatur. Quia vero hanc deſtinationem intercipere Barbara voluit; cuſtodiae mancipata, cum imperatoris cadauere Poſonium deducta fuit. *Miſerabile ſpectaculum*, inquit Aeneas Siluius, (*a*) *et humanarum rerum ſingulare documentum: imperatrix captiua et imperatoris cadauer vna vehitur: occurrunt lugubres Hungari; nec tenere lacrimas in tanta rerum nouitate poſſunt: hinc defuncti regis corpus fletum elicit: inde reginae vincula commiſerationem excitant.* Hungaris Poſonium ad triſte hoc ſpectaculum magno numero confluentibus, antequam iuſta Sigismundo perſoluerentur, Albertus in regem electus eſt. Nec enim ſola Sigismundi deſtinatione paucorumque procerum conſenſione regnum obtinere potuiſſet. Electionis certe tam ipſe, quam exteri chroniſtae meminerunt, quam *ad feriam IV. ante feſtum S. Thomae*, ſeu 18. Decembris, deſignunt. Magna profecto debuit eſſe virtus Alberti, qua capti Hungari non ambientem deproperatis votis elegerunt, et, antequam Sigismundus Varadini tumularetur, Albae poſt 13. dies inaugurarunt. Quidam imperium inter Albertum et Eliſabetham propterea diuiſum et aequatum fuiſſe putant, quod litteras publicas vtriusque conſenſu confectas paſſim legant. Qua quidem de cauſſa pariter inter Sigismundum ac eiusdem coniugem Barbaram, cuius ille conſenſus in ſuis diplomatibus ſaepius meminit, vt de Ludouico, matris conſenſum toties repetente, nihil dicam, imperium fuiſſe diuiſum, affirmare deberemus. Certe, ſi coronam

a morte

(*a*) Hiſt. Bohem. cap. 54.

a morte patris more regio susceperisset, et, vt rex coronari debuisset; eius coronatio citra controuersiam ad metropolitam Strigoniensem pertinuisset; nec propterea litem eidem Vesprimiensis episcopus mouisset: cui tamen ille hanc prouinciam cessit, confecto, ne iuribus suis praeiudicium fieri permitteret, instrumento, (a) *Dat. in Albaregali, in vigilia circumcisionis domini, anno eiusdem MCCCCXXXVII.* Nondum Eugenio Sigismundi mors innotuit, quum ad episcopum Quinqueecclesiensem scripsit, (b) vt ad intercessionem Sigismundi matrimonium inter Ioannem Koroghium et Annam Marothiam ratum, non consummatum, dissolueret, *XIV. kal. Ian.* (c)

A. C. 1438. *Alb.* 1. *Ind.* 1. *P.* 13. *A.*

CLXXXVI. Albertus Austriacus tam multis magnisque virtutum ornamentis instructus erat, vt in eumdem, non ambientem, tres eodem hoc anno coronae conuolauerint. Primam in Hungaria, prima die huius anni suscepit, vt Turotzius in haec verba refert: (d) *Albertus — prima noui tunc subsequentis die anni, dominicae scilicet circumcisionis celebri in festo, domini autem MCCCCXXXVIII. anno, eadem, qua primi reges Hung. gloriae cum pompa feliciter exstitit coronatus.* Ille quidem prius Sigismundum fuisse tumulatum, deinde coronatum Albertum innuit; electione tamen Posonii 18. Decembris peracta, tantum iter Posonio Varadinum, inde rursus Albam antistites et optimates hibernis

(a) Ap. Pray Hier. P. I. p. 186. (b) Ap. Koller H. E. Q. T. III. p. 362. (c) Hist. Cr. T. XII. p. 818.—828. (d) Chron. P. IV. cap. 25.

ac breuiſſimis diebus emetiendo vix fuiſſent, vt iam Alberti coronationi kalendis Ianuariis intereſſe potuerint. Albertus, a pietate regnum auſpicatus, ſocrum ſuam, aliquot arcibus multatam, ne turbas excitare poſſet, in libertatem reſtituit, ac in ſingulos annos eius vſibus 12. millia numum aureorum addixit, vt Dlugoſſus perhibet. (*a*) Iuſtam igitur cauſſam non habuit in Poloniam migrandi, ſuasque querelas coram Wladislao depromendi; niſi forte, quod prius de nuptiis moliebatur, effectum dare voluiſſet. Palmius, neſcio, quibus vſus fontibus, ſcribit, (*b*) *non multo poſt a Polonis pariter regno eiectam, Regino-Hradecium in Bohemiam ſe recepiſſe, actaque prius poenitentia, XII. poſt anno, ſiue* 1451. *die* 2. *Febr. vitam clauſiſſe.* Poenitentia hac opus habuit, ſi, quemadmodum Aeneas Siluius ſcribit, (*c*) *infamis vita mulier* fuit. Albertus, in Budenſi regia plerumque commoratus, indidem diplomata dedit, et illud, quo comites Frangepanios ad caſtrum Zlun Zriniis reſtituendum compulit, (*d*) *ſecundo die feſti purificationis virginis glorioſae, anno dom. MCDXXXVIII.* et illud, quo Rozgonios de reſarciendis expenſis, a Poſonienſibus *nuperrime pro ſuſtentatione curiae regiae maieſtatis ac ſer. D. Barbarae reginae et puellarum eiusdem vsque ad haec tempora factis*, admonuit, (*e*) *in feſto Dorotheae V. et M. A. D. MCDXXXVIII.* Ibidem, aliorum regum more, poſt coronationem in eccleſiam Strigonienſem munificus, eidem *Dregel*, *Hidvég*, *Hunt*, *Palánk*, *Detkár* donauit, (*f*) *in*

(*a*) Libr. XII. col. 700. (*b*) Not. Hung. Ed. II. P. II. p. 204. (*c*) Hiſt. Frid. III. p. 43. (*d*) Ex MSS. Cornid. T. XI. (*e*) Indidem T. XII. (*f*) MSS. Heuenes. Tom. R. p. 172.

in festo S. Valentini M. A. D. 1438. Praeterea vadum *in Visalu* 25. *Febr.* varias denique praerogatiuas *fer. V. prox. post festum B. Gregorii papae*, locis donatis concessit. (*a*)

CLXXXVII. Dum Albertus, omnium consensione sacram Hungariae coronam adeptus, in omnes promiscue beneficia sua Budae spargebat; electores imperii, Francofurti sacro verni ieiunii tempore congregati, concordibus eum suffragiis 18. *Martii* Romanorum regem elegerunt. (*b*) In electionem hanc nonnisi 29. *mensis Aprilis* consensit, caussamque dilati tamdiu consensus Dlugossus ita reddit: (*c*) *Iniussu baronum Vngariae, id enim illis spoponderat, acceptare imperium nefas putabat, attento, quod Sigismundus, Romanae rei prouisurus, Vngariam frequentius Turcorum direptioni exponebat. Postremo Vngari, victi precibus Friderici, ducis Austriae, assensum dedere.* Nondum Albertum 26. Maii Vienna discessisse, colligimus ex eius diplomate, Hungariae Iudaeis dato, (*d*) *Viennae, fer.* 2. *prox. post festum ascensionis domini, anno eiusdem* 1438. Rex Romanorum Aquisgrani 31. *Maii* coronatus, non pari felicitate Bohemiam obtinuit, diu multumque cum aemulo huius regni Casimiro, Poloniae regis germano, colluctatus, de quo Mellicense chronicon: (*e*) *Eligitur*, inquit, *a paucis et haereticis eiusdem regni, dux Casimerii, frater regis Poloniae: suscitantur lites: Slesia vastatur huius occasione per regem Poloniae: fiunt et magna damna in Polonia per regem Albertum: vallatur ci-*

 uitas

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 828.—839. (*b*) Chr. Mellic. ap. H. Pez Tom. I. col. 257. (*c*) Libr. XII. col. 700. (*d*) Ap. Koprinai H. D. P. I. p. 463. (*e*) Ap. H. Pez T. I. col. 257.

uitas montis — Thabor per praefatum regem Albertum, quae fuit munita Polonis: prosternuntur gladio multi Poloni et Bohemi per Fridericum, ducem Saxoniae, circa 5000. in recessu ab obsidione montis Thabor. Turotzius caussam obsidionis montis Thabor solutae hanc reddit: (a) *Quum rex Albertus solam famem hosti inimicam aduertit; tanto populo escam demere, et vias, opem victualium ferentes, illis se recludere non posse arbitratus; dissolutis castris, hosti cessit.* Dlugossus autem, (b) *quod vir natura iustus et benignus fuerit, et praecipua cura intentus, ne sanguis Christianus effunderetur.* Belli deinde, cum Alberto suscepti, Polonos poenituisse, pacemque per oratores petiisse, tradit. (c) Sed tractatio pacis semel ac iterum irrita fuit, Alberto praematura morte sublato, cuius filiam Elisabetham subinde Casimirus, nunc aemulus; Hungariam Wladislaus, frater eius obtinuit. Albertus, teste Bartosio, (d) 13. *Iunii* Pragam ingressus, 29. *mensis eiusdem* coronatus, *die* 3. *mensis Augusti* contra Polonos profectus, 20. *Septembris*, obsidione soluta, Pragam rediuit. Deinde Wratislauiam inuisit, vt continuator Pulkauae scribit, (e) *et abinde in Austriam per Morauiam, et amplius in Bohemiam non fuit reuersus; abinde enim processit in Hungariam.* Habita ratione horum itinerum, in diplomate, quod Albertus Ladislao de Gara dedit, male videtur locus ita notatus: (f) *Datum Budae, in peruigilio natiuitatis B. Ioannis B. anno dom.* 1438. Triste fuit Alberto, Turcarum incursiones, absente se, factas in Transsiluaniam, audire, de qua Ducas loquitur;

(a) Chron. P. IV. cap. 26. (b) Libr. XII. col. 704. (c) Ibid. col. 711. (d) Ap. Dobn. Mon. P. I. p. 200. (e) Ibid. T. IV. p. 173. (f) Ap. Pray Prior. Aur. p. 27.

loquitur; (a) sed multo tristius, Budensium ciuium turbas, praesente se, commotas, videre: quas inter Hungaros et Germanos in multas caedes desiisse, Turotzius testatur. (b)

A. C. 1439. *Alb.* 2. *Ind.* 2. *P.* 5. *A.*

CLXXXVIII. Albertus, Wratislauiae diutius commoratus, illic festum epiphaniae hoc anno celebrauit: quumque pacem cum Polonis componere non potuisset; inducias cum iisdem pepigit. (c) Die 14 Februarii nondum illum inde discessisse, discimus ex litteris, in fauorem Ioannis Stockii, Scepusiensis praepositi, datis, (d) *Wratislauiae, in die S. Valentini M. anno dom.* 1439. Budam reuersus comitia statibus et ordinibus indixit, legesque partim nouas cum iis condidit, partim veteres instaurauit, articulis 39. comprehensas, e quibus agit (e) *Art. I.* „ De reformatione con„ suetudinum regni. *II.* Palatinus per regem et „ regnicolas eligatur. *III.* De stipendiatis et exer„ citu generali. *IV.* Nociuae consuetudines abo„ leantur. *V.* Externis officia non conferantur: „ et quod DD. praelati et barones homines foren„ ses non conferuent. *VI.* Prouentus regales solis „ incolis regni in arendam conferantur. *VII.* De „ lucro camerae, quinquagesima et marturinis. *VIII.* „ Praelati et barones duas dignitates tenere non „ possint. *IX.* De cambiis forensium mercatorum. „ *X.* Moneta non imputanda (*immutanda*). De „ cusione obulorum. *XI.* De extraneis monetis „ et

(a) Ap. Stritter T. III. p. 708. (b) Chron. P. IV. cap. 25. Hist. Cr. T. XII. p. 838.—858. (c) Dlugoss. L. XII. col. 711.—718. (d) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 59. (e) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 200.

„ et ſalibus. *XII.* Regina officiolatus ſolis incolis
„ regni conferat. *XIII.* Capti in bello ex hoſtibus
„ et manubiae militibus non adimantur. *XIV.*
„ Rex in defenſionibus metarum regni, conſilio
„ regnicolarum vtetur. *XV.* Rex poteſt absque
„ conſilio honores ſeculares incolis huius regni con-
„ ferre et auferre. *XVI.* Poſſeſſiones forenſibus
„ non conferantur; incolis etiam pro ſeruitiis et
„ non pecuniis donentur. *XVII.* De metis regni
„ Hung. et Auſtriae ac Morauiae. *XVIII.* Hoſpi-
„ talitas et victualium procuratio pro rege a re-
„ gnicolis an fieri debeat? *XIX.* Eccleſiaſticae per-
„ ſonae non taxentur; ſed exercituent. *XX.* De
„ maritationibus filiarum regis. *XXI.* Eccleſiaſti-
„ ca beneficia ſeculares non occupent. *XXII.* Rex
„ in Hungaria manebit. *XXIII.* Procuratores regii
„ et reginales, dum ſuarum maieſtatum cauſſae
„ tractantur, in ſede iudiciaria ſedere non poſſint.
„ *XXIV.* Quod regia et reginalis maieſtas, ratio-
„ ne indebitae recaptiuationis iurium poſſeſſionario-
„ rum, in aeſtimatione bonorum conuincantur:
„ et de impetratoribus iurium regalium. *XXV.*
„ Deſpotus et comes Ciliae officiolatus Hungaris
„ conferant. *XXVI.* Honores Hungaris, quibus
„ vult, rex confert. *XXVII.* Nobiles non capti-
„ uentur; niſi ſententia capitali conuincantur.
„ *XXVIII.* Nobiles decimas ſoluere non teneantur.
„ *XXIX.* In proclamata congregatione modus, in-
„ ſtitutus tempore Sigismundi imperatoris, per Al-
„ bertum regem reuocatus eſt. *XXX.* Potentiario-
„ rum nouorum actuum patrator perſonaliter coram
„ rege aut iudice ordinario ſtatim reſpondere te-
„ netur. *XXXI.* Concordandi libera facultas data
„ litigantibus. *XXXII.* Redemtio litterarum, fide
„ dignitatum eductio, tributa, falſae viae. *XXXIII.*

„ De processibus per exhibitiones litteralium instru-„ mentorum quis modus fuit olim institutus et ob-„ seruatus? *XXXIV.* Bina euocatione et trina „ forensi proclamatione praemissis, reus actori re-„ spondere tenetur. *XXXV.* Quid, si dixerit, in-„ strumenta apud manus alienas exsistere? *XXXVI.* „ Quid, si plures fuerint in caussam attracti; et „ quidam ex iis absentes fuerint? *XXXVII.* Quid, „ si omnes in exercitu fuerint? *XXXVIII.* De „ poenis, inter ecclesiasticos et seculares impositis. „ *XXXIX.* De funeribus interfectorum, quod ar-„ chiadiaconi nullam solutionem recipere valeant." *Datum Budae, feria VI. prox. ante festum S. Trinitatis* (29. Maii) *A. D. MCDXXXIX.* (*a*)

CLXXXIX. Albertus, perlatis confirmatisque tam salutaribus Hungariae legibus, quam hic defensionem omnibus regnicolis liberaliter addixit; eamdem Ioanni Stock, praeposito Scepusiensi, contra quosdam eius aduersarios impendit, datis ad Ioannem Perenium, magistrum tauernicorum, eius caussa litteris, (*b*) *Budae, in festo natiuitatis B. Ioannis B. A. D. MCDXXXIX.* Nec multo post ad Wladislaum, Poloniae regem, *prid. kal. Iul.* legatos misit, negotium pacis acturos, cuius ille studiosissimus erat, licet aduersus Polonos in Scepusiensi prouincia Stephanus Rozgonius feliciter decertauerit, ac Saffraneczium Polonum tribus praeliis profligauerit, vt ipse rex Albertus testatur, dum eius merita multis possessionibus remuneratur, (*c*) *in Wissegrad, feria III. prox. post festum visitationis B. M. V. gloriosae, A. D. MCDXXXIX.* Polonis

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 866.—900. (*b*) Ap. Wagn. Scep. P. II. p. 334. (*c*) Ex MSS. Cornidesianis.

nis virtute Rozgonii repreſſis, alius potentior hoſtis, Turca, Hungariae finibus imminebat, et caſtrum Szendrouiam, ad auſtralem Danubii ripam in Seruia ſitam, ad ictum deſtinabat. Albertus, Georgii deſpotae precibus inflexus, vt Amuratis conatibus occurreret, ſagum induit, exercitumque ſuum verſus Danubium celeriter promouit. Ex ipſis caſtris ad Ladislai Kende preces diploma dedit, (*a*) *in deſcenſu campeſtri prope vadum, Tydewryw vocatum, feria IV. prox. poſt feſtum natiuitatis B. M. V. glorioſae, A. D. MCDXXXIX.* quo pontis ad Vaskapu conſeruationem cum prouentibus eidem eiusque familiae contulit. Ad eumdem locum Turotzius, dum de hac expeditione loquitur, Albertum ita ſiſtit: (*b*) *Anno regis Alberti ſecundo, ingens oxuberauit fama:* „ quod Amurates, Turcorum „ caeſar, magnam ſuae gentis vim mouiſſet, re„ gnumque Hungariae inuadere conaretur.“ *Propter quod rex Albertus, ſui regni procerum celebrata congregatione, vna cum eis concluſit:* „ hoſtem „ non debere exſpectari regni ad penetralia; ſed „ eſſe illi in forti brachio obuiandum.“ *Commota igitur totius regni Hungariae militari virtute, magnum congregauit exercitum; et in loco, vulgari appellatione Tyddewrew vocato, ſua tentoria locauit. Caeſar vero Turcorum, regem in regni defenſionem ſufficientibus militum armorumque praeſidiis gaudere audiens, expugnato caſtro Zendrew, et omni paene Raſciae agro ſuae potentiae ſubiecto, dezpotoque, regni eiusdem domino, in Hungariam profugato, frameam et omne ſuum robur in Graecos conuertit.— — Hungari vero, ex longa campeſtralis hoſpitii mora taedio affecti; maxime quum multi ex illis ſanguinis*

(*a*) Indidem. (*b*) Chron. P. IV. cap. 27.

nis fluxu grauarentur; lupo, iuxta antiquam ipso-rum consuetudinem, proclamato, inuito rege, sparsim et confuse, relictis regiis castris, recedentes, abie-runt. Fugam igitur indicere, Hungaris idem erat, ac lupum proclamare, *Farkast kiáltani.* Solutorum vero castrorum vera caussa fuit dysenteria, per exercitum vulgata, qua correptus ipse rex fuerat. Hungaris igitur, hoc morbo debilitatis, satis erat, hostem ab inuadenda Hungaria prohibuisse; nec animus illis fuit, in Graeciam eumdem persequi. (*a*)

CXC. Szendrouiam Augusto mense Turcarum armis expugnatam fuisse, Bonfinius refert, ac Albertum, *ob ingentem aestum, quem in ea expeditione subiuerat, in profluuium alui perniciosamque dysenteriam concidisse. Morbi caussam*, subiicit, (*b*) *peponum arguunt fuisse edacitatem. Nam, dum praecordia cum gulae oblectamento refrigerare contendit; suae vitae tetendit insidias. Quamobrem quum aluus sisti non posset; praeuisa morte, vt in patria regione moreretur, Viennam versus iter cepit, venitque Strigonium; vbi prae languore aliquantisper immoratus est.* Octo diebus ante mortem illum adhuc Strigonii fuisse, liquet ex eius litteris, quibus Ladislao de Palotz et Stephano Pohárnok, oratoribus suis, in Poloniam missis, plenam agendi de pace facultatem dedit, (*c*) *Strigonii, sabbato post festum S. Galli* (17. Octobr.) *anno dom. MCDXXXIX.* Non multo post, extremis viribus collectis, teste Turotzio, (*d*) *quum in animo Viennam intrare haberet; suae minime parcens debilitati, versus Austriam conti-*

(*a*) Hist. Cr. T. XII. p. 900.—919. (*b*) Dec. III. Libr. IV. p. 440. (*c*) Ap. Dogiel, T. I. P. I. p. 154. (*d*) Chron. P. IV. cap. 27.

continuabat iter. Tandem, quum in villam Nesmel, in festo BB. Simonis et Iudae app. descendisset; inualescente aegritudine, postquam annum vnum et menses IX. diesque VIII. et XX. in Hungaria regnasset, MCCCCXXXIX. domini anno, ibidem villa in eadem, vita functus, in ecclesia Albaeregalis, suorum praedecessorum ad instar, vltimo sepulcri honore, regali in pompa exstitit tumulatus. Erat rex Albertus homo competentis proceritatis; faciei plus ad nigredinem, quam albedinem tendentis; mitium morum, et petitioni suorum flexibilis. Bartosius aliter locum obitus nominat: *De Budin*, inquit, (*a*) *veniens in Longdorff*, 7. *milliaria a Budin*, *super infirmitate, dicta czerwena nemocz* (vér-has) *aliquot septimanis prius decumbens, circa octauam S. Galli diem suum clausit extremum; cuius anima requiescat in sancta pace; quia fuit bonus, licet Teutonicus, audax et misericors.* Ceterum Istuanfius Longdorff a Nesmil non distinguit; quum ita scribit: (*b*) *E regione Nesmelii oppidi, a Germanis Longendorffii appellati, — eo in oppido Albertus, Rom. imp. ac Hung. rex, dum Turcis, Samandriam obsidentibus, bellum inferre vellet, profluuio ventris exspirasse traditur.* Diem obitus plerique 27. Octobris fuisse perhibent, qua die fortassis ante mediam noctem mortuum, Turotzius post mediam, adeoque 28. mensis eiusdem exspirasse credidit. Quum Albertus biennio non integro Hungariae praefuerit; vix vlla seu sacris, seu profanis in magistratibus mutatio facta fuit. Dum Elisabetha litteris publicis testatur, sacram Hung. coronam a Georgio de Bozyn cum omnibus clenodiis sibi consignatam fuisse, (*c*) testes nominat *Bene-*

(*a*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 204. (*b*) Libr. XXX. p. m. 438. (*c*) Ap. Pray Hier. T. I. p. 321.

Benedictum, episcopum ecclesiae Iaur. Deseu de Losontz, vaiuodam Transsiluanum; C. Stephanum de Báthor, iudicem curiae regiae cet. *Wissegradini, fer. II. prox. ante festum B. Martini E. et C. A.D. MCDXXXIX.* Eadem ad Lucouienses Morauos de morte sui mariti has litteras dedit: (*a*) „ Elisabeth, „ D. gr. regina Hung. Dalm. Croat. etc. heres re„ gni Boh. — Quum vestrae fidelitati ac omnibus „ notum esse sciamus, quod ius hereditarium et „ legitimae successionis nobis et pueris nostris in„ fallibiliter et plenarie competit; — confidimus, „ — non permittetis nobis et heredibus nostris ali„ quam inferri iniuriam. — Idcirco fidelitatem V. „ rogamus affectuose, vt ad hoc diligenter coope„ rari velitis, vt nullus actus nouus incipiatur per „ aliquam festinantiam. Dat. Budae, VII. die men„ sis Decembris, anno dom. MCDXXXIX." (*b*)

§. X.

WLADISLAVS I. REX XXXII.

Coepit A. C. 1440. *desiit A. C.* 1444.

A. C. 1440. *Wlad.* 1. *Ind.* 3. *P.* 27. *M.*

CXCI.

Wladislaus I. inter Poloniae reges hoc nomine III. natus erat patre Wladislao Iagellone, cui Heduigem, Ludouici I. Hungariae regis, filiam iuniorem, nuptam fuisse, iam alias diximus. Sed quia nec ex hac, anno 1399. defuncta, nec ex duabus aliis vxoribus

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 225. (*b*) Hist. Cr. T. XII. p. 920.—932.

vxoribus vllum heredem sustulit; quartam tandem, vt Dlugossus perhibet, (*a*) *Sonkam virginem, filiam Andreae, — ducis Kiouiensis, — transmutato nomine, Zophiam appellatam*, connubio sibi copulauit anno 1422. ex qua, (*b*) *filius illi primogenitus* — Wladislaus, *die mensis vltima Octobris, in vigilia SS. OO. Cracouiae natus est* anno 1424. Wladislao patri mortuo decennis successit anno 1434. nonnisi 15. annos natus, quum Albertus, Hung. rex, e viuis excessit. Post huius obitum proceribus Budae de regni statu deliberantibus, Elisabetha vidua, Hung. regina, coniunx illi cum corona Hungariae destinabatur, vt Dlugossus refert, (*c*) *ea conditione apposita, vt Elisabeth ducat in vxorem, non obstante, etiamsi filius ex ea*, iam ex Alberto foeta, *nasceretur: de quo ordinatur:* „ vt patrimonio suo, „ ducatu Austriae et regno Bohemiae, si annos „ adolescentiae transcenderet, sit contentus: " *qua conditione tradita, nuncii, ad regem Poloniae ituri, tunc et designantur, et designati mittuntur.* Hae tamen nuptiae numquam coaluerunt; quod Elisabetha, nato Ladislao Postumo, pacta dissoluerit: cuius subinde filiam Elisabetham, Casimirus, Wladislai huius frater, matrimonio sibi iunxit, ac ex ea Wladislaum II. Hung. regem, suscepit. Interim Elisabetha, vacante dignitate regia, regnum administrauit, regiamque potestatem exercuit, vt quum Ciliensibus comitibus, e quibus ipsius mater Barbara fuit, Kosztanitzam donauit, (*d*) *Budae, in festo B. Paulli I. E. anno dom. MCDXL.* Quia hic Elisabetha se dicit *ad regiae, paternae scilicet sublimitatis solium, tamquam veram et legitimam regni huius*

(*a*) Libr. XI. col. 371. (*b*) Ibid. col. 378. (*c*) Libr. XII. col. 719. (*d*) Ap. Kollar. Hist. Dipl. p. 213.

ius heredem, euocatam; Kollarius miratur, *eam in catalogo regum nostrorum passim omitti.* Sed enim plures alias in catalogum regum nostrorum inserere deberemus; si forent omnes inserendae, quae regni heredes dicebantur. Certe Maria, Stephani V. filia, ius sibi hereditarium in Hungariam arrogauit, ac illud in Carolum Martellum, filium suum, transtulit; quin vel illam, vel istum Hungari regem vmquam agnouerint. Agnouerunt Iadrenses (*a*) et Elisabetham, Ludouici viduam, et Mariam ac Heduigem, eiusdem filias, *iure naturae et successorio ac ordine geniturae, seu debitae successionis, in dicto regno Hung. successisse;* non tamen vmquam agnouerunt Hungari, has omnes regibus accensendas fuisse; sed eam solum, quae regio more coronata fuit. Nec enim ad regiam appellationem sufficit, vel ius ad regnum habere, quod Heduigis quoque habuit, vel regnum administrare, quod et Elisabetha, Ludouici mater, et Ioannes Hunyadius administrauit. Mariam constat, et ab archiepiscopo Strigoniensi regio more coronatam, et ab Hungaris nomine regis appellatam fuisse; non item Elisabetham, quam Vesprimiensis dumtaxat episcopus coronauit. (*b*)

CXCII. Sed demus, Elisabetham aliquod ius ad regiam dignitatem ex aliqua, quae iactatur, promissione procerum accepisse; huic tamen illa iuri post Alberti mortem vltro renunciauit, quum ad constituendum et accersendum alium regem consensit, his verbis: (*c*) „— Ipsa sum, vt nostis, „heres

(*a*) Ap. Luc. L. V. C. II. p. 406. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 1.—19. (*c*) Ap. Turotz. Chron. P. IV. cap. 28.

„ heres regni; non ergo ad dirigendas regni habe-
„ nas meam sufficere arbitror virtutem. — Quaerite
„ igitur vobis principem, qui ad portandas tanti
„ regni curas femina magis idoneus sit. — " Hoc Elisabethae consensu habito, missi sunt in Poloniam legati, Ioannes episcopus Segniensis, Matko banus, Ioannes Perenius, Emericus Martzalius, Ladislaus Palotzius, quos Dlugossus asserit (a) *in diebus Septuagesimae* (24. Ian.) *venisse Cracouiam.* Wladislaus, audita horum legatione, longa deliberatione, non vsus, iam conditiones scribebat, quum nuncius ex Hungaria retulit, Elisabethae Ladislaum Postumum Comaromii 22. Febr. natum esse. Quia tamen oratores Hungariae docuerunt, etiam hoc casu reginam in alium regem consensisse; his conditionibus oblatum sibi regnum Wladislaus acceptauit: (b) *I.* „ Vt illud ab inuasione Turcorum tueatur
„ et defendat. *II.* Vt Elisabeth accipiat in vxorem,
„ et filias eius duas sponset dignis viris, dote con-
„ uenienti assignata; filium vero eius postumum
„ Ladislaum pro adeptione regni dumtaxat Bohe-
„ miae, dum adoleuerit, omnibus modis adiu-
„ uet. *III.* Vt filii Wladislai regis, quos ex Elisa-
„ beth susceperit, regni Vngariae sint heredes, qui-
„ bus non exstantibus, Wladislao mortuo, filius
„ Alberti, postumus Ladislaus, in regnum Vng. suc-
„ cedat." Ignorauit, vel dissimulauit Dlugossus alias oblati regni conditiones de discutiendis in Russiam et Podoliam iuribus, de Scepusiensibus oppidis post coronationem *restituendis regno Hung. absque quauis pecuniarum, in quibus pignori obligata fuerunt, exactione;* quarum loco secundam et tertiam

ex

(a) Libr. XII. col. 720. (b) Ibid.

ex se commentus est, vt ostendunt tabulae (*a*) *Cracouiae*, 8. *die mensis Martii*, *anno dom.* 1440. confectae, 20. procerum Poloniae sigillis munitae. (*b*).

CXCIII. Atque hinc apparet, male Dlugossum, licet scribat, post acceptum de Ladislai Postumi natiuitate nuncium, in electionem Wladislaum consensisse; hunc tamen consensum ad dominicam II. quadr. seu 21. Febr. defigere. Nam Ladislaum 22. Febr. natum esse, testimoniis fide dignis constat. Turotzius nec natiuitatis Ladislai, nec consensus Wladislai die definito; prius tamen illum natum, quam consensisse hunc affirmat. (*c*) Quod ex ipsis oratorum Hungariae litteris, (*d*) *datis Cracouiae*, *nona die mensis Martii*, *anno dom.* 1440. certum est; quum illi testentur, electionem Wladislai *die hesterna*, seu VIII. Martii, peractam ac in templo Cracouiensi promulgatam fuisse. Nec vero Turotzii fides de consensu reginae sollicitari potest; quum eiusdem Elisabethae consensus hae laudatorum oratorum tabulae ter meminerint. Postquam autem Elisabetha, recens nati filii caritate victa, suum hunc consensum retractasset; Wladislaus veritus, ne Fridericus, 2. Febr. hoc anno Rom. rex electus, Ladislai Postumi, sibi proximo sanguine iuncti, partes tuendas susciperet; nouam illi dignitatem gratulatus, qua ratione regnum Hung. consequutus sit; litteris ad eum hoc anno datis explicuit, (*e*) *Cracouiae*, *XII. mensis Martii.* Quia vero hic ille scribit, *vacasse regnum Hungariae post obitum Alberti*; regiam dignitatem Elisabetham non

T 2 ha-

(*a*) Explic. Iur. Hung. p. 18. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 20.—30. (*c*) Chron. P. IV. cap. 28. (*d*) Ap. Dogiel. T. I. p. 53. (*e*) Ap. Pray Annal. P. II. p. 340.

habuiſſe, dubio procul indicat. Dlugoſſus refert, duos Hungariae legatos, Matkonem banum et Emericum Martzalium, ex Polonia reuerſos, in ſignum mutatae ſuae voluntatis ab Eliſabetha captos fuiſſe; (*a*) ſed *Wladislaum, P. R. nihil hac nouitate motum, expeditionem ſuam et tranſitum in regnum Hung. — maturaſſe; —* (*b*) *ſabbato in die S. Adalberti in Kiesmark perueniſſe.* — Simonem Rozgonium, Agrienſem epiſcopum, Eperieſino recepto, (*c*) *ad Wladislaum regem in Kesmark cum pluribus baronibus Vngariae veniſſe; — Duodecim diebus Wladislaum — manſionem ſuam in Kesmark continuaſſe; — quarta menſis Maii egreſſum* inde fuiſſe. Tum deſcripto minutim eius per Cibinium, Eperieſinum, Rozgonium itinere, ſubiicit, eumdem Simonem cum Hungaris et Polonis militibus ad Budam occupandam praemiſſum eſſe. Quod difficile non fuiſſe, Turotzius his verbis innuit: (*d*) *Eisdem in diebus Laurentius de Hederwára palatinus, antiqua regni de conſuetudine, Budenſe caſtrum conſeruabat, qui venienti nouo principi non minus obuiam exiuit, portisque caſtri eiusdem vltro patefactis, illum regalia ad atria, velut regem Hungariae, introduxit.* Id quidem ille ſequenti capite factum ait *feſto pentecoſtes*; ſed Dlugoſſus, qui dies et loca totius itineris accurate notat, veriſimilius aſſerit, Wladislaum *in vigilia pentecoſtes Agriam perueniſſe, — et dies feſtos pentecoſtes illic egiſſe.* (*e*)

CXCIV. Et certe, ſi feſto pentecoſtes Wladislaus iam Budae fuiſſet; vix Albae, loco tam vicino,

(*a*) Libr. XII. col. 723. (*b*) Ibid. col. 729. (*c*) Ibid. col. 731. (*d*) Chron. P. IV. cap. 28. (*e*) Hiſt. Cr. T. XIII. p. 30.—58.

no, Ladislai coronatio, hoc eodem die, peragi potuisset. Dlugossus igitur Turotzio melius tempora hunc in modum digessit: (*a*) *Ladislao R. P. in Agria agente, Elisabeth, Vng. regina, infantem suum Ladislaum, vix trimestrem* (quadrimestrem Turotzius male facit) *die dominico pentecostes in Albaregali, quae tunc per Nicolaum Fristaczki de Vlag* (Vjlak) *tenebatur, cum corona, per eam clamdestine ex Wissegrad recepta, per Dionysium card. et archiep. Strigonien. — coronari procurat, et inde in Iaurinum — se recepit. — Nouitas ipsa, ad Wladislaum R. P. in Agriam feria II. pentecostes perlata celeri nuncio, quamuis fuisset sibi et suis consiliariis Poloniae et Vng. molesta; non tamen illos ab incepto suo cauit itinere.* Wladislaus igitur, feria III. pentecostes Agria profectus, primum in Kompolt, alterum prandium in Hatuan sumsit: quumque feria V. pentec. versus Budam tenderet; Hederuarium palatinum cum duobus filiis et pluribus Hung. proceribus, nobilibus ac ciuibus Budensibus obuiam habuit. *Sabbato in vigilia SS. Trinitatis,* (*b*) — *intrat Budam, — agitque illic corporis Christi sollemnem diem.* Huc subinde venisse testatur, (*c*) Matthaeum Tallotzium, e vinculis elapsum; Nicolaum Vjlakium, Ioannem Perenium, Ladislaum Chehium, Ioannem Losontzium, Ioannem Hunyadium, Emericum Martzalium, Stephanum Rozgonium, Reinboldum Frangepanium, Pancratium de S. Nicolao, Michaelem Orszàg, Simonem Palotzium, Franciscum Chakium; Ioannem, archiep. Colocensem, episcopos Vesprimien. Quinqueeccles. Transsiluan. Zagrab. Nitrien. Sirmien. Vacien. Varad. Chanad. Simon Agr. et

(*a*) Libr. XII. col. 733. (*b*) Id. ibid. col. 734. (*c*) Ibid. col. 735.

et Ioannes Segnien. iam prius illic erant. Dionysius card. fide data, serius aduenit. *Venerant etiam*, inquit Turotzius, (*a*) *ad hanc congregationem, salui conductus sub praerogatiua, D. Dionysius card. et Ladislaus de Gara banus pluresque magnates, quos reginalis magis, quam noui regis dilectio trahebat.* Etiam Nicolaus Vjlakius, antea reginae partes sequutus, *quum Wladislai regis fauentium agmina crescere ac reginalem partem parui pendi vidit; a regina defecit.* Benedictum, Iaurinensem episcopum, Elisabetha blandis verbis et promissis circumuenit, vt Iaurinum sibi cederet. Ad quod recipiendum missi Hungari Polonique milites ex fuga comitem Ciliae retraxerunt. Vlricus hic fuit, non Fridericus, yt eum Dlugossus vocat, eiusque capti gloriam male Polonis vindicat, quam Wladislaus Simoni Rozgonio, litteris anno sequente datis, adscribit. (*b*)

CXCV. Tot proceres, Budae congregati, (*c*) decretum ediderunt, *ipso die SS. Petri et Paulli ap.* quo communi consensu Wladislaum in regem receperunt, ac Ladislai Postumi coronationem resciderunt. Affirmant etiam illi, *per obitum Alberti regnum Hung. vacasse;* testantur igitur, Elisabetham auctoritatem regiam non habuisse. Testantur idemtidem, illam ad euocandum Wladislaum consensisse; *secundum voluntatem reginae praetactae, et suam collaudationem et consensum, ipsi reginae et proli, quam tunc in vtero gestabat, ex ea, siue in sexu masculino, siue femineo generandae, sufficienter exstitisse prouisum.* Aeneas igitur Siluius, falso rumore deceptus, male scribit, (*d*) Elisabetham *eam legem adiecisse, vt, si*

(*a*) Chron. P. IV. cap. 30. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 58.—84. (*c*) Ap. Dogiel. T. I. p. 54. (*d*) Epist. LXXXI.

si marem interea pariat; nulla legationi vis insit. Verus igitur et legitimus Hungariae rex Wladislaus euasit, nihilque iam illi, nisi coronatio, defuit. Hac in 17. diem Iulii decreta, *postquam*, inquit Turotzius, (*a*) *rex Wladislaus castro Wissegradiensi potitus est; mox sacrae tentata sunt conseruatoria coronae, in quibus res quaesita dum non inuenitur; magna in regis Wladislai parte turbatio orta est.* Iam prius autem scripsit, (*b*) Elisabetham, dum post Ladislai coronationem Visegradum iuisset, *in repositione ipsius coronae barones, sibi circumstantes, fefellisse. Simulauit enim*, inquit, *se illam suum in locum reponere; feminea tamen quadam astutia eamdem surripiens, erga se occultauit, et per barones ipsos antiqua tanti thesauri conseruatoria, suis vacua conseruare solitis rebus, sigillare fecit.* Si verum est, quod Dlugossus scribit, (*c*) *arcam*, in qua diadema sacrum asseruabatur, dum Albam adducta fuisset, *temeratam et sigilla omnia, quibus munita erat, fracta* fuisse; non fraudem Elisabetha, sed violentiam et Ladislai de Gara conniuentiam ad hunc raptum adhibuit. Dlugossus subinde, quali corona, quali pompa Wladislaus fuerit inauguratus, prolixe describit; paucis Turotzius, *regem*, inquit, *eumdem corona, pro ornamento reliquiarum S. regis Stephani olim miro operis artificio praeparata, magno cum tripudio coronarunt.* Ipso coronationis die proceres Ladislao Postumo regiam dignitatem abrogarunt, et Wladislaum verum ac legitimum esse regem, publico diplomate declararunt. (*d*) Wladislaus quoque historicam seriem factorum prolixo diplomate complexus est, (*e*) *in Alba-*

 regali

(*a*) Chron. P. IV. cap. 31. (*b*) Ibid. cap. 29. (*c*) Libr. XII. col. 741. (*d*) Ibid. col. 744. (*e*) Ex autographo.

regali, in festo B. Eliae prophetae, (20. Iulii) *anno dom.* 1440. Quem 27. Iulii Budae iam fuisse, patet ex diplomate, quo stirpi Pethö quamdam domum Budae donat, (a) *ibidem Budae, feria IV. prox. post fest. B. Iacobi ap. an. dom.* 1440. Ibidem ademta Posoniensibus bona, quod Elisabetham receperint, Orszagiis contulit, *in festo ad vincula S. Petri ap.* (b)

CXCVI. Elisabetha, Posonii diutius manere non ausa, post Wladislai coronationem et communem plerorumque Hungarorum in eum consensum, ad Fridericum imper. se contulit. *Diuertit tandem*, inquit Turotzius, (c) *regina abhinc simul cum filio et corona ad Fridericum, Rom. regem et Stiriae ducem; frater enim puero erat* (Alberti II. pronepos ipse, Ladislaus abnepos) *et vtrumque, tum filium pro educatione, tum coronam pro conseruatione, illi dedit.* Tertio nonas Aug. nondum Posonio discesserat, quo litteris ibidem testata fuit, (d) *se pro bis mille et* 500. *florenis, quos a Friderico accepisset, coronam Hung. pignori dedisse.* — *Rursum quinque florenum millia mutuo accepta; et tabulae ad tollendam, quae tutoris caussa exorta erat, dissensionem confectae*, his conditionibus: (e) „Albertus tutoris nomen Friderico cederet: Elisabetha prouinciae ordines ab iurisiurandi religione, qua se Alberto prius obstrinxerant, solutos, litteris significaret: hi contra nouum Friderico sacramentum dicant: Fridericus vicissim re consilioque reginam iuuet: — eius dos salua ac integra esset: „Ladi-

(a) Ex MSS. Cornid. (b) Hist. Cr. T. XIII. p. 84.—104. (c) Chron. P. IV. cap. 29. (d) Ap. Prey Ann. P. II. p. 349. (e) Ibid. p. 350.

„ Ladislao infanti 5000. florenum — consignentur." *Elisabetha per litteras seorsim 23.* Aug. *scriptas de 5000. flor. conceptis verbis fidem fecit, expungendique nominis rationes rursus in regni coronam reiecit. — Nouem iterum aureorum numum millia, IX. kal. Dec. ab Friderico petiit accepitque. His IV. non. Dec. duo eiusdem aeris millia adiecta.* Rursus anno sequenti V. kal. Martii Sopronium 8000. aureorum Friderico pignori datum. Haec subinde duplo maiore summa, Mathia Coruino regnante, resarcientur. Inter ciuitates, Elisabethae partes amplexas, Dlugossus numerat (*a*) Cassouiam, Bartfam, Leutschouiam, Eperiesinum, Cremnicium, quas cum superiore Hungaria Ioannes de Giskra, cum Hussitis Bohemis in Hungariam euocatus et comes Sarosiensis creatus, contra Polonos tutabatur. Croatiam Ladislaus de Gara; Transdanubianas partes Vlricus Cileiensis in officio continebat. Huic Wladislaus Stephanum Banfium; Giskrae Nicolaum Perenyium opposuit. Contra Ladislaum de Gara Ioannem Hunyadium et Nicolaum Vjlakium cum exercitu misit, qui, hostibus ad Czikador fusis fugatisque, Turotzio teste, (*b*) *per regnum ferebantur, et quosque regnicolas regis Wladislai iugo obedire cogebant.* Spe melioris successus in Hungariam redux Elisabetha, clam cum Stephano Rozgonio de Posoniensi castro sibi dedendo transegit, (*c*) *Posonii in festo B. Lucae euang. anno dom.* 1440. Quem tamen, tamquam sibi fidelem, litteris, *in festo B. Elisabeth Budae datis*, Wladislaus dilaudat. (*d*) Vlricus, ab eodem liber dimissus, *in festo B. Martini, E. et C. A. D.* 1440. litteras dedit *Strigonii*, cuius

(*a*) Libr. XII. col. 754. (*b*) Chron. P. IV. cap. 32. (*c*) Ex MSS. Cornides. (*d*) Indid.

A. C. 1441. *Wlad.* 2. *Ind.* 4. *P.* 16. *A.*

CXCVIII. Quum Hunyadius tanta virtute Turcarum incursiones a ditionibus Hungariae repellit ac arcet; Wladislaus, in otio delitescere turpe ratus, acceptis e Polonia nouis auxiliis, teste Dlugosso, (*a*) *Buda circa festum purificationis S. MARIAE in campum processit. — Nec prius ex campo discessit; donec omnes ciuitates et castra*, ab Australibus in Hungariae confiniis *occupata, in suam potestatem et obedientiam vi vel deditione redegit.* Vlricum, Ciliae comitem, anno superiore liberum ea conditione dimisit, (*b*) *vt nihil inimicum in Hungariam se moliturum reginae caussa promittat.* Ille tamen, promissorum immemor, collatis cum regina consiliis, Wladislai copias ad Sabariam dissipauit, ipsumque Banfium opera Vitouetzii ducis intercepit. Iniuriam hanc Wladislaus concoquere coactus, pacem iterum Cileiensibus obtulit cum hoc epilogo: (*c*) *Datum in descensu nostro campestri exercituali, prope oppidum Sabariae, feria V. prox. post festum paschae domini, anno eiusdem MCDXLI.* Postquam Wladislaus inferiori Hungariae pacem vtcumque restituisset; ad superiores regni partes recuperandas curam omnem conuertit, et copiis, ad occupandam Cassouiam missis, Ioannem Czapekium Bohemum praefecit; sed is, obsidionem soluere coactus, non multo post etiam Kesmarkinum, proditione cuiusdam ciuis et cessatione Polonorum, amisit. (*d*) Rosnauiam tamen Poloni paucos intra dies receperunt, (*e*) *et omnes Bohemos, illic comprehen-*

(*a*) Libr. XII. col. 757. 759. (*b*) Ap. Pray Ann. P. II. p. 350. (*c*) Ibid. p. 352. (*d*) Dlug. L. XII. col. 761. (*e*) Ibid. col. 763.

prehendentes, obtruncarunt. Bohemos quidem, non tam Ladislai partes tuendi ſtudio, quam praedas agendi deſiderio, regnum hoc inuaſiſſe, patüit inde, quod Ladislao rege iam ab omnibus agnito, nondum illi Bohemiam ſuam repetierint, graſſarique deſierint. Haec inter Eliſabetha, quorumdam conſilio perſuaſa, filium et coronam a Friderico repetüit, (*a*) *Poſonii, fer. VI. poſt D. Franciſci, anno MCDXLI.* Sed enim Fridericus neque pinguem tutelam dimittere, neque coronam ſine pecunia reddere voluit. Vt autem Eliſabetha plerumque Poſonii ſe detinuit, vnde facilis in Auſtriam, ſiquid diſcriminis impenderet, receptus foret; ita Wladislaus vt plurimum Budae moras traxit, vnde facilius in omnem regni partem prouidentiam ſuam porrigere poſſet. Hinc ille litteras dedit, *die ſabbati prox. poſt feſtum S. Stanislai; in feſto aſcenſionis domini; in feſto natiuitatis B. Ioannis B.* Nona Sept. Georgio de Rozgon aliisque plenam agendi poteſtatem de pace cum Eliſabetha conceſſit; ſed nihil obtinuit ab illa, quae tunc Poſonienſe caſtrum obſedit. (*b*)

A. C. 1442. *Wlad.* 3. *Ind.* 5. *P.* 1. *A.*

CXCIX. Res profecto mira videri poteſt, eumdem illum Stephanum Rozgonium nunc ſtrenue Poſonienſem arcem aduerſus Eliſabetham propugnaſſe, qui ſecundum pactiones eidem illam anno ſuperiore circa feſtum S. Georgii dedere debuiſſet. Videtur igitur ille, facti poenitens, Wladislao rurſus adhaeſiſſe; nec tamen Eliſabetha ſpem arce potiundi

(*a*) Ap. Pray Ann. P. II. p. 357. (*b*) Hiſt. Cr. T. XIII. p. 148.—180.

tiundi propterea posuit, admotisque nouis machinis, obsidionem fortiter vrsit. Interim Wladislaus, a Stephano de Rozgon interpellatus, cum suis copiis accurrit; et parum absuit, quin ipsam ciuitatem occuparet, vt Dlugossus perhibet, (*a*) *ex qua Elisabeth regina, audito Wladislai regis aduentu, Viennam profugerat.* Soluta tamen obsidione, propter inopiam pabuli, vix Wladislaus Budam rediuit; quum illa quoque Posonium reuersa iam ibidem die 5. mensis Aprilis ad constantem fidem Petrum Zopa per litteras adhortabatur. Wladislaus, exactis Budae paschalibus feriis, suos Polonos, egregiis muneribus cumulatos, in patriam remisit, quos Agriae Telephus Bohemus, somno sopitos, inuasit; sed hi spoliis onustum persequuti, Hungaris adscitis, plerosque Bohemos interfecerunt; ipsum autem ducem captum Agriam reduxerunt. Simon, Agriensis episcopus, irruptionem hostium in suam vrbem vlturus, et ipse cum Hungaris et Polonis in Schemnicienses, Elisabethae partes amplexos, irruit, iisque feria V. pentecostes erasis, contra Ioannem Giskram copias suas promouit. Sed quum alter alterum aggredi non fuisset ausus; *post multos hinc inde labores, Simon, Agr. episcopus, Ioannem Iskra sibi conciliat; nec in amicum, sed in generum et affinem illum recepit, et neptem suam germanam, filiam Georgii de Wronow* (Rozgon) *sibi in vxorem desponsat. — Telephum et omnes Bohemos et Austrienses, ante Agriam captos, soluit: e regione quoque Vngari omnes per Iskram dimittuntur.* (*b*)

CC.

(*a*) Libr. XII. col. 764.—767. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 180.—190.

CC. Postquam praecipua haec vtriusque factionis capita hanc amicitiam iniuerunt; ad pacem inter Wladislaum et Elisabetham conciliandam via magis complanata fuit. In hunc praecipue finem Eugenius pontifex Iulianum cardinalem in Hungariam legatum destinauit, qui mense Iunio Budam profectus, ac Wladislaum ad pacem propensum expertus (*a*) *ad Elisabeth reginam in Iaurinum se contulit. — Ipsa vero — non minori affectione pacem accipere summopere expetebat, propter nimiam, qua premebatur, egestatem.* Tum etiam Wladislaus, a Iuliano persuasus, Iaurinum iuit, *vbi datis dextris inuicem, notitia contracta, — de pace laboratum est: — et tandem — pax ipsa, rege et regina vltro consentiente, aequis conditionibus fuit conclusa*, 25. Nouembris 1442. Quare locus et dies conuentus, quem Elisabetha *Posonii, fer. IV. prox. ante fest. S. Laurentii M. A. D. MCDXLII.* constituit in haec verba: (*b*) *Ad diem XIV. post festum natiuitatis B. M. V. proxime adfuturum absque dolo constituemur — in castro Strigoniensi*, vel immutatus fuit, vel tractatus pacis Strigonii quidem inchoatus, sed Iaurini fuit absolutus, vbi *die* 3. *mensis Oct.* Elisabetha litteras ad Bartfenses; Iulianus autem ad Stokium praepositum 2. *Decembris* dedit. (*c*) Nec multo post Elisabetha diem suum ibidem obiit, secundum chronicon Austriacum, (*d*) *feria IV. ante festum S. Thomae ap.* secundum Bartosium, (*e*) *in vigilia natiuitatis domini.* Turotzius nondum pacem plene coaluisse, quum regina seu 19. seu

20.

(*a*) Dlug. L. XII. col. 761.—770. (*b*) Ex MSS. Wagnerianis. (*c*) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 61. (*d*) Ap. H. Pez. T. I. col. 735. (*e*) Ap. Dobn. Mon. T. I. p. 206.

20. Decembris obiit, ita perhibet: (*a*) Iulianus *dum pro pace laborat; regis Wladislai et reginae Elisabeth cordibus non parum ad concordiam inclinatis, pace ipsa nondum composita, regina diem obiit.* (*b*)

CCI. Dum in Hungaria pacis negotium magnis animorum motibus agebatur; in Transsiluania bellum cum Turcis ab Ioanne Hunyadio, barbaris bis ingenti clade profligatis, prospere gerebatur. Amurates, clade suorum irritatus, quam idem Hunyadius ad Belgradum iis intulerat; sub initium anni huius *Mezetem* Chalcocondylae, (*c*) *Mezethbegum* Turotzio, (*d*) ad vastandam Transsiluaniam misit. Hunyadius, Alba cum paucis egressus, structas ad S. Emericum insidias aegre primum effugit, vbi Georgius Lépesius, Transsiluan. episcopus, occubuit, vt epitaphium testatur, 18. *Martii* 1442. Sed Hunyadius paullo post maioribus contractis viribus, et, quod ad ictum se destinatum ab exploratore didicisset, mutatis cum Kemenyio vestibus, armis et equo, magnam hostibus stragem intulit, caesoque Mezethbego, fugientes persequutus, Valachiam et Moldauiam, quae Turcis se subiecerat, Hungariae rursum restituit. His mense Martio patratis, mense Iulio, *quum caesar Turcorum Amrates* (*e*) *toties in suis actam stragem, tantamque suae gentis mortalitatem ac terras Moldauiae et Transalpinam illorumque dominos a se discessisse cogitabundus intra se saepius reuoluit; — octoginta suae gentis millia — coadunauit.* Hac multitudine Hunyadius minime territus, ad Vaskapu hostibus obuiam iuit, *et*

(*a*) Chron. P. IV. cap. 39. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 190.—208. (*c*) Ap. Stritter. T. III. p. 711. (*d*) Chron. P. IV. cap. 37. (*e*) Id. ibid. cap. 38.

et cunctis seculis memorabile — bellum commisit, et adeo feliciter confecit, vt, teste Ladislao Postumo, (*a*) *antiquis quibusque imperatorum triumphis non impar fuerit*. Territus his tantis cladibus Amurates, pacem Wladislao per suos legatos obtulit. (*b*)

A. C. 1443. *Wlad.* 4. *Ind.* 6. *P.* 21. *A.*

CCII. Wladislaus negata Turcis pace, qua vel Belgradum, vel annuum tributum Amurates sibi deposcebat, ipse bellum barbaris illaturus, nequid inimicum ab tergo relinqueretur, cum imperatore Friderico quum pacem non potuisset, inducias in biennium confecit. (*c*) His induciis Giscram inclusum non fuisse, patet inde, quod Agriense capitulum testetur, (*d*) *anno dom. MCDXLIII. circa festum assumtionis MARIAE, — Simonem de Rozgon episcopum — contra aemulos regni, videlicet Gyscram et alios Bohemos ad comitatum Scepusiensem — ascendisse*. Non magnam igitur ille rationem affinitatis, cum Rozgonio contractae, habuit, qui per oratores suos declarauit, se non esse tam vxorium, *vt propter feminam regem deserat*. Postquam in comitiis, Budae festo pentecostes, seu IX. Iunii, celebratis, bellum in Turcas communi consensu decretum fuisset; *ipse rex Wladislaus*, vt Turotzius scribit, (*e*) *tertio sui regni anno, grandi et sumtuoso egregiorum militum conflato exercitu, vna cum ipso D. Ioanne vaiuoda, pluribusque sui regni prin-*

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 371. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 213.—228. (*c*) Dlugossus L. XII. col. 775. Aen. Silu. Epist. 60. (*d*) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 35. (*e*) Chron. P. IV. cap. 40.

principibus, et Georgio, regni Rasciae dezpoto siue rege (is enim ad tunc sui principatus de dominio eiectus erat) Danubium transiens, peruenit in Rasciam: ibique regi Wladislao statiua figere castra, ac terras — ad interiores summum sui exercitus capitaneum, D. Ioannem de Hunyad vaiuodam, mittere placuit. Disiuncta igitur exercitus sui omni expeditione binas in partes, partem illam, quae armorum gestamine militarique virtute praestabat, ipsi domino vaiuodae assignauit. Quid Hunyadius illic egerit, ipse his litteris, ad Vilakium collegam datis, exposuit: (a) „— — Nos de mandato et licen„tia regiae maiestatis, electis XII. millibus equi„tum, et vestra simul nobiscum familia, relictis „castris penes fluuium Morua, ipsum fluuium trans„iuimus explorando, si forte alibi hostium late„rent copiae: dumque ad ciuitatem, Nissa voca„tam, venissemus; illam obtinuimus; et ablatis „primo praedis, eamdem succendimus: dum„que aliquantulum ibidem moraremur; ecce ap„paruit quidam princeps — Ezebeg, quem satis „leniter fregimus et fugauimus: quo fugato, ite„rum comparuit nouus basa, qui similiter fugatus „et confractus fuit: tertio comparuit Twrhanibegh, „quem similiter, sicut et alios, fugauimus. — Ve„rum, dum eos insequeremur, et in quamdam „ciuitatem pro copia aliquantulum pausaremus; „nunciatum nobis erat per exploratores nostros, „quod quidam alius magnus et validus exercitus „a latere sinistro veniret, et iter suum vsque ca„stra D. regis dirigeret: cui etiam exercitui omnes „isti fugati, quos supra nominauimus, iam con„iuncti erant. Quo intellecto, statim et sine mora

„versus

a) Ex MSS. Bibl. Quinqueeccl.

„ versus castra regia nos conuertimus: vbi, nobis
„ redeuntibus, conspeximus in planicie vnius cam-
„ pi magnam et terribilem hostium multitudinem;
„ ita quod aliquantulum in animo commoti fue-
„ ramus. Sed tandem, resumto animo, acies mo-
„ re bellico ordinauimus: et sine aliqua mora cum
„ eisdem conflictum habuimus, qui, virtute magna
„ diuina, per nostros et per vestros, debellati sunt,
„ sine magna offensione nostrorum et laesione. —
„ — Datum in descensu Ragali Scaronensi, — octa-
„ uo die OO. SS. anno dom. MCDXLIII. Iohannes
„ de Hwnyad, Waiu. Transsilu. “ (a)

CCIII. Si plures hiusmodi litteras nanciscere-mur; certiora de hoc bello promere possemus. Haec enim initia dumtaxat expeditionis erant, cui finis ante natiuitatis domini festum impositus non est. De ceteris praeliis ita Turotzius scribit: (b) *Quinque vicibus cum hoste, semper maiori in numero sibi occurrente, ipse D. vaiuoda atrocissima gessit bella; et semper victor euadens, dum iam summa triumphi cum gloria redeundo, rursus Rascianum attigisset agrum; — nunciatum est illi:* „ innumerabilem Tur-„ corum super ipsum venire multitudinem. “ *Caesar enim Amrates praedictus, tanta sui dominii depopulatione admodum exacerbatus, — totam regni sui militiae speciem, — exigendae vltionis gratia, conuenire mandarat: et hanc sui exercitus expeditionem bassae Natuliensi, affini suo, commiserat dirigendam. — Dum vero in tantum deuentum est, vt vterque hostis, nocturnae deditus quieti, illucescente aurora, mutuas tympanorum audiret resonantias;*

(a) Hist. Cr. T. XIII. p. 228—254. (b) Chron. P. IV. cap. 40.

pertimuit ipse D. Ioannes vaiuoda, ne hostis, declinans ab eo, regia irrueret super castra. Malens igitur impetus illius in se experiri, tantis belli ex laboribus fesso milite, vltro se illi obuiam dedit. — — Quare bellum per vtramque partem in multo vincendi desiderio committitur; non tamen aequa sorte pugnatum est. Nam ipse bassa et omnis ipsi commissa Turcorum multitudo mox in primo impetu congressus terga verterunt. — Hungari vero, hoc viso, multa cum seueritate persequebantur illos. — Plurima igitur ibidem millia paganorum (secundum aliquos 30. millia) *ceciderunt. Nam Hungaris captiuare illos fastidio erat. — Durauit haec persequutio, a vespertina hora incipiens, mediam vsque ad noctem. — Bassa ipse captus, ac in multa tubarum voce, noctis circa medium, in castra Hungarica, ad tentorium D. Ioannis vaiuodae deductus est. Sicque ipse D. vaiuoda, sex bellis praecipuis vna et eadem via felici exitu gestis, quinti mensis, postquam de Hungaria exierant* (Augusto mense) *reuolutione transacta, exercitum, ingenti hominum rerumue praeda onustum, regia ad castra incolumem reduxit.* Praius ait (*a*) *in medio victoriarum cursu Ioanni filium Mathiam Coruinum natum esse.* Sed quia mense Martio; medium victoriarum Dacicarum et Bulgaricarum est intelligendum. (*b*)

A. C. 1444. *Wlad.* 5. *Ind.* 7. *P.* 12. *A.*

CCIV. Si quinque mensibus exercitus absuit; is nonnisi sub initium anni huius redire potuit. Iuanichius hoc bellum durasse scribit, (*c*) *prope per sex*

(*a*) Ann. P. III. p. 13. (*b*) Hist. Crit. T. XIII. p. 255.—268. (*c*) Ap. Schwandt. T. II. p. 16.

sex menses, a medio Augusti vsque ad medium Februarii, vel paullo minus. Quia tamen Dlugossus vltimum cum Turcis praelium ad 24. et 25. Decembris defigit; (*a*) id non aliter conciliari potest, quam dicendo, regem Wladislaum, quiete necessaria quibusdam in locis interposita, nonnisi sub medium Febr. Budam reuersum esse. *Dum*, pergit ille, (*b*) *reges et principes orbis catholici comperissent, Wladislaum regem et incolumem, et victorem ex Turcorum bello Budam rediisse; vniuersi illum aut nunciis et legatis insignibus, aut epistolis dissertissimis excipiunt: — qui, magnificatis operibus suis, vt secundam expeditionem facere in Turcos non differat, quibus possunt precibus et persuasionibus deprecantur; offerentes, se et terra, et mari subsidia laturos.* Wladislaus igitur, comitiis *pro die S. Georgii* Budam indictis, censuit etiam Giscram aliosque Ladislai Postumi studiosos ad ea litteris euocandos, ne; dum foris bellum geritur; domi tumultus excitentur. *Despotus etiam Rasciae, Georgius, praesens aderat;* (*c*) *quoniam suam rem agi videbat. Venit et Ioannes Iskra cum suis capitaneis, — — qui —* „ nullam se conclusionem accepturum, *re-* „ *spondebat*, quae ius Ladislai pueri inficeret." *Itaque pacis sufferentiis bellum domesticum suspendi placuit, in quas Iskra ipse cum suis omnibus et ciuitatibus rebellibus vltro consensit. Erat et aliud ciuilis belli maximum fomentum Pancratius de S. Nicolao: qui licet partes Wladislai regis sequeretur; rapto tamen viuere assuetus, — comprehensus est. —* Hic, vinculis exemtus, amicitiam Ioannis de Hunyad ambiuit, et, mediatoribus adhibitis, obtinuit, tabulis

 bulis

(*a*) Libr. XII. col. 776. (*b*) Ibid. col. 780. (*c*) Ibid. col. 784.

bulis confectis, (a) *in Theomeoswár, secunda die festi B. Laurentii M. A. D. MCDXLIV.* Sub idem tempus, quo Hunyadius hanc amicitiam inibat, Wladislaus Georgium Castriotum, Scanderbegum a Turcis appellatum, in armorum societatem inuitauit, (b) *Budae, — tertio nonas Iulii, A. D. MCDXLIV.* De hac ille societate sibi gratulatus, ista promissa fecit: (c) „ Ad ea 15. millia militum, „ quae in Macedoniae finibus nuper Alybassam fugarunt, totidem adiicere in animo est: cum quibus, quamprimum integrum fuerit, ad vos iter „ arripiam. — Ex Croia, pridie non. sext. MCD„ XLIV. " (d)

CCV. Priusquam hae litterae, quibus tam validum aduersus Turcas auxilium addicebatur, Croia Budam perlatae fuissent; foedus cum Amurathe percussum est. *Conuentio siquidem*, inquit Dlugossus, (e) *fuit occulta pactione inter Georgium, despotum Rasciae, qui restitutionem castrorum et dominiorum suorum, per Turcos occupatorum, vehementer flagrabat; — et Ioannem Woieuodam, vt pace — his conditionibus:* „ vt despotus castra et terras suas recu„ peraret, " *composita*, Ioannes Woieuoda in omnia „ castra, ciuitates et villas, quae despotus in Vn„ garia obtinebat, succederet." Suspectam hanc narrationem facit, quod Hunyadius iis *castris, ciuitatibus et villis* numquam potitus fuerit, praeter castrum Vilàgosvàr, quod Georgius in praemium anni superioris victoriarum, et *quod anno in praesenti ipse Ioannes vaiuoda — similem magnum exercitum*

(a) Ex MSS. Cornidef. (b) Ap. Pray Annal. P. III. p. 15.
(c). Ibid. p. 20. (d) Hist. Cr. T. XIII. p. 268.—307.
(e) Libr. XII. col. 778.

citum et potentiam Hungarorum cum suis propriis expensis, puta 63. millibus flor. auri, — leuauerit pro defensione eiusdem regni Hung. Hunyadio cessit, datis in hanc rem litteris (*a*) *feria VI. post festum visitationis virginis gloriosae, anno domini* 1444. Non igitur hanc donationem despota Hunyadio fecit, vt pacem componat, sed vt bellum in Turcas moueat. Quum igitur haec occulta despotae cum vaiuoda collusio pacisque nundinatio fidem non mereatur; audiendus est potius Turotzius, qui rem hanc ita narrat: (*b*) *Ex his tot illustribus triumphis totque praeclaris victoriis id accessit, vt caesar ipse Turcorum, Amrates, tremefactus, missis caduceatoribus erga regem et D. vaiuodam, pro treugis instanter laborarit. Rex igitur Wladislaus sollemnem suorum magnatum consuetudinem (conuentionem) in ciuitate Zegediensi celebrari statuit: ad quam vndique multo regni nobili confluente, venerunt et a caesare missi vaiuodae Turcorum duo, ad componendas treugas praescriptas idonei. Conuentum est ergo* 10. *annorum de induciis, et ex parte regis bassa Natuliensis dimittitur. Caesar quoque Turcorum castrum Zenderew ceterasque cunctas Rasciani regni munitiones, quot et quas ante haec Georgio dezpoto demerat, eidem restituit. Et hae quidem induciae iuramentis firmatae exstitere.* Non tamen coram eucharistiae sacramento, quod a Turcis postulatum; sed ab Wladislao negatum fuisse, Callimachus perhibet. (*c*) Vt primum pacis tractatus ad Palaeologum, Graecorum imp. perlatus est; eam litteris, *die* 30. *Iulii* datis, dissuadere conatus, haec inter cetera scripsit ad Wladislaum: (*d*) „Ve-

V 4 „stro

(*a*) Ex MSS. Cornides. (*b*) Chron. P. IV. cap. 41. (*c*) Libr. III. p. m. 170. (*d*) Dlugoss. Libr. XII. col. 791.

„ ſtro nomine et ſingulari auctoritate et felicitate „ moti ſunt principes et populi Chriſtianorum: — „ Caramanus — magnam Aſiae orientalis partem ad- „ eptus: — claſſis optata iam ſtrictum (*Dardanel-* „ *las*) debet obſediſſe." Hanc claſſem Eugenius IV. PP. in Helleſpontum eo fine miſit, vt, occupatis litoribus, Amuratem, qui contra Caramanum in Aſiam exercitum traiecerat, Franciſcus Alberinus card. a reditu prohiberet. Poſtquam plures eiusmodi litteras a foederatis Wladislaus accepit, quibus rogabatur, (*a*) *vt virtutem praeſtet promiſſis: facile omnem Europam, — Turcorum caeſare in Natolia bellum — agente, recuperari poſſe;* pudor ipſum et Hunyadium ſubiit. (*b*)

CCVI. Wladislaum, ad diſſoluendum cum Turcis foedus ſuapte iam propenſum, Iulianus card. iis potiſſimum argumentis, quae Palaeologi litterae continebant, ad bellum, in comitiis Budenſibus decretum, contra Turcas gerendum, permouit, ad quod Wladislaus nouo iureiurando ſe cum proceribus obſtrinxit, (*c*) *in Szegedin, IV. die Aug. A. D. MCDXLIV.* Nec eſt credibile, Iulianum vel ſibi, vel Hungaris perſuadere ſeu potuiſſe, ſeu voluiſſe, quod Turotzius refert, (*d*) *promiſſam fidem infidelibus minime ſeruari debere.* Sapientiſſimus enim ille cardinalis, qui praeſes concilii Baſileenſis per 30. ſeſſiones fuit, ignorare non potuit, quod ipſum lumen naturae dictat. Melius igitur eius argumenta Callimachus ita proponit: (*e*) „ Tamdiu forſan „ liberum

(*a*) Ibid. col. 790. (*b*) Hiſt. Cr. T. XIII. p. 307.—324. (*c*) Ap. Dlugoſſ. L. XII. col. 793. (*d*) Chron. P. IV. cap. 42. (*e*) Libr. III. p. 175.

„ liberum regi fuerat, de foederibus et pace cum
„ Turcis agere; — quoad nulla externa ope adiu-
„ tus, priuato sui regni discrimine ac sumtu pu-
„ blicam Christianae rei salutem — tutatus est. —
„ Meminisse fidei debetis, quam Christianis, vo-
„ catis admissisque in partem belli, paullo prius,
„ quam Turcis, obstrinxisse vos constat. —" Licet igitur temere hosti fides danda non fuerit; quia tamen sociis prius de continuando bello, data fuit; haec minus, quam illa, violanda videbatur. Dlugossus scribit, Wladislaum (*a*) *circa* 20. *diem Septembris castra Szegedino mouisse*; copias ad Orsouam *tertia die Nouembris traduxisse*; hinc 6. *die Bidinium peruenisse*; castrisque quibusdam vi vel deditione captis 10. Nouembris ad Varnam fatale praelium commisisse. Quis credat, exercitum Szegedino 43. diebus Orsóuam, inde 7. diebus Varnam processisse? Sicut autem in itineris ratione, sic in praelii fortuna describenda Dlugossus saepius errat. Ingentem Turcis metum aduentu Christianorum incussum esse, et ille narrat, et Chalcocondylas affirmat. (*b*) Postquam autem Amurates, Caramano victo, classiariis vel elusis, vel corruptis victrices copias per Bosphorum Thraciae traduxisset, castrisque regiis ad Varnam admouisset; admodum cruentam illum victoriam retulisse, scriptores consentiunt; at in caussa cladis assignanda non omnes conueniunt. Qui verbosam Dlugossi narrationem legerit; (*c*) mirabitur, Wladislaum, apostemate non obstante, quod tamen, quo minus aciem instruere posset, obstitit, tam stupenda facinora patrare potuisse; mirabitur, Hungaris fuga dilapsis, Valachis,

praedae

(*a*) Libro XII. col. 798. (*b*) Ap. Stritter. T. III. p. 728.
(*c*) Libr. XII. col. 803.—812.

praedae tantum intentis, cum solis fere Polonis eumdem tantam Turcarum vim tamdiu sustinuisse; mirabitur et fortassis indignabitur, Ioannem Hunyadium, orbis iudicio heroem magnum, tamquam timidum, fugitiuum, regis desertorem traduci. Sed enim Laonicus, scriptor Graecus et synchronus, neutrique partium addictus, hac ignauia Hungaros et Hunyadium liberat, meritisque laudibus eosdem cumulat. (*a*)

CCVII. Ad refellendam igitur Dlugossi calumniam, veramque cladis caussam detegendam, iuuat Graecum hunc auctorem audire, qui, Varnensi praelio fuse descripto, de Hungaris ita loquitur: (*b*) *Pannones interim haud otio torpebant.— Ioannes Choniates* (Hunniades) — *proficiscebatur contra Asiae ducem. Plurimi Asiani, haud sustinentes Pannonum impetum; — fugam arripiebant, fugientesque persequebantur Pannones; tandemque dispersi, fugientibus, inhaerentes, Asiae exercitum terga dare coegerunt.—— Ioannes, quum fugasset Asianum exercitum, accedebat ad regem Wladislaum, eumque diligenter monebat:* „vt eo loci cum suis militibus „subsisteret; — donec, fuso — Europae exercitu, „victor reuerteretur.— " *Haec quum dixisset, confestim accingebatur, vt praelium committeret cum Europae exercitu.— Cecidit ibidem Carazies, Europae dux; Pannonico gladio transfixus. — Erant apud* Wladislaum *regem viri complures, qui inuidebant Ioanni Hunniadi, eiusque virtutem aegris ferebant animis. Videntes igitur, eum pulchre et decenter bellum administrare, et in fugam egisse Asiae exercitum*

(*a*) Hist. Cr. T. XIII. p. 324.—364. (*b*) Ap. Stritter. Mem. T. III. p. 733.

citum vniuersum, nec non generosissime dimicare contra Europae exercitum, — sic alloquuti sunt regem: „ O rex! quid hic consistimus et exspectamus Ioan„ nem, eique, quasi solus vir sit, permittimus „ hostes vincere? “ *Haec quum audisset rex adolescens; — quam citatissimo agmine contendit ad ianuas* (ianitsaros) *vbi Amurathes stabat. — Ibi equus, quo vehebatur Pannonum rex, securi feritur, et — corruit vna cum sessore. — Peregrini* (ianitsari) *victoria potiuntur, caputque Pannonum regis retulerunt ad Amuratem. — Pannones, quum cederent, regem suum quaeritabant: quum autem comperissent;* „ eum „ in acie cecidisse et obtruncatum esse, “ *in prae„ lium redeunt, volentes mortui corpus tollere; nec tamen Turcos vincere quiuerunt. Hic rumor vt deuenit ad Choniatem, et ad reliquos, qui hunc comitabantur, excesserunt praelio.* Haec plana candidaque hominis exteri narratio calumnias Polonorum satis superque conuellit. *Hunc igitur in modum,* inquit Turotzius, (*a*) *D. rex, Wladislaus, regum optimus, homo condecentis proceritatis, fusca facie, nigris crinibus, in armis strenuus, in suos beneuolus, morum honestate praeclarissimus, menteque et animo compositus, regni sui quarto* (4. fere mensibus superato) *domini autem MCDXLIV. anno, vitae pariter et regimini moestum finem dedit.* Vicesimum aetatis annum 10. diebus expleuerat; quum Turcici furoris victima cecidit 10. Nouembris 1444. Quo saluo, Turcis iam fugientibus, a Christianis victoria stetit. Quamuis enim sexies maior hostium exercitus fuerit; e 20. millibus Christianorum vix quinta pars periit. Praeter regem etiam Iulianus interiit; sed Iuanichio, licet synchrono, neutrius

(*a*) Chron. P. IV. cap. 42.

neutrius mortis genus certo cognitum fuit. (*a*) Wladislao regnante, fuit archiepiscopus *Strigon.* Dionysius de Széts card. *Coloc.* Ioannes; episc. *Agrien.* Simon de Rozgon, ibidem caesus; *Bosn.* Raphael Hertzeg; *Iaur.* Benedictus et Ioannes; *Nitrien.* Georgius; *Quinqueeccl.* Henricus; *Sirm.* Iacobus; *Trans.* Georgius de Lépes, caesus ad Sz. Imre 1442. deinde Stephanus; *Tsanad.* Petrus; *Vac.* Petrus; *Varad.* Ioannes, ad Varnam caesus; *Vesprim.* Mathias; *palatinus* Laurentius de Hederuára; *vaiuodae Trans.* Nicolaus de Vilak et Ioannes de Hunyad; *Banus* Matko de Tallotz; *iudices curiae*: Ladislaus Palótz 1440. Georgius de Rozgon; Stephanus de Bathor, ad Varnam cum vexillo regis caesus.

§. XI.

LADISLAVS V. REX XXXIII.

Coepit A. C. 1445. *desiit A. C.* 1457.

A. C. 1445. *Lad.* 1. *Ind.* 8. *P.* 28. *M.*

CCVIII.

Hungariam post cladem Varnensem pluribus bellis, et externis, et intestinis, inuolutam fuisse; donec Ladislaus Postumus, post interitum Wladislai rex a proceribus agnitus, patriae restitueretur, e Turotzio discimus, qui mala, bellum illud fatale consequuta, sic describit: (*b*) *Quamuis in huius discrimine belli, victoriae gloria apud caesarem Amuratem remanserit; multo tamen illam suorum sanguine*

(*a*) Ap. Schwandt. T. II. p. 18. (*b*) Chron. P. IV. cap. 43.

guine ablutam reportauit. — Huic rei sufficienti testimonio est, quod fugientes postmodum Hungaros sua ex gente persequutus est nemo. — Inter haec D. vaiuoda Ioannes, dum redeundo in partes peruenit Transalpinas; hostem vbi non timebat, hostis obuiauit illi. Nam Drakul, partium earumdem vaiuoda, — violentas in eum manus iniecit. — Tandem, quum ipse Drakul dominum vaiuodam in eumdem caussam captiuitatis nullam se habere praemeditatus est; paucos post dies multis eum muneribus, vt ipse sperabat, placatum regni Hungariae Transsiluanas traduci fecit in partes. Chalcocondylas tradit, (*a*) minis Hungarorum territum Draculam id fecisse. Hunyadio patriae reddito, mox Albam comitia sunt indicta, quod ex his Iuanichii, scriptoris synchroni, notis ad epistolam Hunyadianam, 18. Aprilis 1445. datam, apparet: (*b*) *Tunc, dum hae litterae scribebantur, Ioannes vaiuoda non erat gubernator generalis; sed istae partes, ex hac parte Ticiae, versus Varadinum, erant suae gubernationi commissae, in congregatione generali, quae in Albaregali anno dom.* 1445. *circa festum B. Dorotheae habita fuit.* Praeter haec, alia comitia rursus *ad octauas paschatis Pestinum* indicta fuisse, testantur Friderici litterae, quibus Kesmarkienses hortatur, (*c*) *quatenus pro manutenenda ac promouenda* Ladislai Postumi *iustitia suos oratores — ad eamdem diaetam Pestiensem velint transmittere. — Datum in ciuitate noua MCDXLV.* Postquam in his comitiis proceres et nobiles in Ladislaum Postumum consensissent; legatos ad Fridericum imp. destinarunt, quorum petitionem

---

(*a*) Ap. Stritter. Mem. T. III. p. 737. (*b*) Ap. Schwandt. T. II. p. 27. (*c*) Ex MSS. Cornidesianis.

tionem Aeneas Siluius ita refert: (*a*) „ Quia re-
„ gnum, in Pesto conueniens, Ladislaum, Alberti
„ filium, in regem delegit; oramus te, caesar,
„ hunc ad Albam regalem cum sancta corona no-
„ bis assignes. Nam et ibi coronare eum volu-
„ mus, et sibi, vt par est, homagia praestare.—
„ *Responsum est*: Qui coronatus sit, eum non am-
„ plius coronandum esse: — quod in regno puer
„ teneatur, non esse inuitum caesarem; quamuis
„ et alia regna eum respiciant." — *Quum, pluribus vtrimque tractatibus habitis, nulla concordia inueniri posset; Nicolaum* (Vilakium) *vaiuodam accersiri placuit.* — *Is ergo in celebritate D. Hieronymi Viennam ingressus est.* Isto praesente, caesar ad Hungarorum postulata respondit: „ Coronatio-
„ nem nouam, — vnctione omissa, pro pace et
„ vnione regni permissurum se fore; velle tamen
„ — securitatem dari, et puerum, et coronam
„ post haec sibi restitui, quos in Posonio — nutri-
„ re vellet; si nomine pueri, cuius est, arx sibi
„ consignaretur." — Responderunt oratores: —
„ Arx Posonii in potestate nostra non est; sed Al-
„ bamregalem caesari trademus. —" Quum neutra pars cedere vellet; *re infecta, Hungari discesserunt.* (*b*)

CCIX. Quum Vilakius 30. Septembris Viennam ingressus fuerit; haec legatio finem accepit, quum fere iam annus a caede Wladislai regis et clade Varnensi transactus fuisset. Cur vero tam sero Ladislaus et rex electus, et a Friderico repetitus fuerit; caussam in Laurentium de Hederuára palatinum

Dlugossus

(*a*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 42. (*c*) Hist. Cr. T. XIII. p. 384.—410.

Dlugossus ita reiicit: (*a*) *Laurentio* — „ viuere re-
„ gem, *constanter praedicante*, et nunc in Polonia
„ hospitem esse, nunc intra dies paucos venturum "
asserente; — — *placet in Poloniam mitti*: ne scilicet prius Ladislaus euocaretur, quam Wladislaus certo mortuus esse sciretur. Re cognita, quum euocationem Ladislai palatinus impedire non potuisset; post legatorum ex Austria reditum, ad alias artes conuersus, vt Aeneas Siluius scribit, (*b*) *missis literis ac nunciis*, *Ioanni* (de Hunyad) *indicat*: „ in-
„ sidias sibi apud Albam structas esse, Nicolaumque
„ velle in eum manus iniicere: quod si velit ca-
„ ptiuitatem euadere aut mortem; Albam ne pe-
„ tat, " *instruit*. *Ioannes*, *territus hoc nuncio*, *minime vlterius pergit*. *Accipit hoc Nicolaus* (Vilakius) *vocatisque proceribus*: „ Nimis multis, *inquit*,
„ fraudibus vtitur palatinus: sua est haec techna,
„ quod ad nos Ioannes venire timet: sed adibo ego
„ eum: nec timebo eum, qui me timet. — " *Atque sic Nicolaus cum paucis Ioannem accessit*, ac de palatini dolis edoctum Albam adduxit. Tertia haec erant huius anni comitia; sed in nullo horum Hunyadius Hungariae gubernator est constitutus; id enim anno sequenti factum esse, postea videbimus. Amplam tamen ille potestatem in partibus Transtibiscanis habuit, eaque paullo post vsus, in locum Ioannis episcopi, Varnensi clade hausti, Ioannem de Zredna, vulgo Vitezium, ecclesiae Varadiensi praeficiendum, Eugenio pontifici commendauit, (*c*) pluribus in eadem caussa datis ad alios epistolis, *XVIII. die mensis Aprilis*, *A. D. MCDXLV*. Quibus omnibus, compos voti factus, gra-
tias

(*a*) Libr. XIII. col. 4. (*b*) Epist. 63. (*c*) Ap. Schwandt. T. II. p. 22.

tias egit (*a*) *penultima die Decembris*, *A. D. MCD-XLV.* Ceterum ad bellum contra Turcas gerendum destinatus, exposito praelii Varnensis euentu sinistro, pontificis opem ad bellum istud maioribus animis prosequendum idemtidem implorauit. (*b*) Caussam cladis praecipuam fuisse scribit, quod promissa subsidia principes non miserint. *Inuitabant*, inquit, *nos*, *pennatis*, *vt aiunt*, *aduolare pedibus*; *cetera omnia itidem prouisa esse. Paruimus tandem, tanta sollicitati fiducia: mouimus castra: fines hostium transegimus: — Quo pacto, dum propriam domi neglex imus; male militia armati fuimus aliena.* (*c*)

A. C. 1446. *Lad.* 2. *Ind.* 9. *P.* 17. *A.*

CCX. Ioannes Hunyadius, de bello Turcis inferendo semper sollicitus, auxilia rursus apud pontificem sollicitauit, datis Debrecino litteris, (*d*) *XX. Febr. A. D. MCDXLVI.* Sed prius in comites Cileienses, quam in Turcas, arma vertere coactus, quod illi Zagrabiensis episcopatus ac prioratus Auranae castra bonaque per vim occupauerint, (*e*) *bene se gesserat*, vt Iuanichius notat, *in ista via*; *nam recuperato prioratu et castris eiusdem*, *comites Ciliae condescenderunt ad satis honestas conditiones pacis.* Hic auctor synchronus ait, hanc expeditionem susceptam fuisse duobus mensibus ante comitia, quibus Hunyadius gubernator electus est, *ipso die pentecostes*, vt ille scribit. Quam electionem male Turotzius ad superiorem annum collocat. *Voluebatur*, inquit,

(*a*) Ibid. p. 28. (*b*) Ibid. p. 17. 20. (*c*) Hist. Cr. T. XIII. p. 410.—450. (*d*) Ap. Schwandt. T. II. p. 25. (*e*) Ibid. p. 35.

inquit, (*a*) *MCCCCXLV. domini annus, et festum pentecostes instabat; ipsaque conuentione multorum aduentu nobilium inundata, ac latas campi Rákos per planities vndique diffusa, omnes, qui aderant, voto vnanimi de regni commoditate, deque eo, quem interim, donec rex Ladislaus, filius regis Alberti, puellus suae aetatis quintum agens annum, mentem ad consilia manumque ad arma extendere valeret, eiusdem regni in protectorem eligerent, multa cum discretione tractabant. Pendebat totius communitatis ante oculos exactarum per ipsum D. Ioannem vaiuodam clara memoria rerum: et ideo multis hanc dignitatem in se descendere sperantibus, hanc eamdem solus ipse D. vaiuoda tulit. Electus est igitur omnium regni et regis negotia tangentium rerum in gubernatorem.* Id non superiore, sed hoc anno factum esse, codex iuris patrii his verbis testatur: *Ioannes Hunyadi gubernator electus anno* 1446. cuius auctoritate sequentes articuli 5. confirmati sunt: (*b*) „ *I.* Eligitur gubernator. *II.* Occupata „ bona per quoscumque, remittentur, et suis pos- „ sessoribus restituentur; castra, nuper erecta, mo- „ lientur. *III.* Honores et officiolatus resignentur. „ *IV.* Constitutiones huius conuentus obseruentur. „ *V.* Confoederationes seu conspirationes, in de- „ trimentum regni a quibusuis factae, dissoluan- „ tur et cessent.“ Quum Hunyadius limites suae potestatis definiri voluisset; SS. et OO. hanc declarationem fecerunt: (*c*) „ Gubernator habebit tan- „ tam auctoritatem, quam haberet regia maiestas, „ demto, quod donationes perpetuales possessio- „ num

(*a*) Chron. P. IV. cap. 44. (*b*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 205. (*c*) Ex MSS. Cornid.

„ nium facere non possit vltra limitationem infra „ scriptam (*nempe* 32. *sessionum*) — sed hec archi- „ episcopatus, episcopatus et abbatias maiores „ absque scitu, consensu et collaudatione confir- „ mationeque *praelatorum et baronum* conferre va- „ leat. — Datum in amplissima praelatorum, ba- „ ronum et regnicolarum congregatione generali, „ in campo Pestiensi celebrata, feria II. intra octa- „ uas pentecostes, A. D. MCDXLVI." Magna fuit virtus Ioannis Hunyadii, hominis noui, quod, tot aliis regni proceribus, antiquitate generis et gloria maiorum illustribus, communi suffragantium voto praelatus fuerit; praesertim, quum, teste Galeoto Martio, (a) *Latinae linguae expers* foret. Etsi vero honores et dignitates secundum art. 3. resignari debuerint; palatinus tamen confirmatus, iudex vero curiae Ladislaus de Palotz constitutus est, vt instrumenta docent. (b) Ne vero gubernatori sumtus necessarii deessent; SS. et OO. decreuerunt, *super singulas quinque portas vnum florenum; item super singulos quatuor nobiles, iobagionem non habentes, similiter vnum florenum auri* contribuendum. (c) *Dat. in oppido Pestiensi, in festo corporis Christi, anno eiusdem MCDXLVI.* (d)

CCXI. Hunyadius, tantam potestatem adeptus, sequenti mense Transsiluaniam repetiit, vt hae litterae docent: (e) „ Nos Ioannes de Hunyad, totius „ incliti regni Hung. gubernator, vobis, castella- „ nis castri nostri, Hunyad vocati, — firmissime „ prae-

(a) De D. et F. Math. R. cap. 13. (b) Ex MSS. Cornides. (c) Ex MSS. Bibl. Quinqueeccl. (d) Hist. Cr. T. XIII. p. 454.—482. (e) Ex MSS. Cornid.

„ praecipimus, quatenus — ſiluas nobilium domi- „ narum — Zayk — ſuccidere — nullatenus prae- „ ſumatis. — — Datum in Hunyad praedicta, in „ feſto B. Eliae proph. A. D. MCDXLVI.“ Cauſſa tam celeris reditus fuerit Dracula, Valachiae vaiuoda, contra quem illico gubernatorem electum arma ſumſiſſe, Turotzius ita refert: (a) *Placuit tandem poſt haec D. gubernatori a Drakul, vaiuoda Tranſalpino, ſuae captiuitatis exigere talionem. — Mota igitur armatae gentis contra eumdem copia non modica, ac alpibus transſcenſis, illius ſe ingeſſit in dominium, vniuerſoque eius principatus agro perdomito, eum captiuauit, et ſimul cum filio eius, in ordine geniturae maiori, decollari; quemdam vero alterum, partium earumdem vaiuodam, puta filium quondam Dan vaiuodae, lumine priuari fecit.* Maioris fuit molis bellum, contra Fridericum imp. ſuſceptum, cuius cauſſam Hung. proceres ad Eugenium PP. perſcripſerunt, (b) *XVIII. menſis Octobris A. D. MCDXLVI.* quod *electum ipſum regem cum corona ſublata regno ſuo et ſolio non reſtitueret, fineſque regni et ciuitates ceteraque occupata non reſignaret.* Cauſſam ſimul et euentum huius belli Turotzius hac narratione complectitur: (c) *Inter haec domini Hungariae pertriſte ferebant, quod ſacrum diadema, quo reges Hung. coronari ſolent, puerulumque regem, qui iure naturae illis dominari debebat, rex Rom. Fredericus detinebat. Timebant enim, ne puer, aliena enutritus in terra, a moribus et labio Hungarorum alter fieret. Conuentum eſt igitur, vt repeteretur, aut iretur in vltionem.*

(a) Chron. P. IV. cap. 44. (b) Ap. Schwandt. T. II. p. 38.
(c) Chron. P. IV. cap. 45.

Et dum rex Romanorum petitis non flectitur; ingentibus damnis pulsatur. Nam D. gubernator, secundo sui officii anno, pluribus armatorum agminibus compositis, omnem Carinthiae et Carneoliae agrum et magnam partem Stiriae, crudeli cum seueritate, peruagatus est.— Quum tandem ipsum Rom. regem suorum regnorum depopulatione moueri vidit minime; multarum rerum et captiuorum congerie onustus, felix rediit. Primus hic fuit officii gubernatoris annus, quem Turotzius *secundum* vocat, ratus, gubernatorem electum anno 1445. (*a*)

A. C. 1447. *Lad.* 3. *Ind.* 10. *P.* 9. *A.*

CCXII. Hunyadius, reductis e Stiria copiis, nullam sibi quietem indulsit, profectus in Daciam, vt Valachiam et Moldauiam partim ad ius sacrae coronae reduceret, partim in fide stabiliret. Vitezius illum sub initium anni huius *apud illas partes circumiuisse* perhibet, datis *ad Ioannem, cardinalem S. Angeli, legatum apostolicum, pro pace missum,* litteris, (*b*) *Varadini, XV. Ianuar A. D. MCDXLVII.* Quum Hunyadius earum partium cura distractus fuerit; nec ad tractandum pacis negotium ipse coram adesse potuerit; alios sui loco suffecit, quos Iuanichius ita memoriae prodidit: (*c*) *Septem ex potioribus erant deputati ex parte regni et D. gubernatoris, vt irent ad hunc tractatum pacis in Viennam, et ex nomine fuerunt isti:* „ D. Dionysius, archiep. Strigon. Ioannes Varad. Petrus Vaciensis cancellarius; Augustinus Iaur. episcopi; „ item magnifici Ladislaus de Gara, palatinus; „ Ladi-

(*a*) Hist. Cr. T. XIII. p. 482.—514. (*b*) Ap. Schwandt. T. II. p. 40. (*c*) Ibid. p. 41.

„ Ladislaus de Palotz, iudcx curiae regiae; Michael „ Orszag, thesaurarius: " *vbi et ego interfui.* Hi primo quoque tempore Budam se contulerunt, litteris indidem ad Fridericum imp. pro maiore viae securitate praestanda datis, (*a*) *VII. Febr. A. D. MCDXLVII.* Litteris illi salui commeatus acceptis, vt primum Viennam appulerunt; conditiones, sub quibus pacem cum Friderico sancire vellent, explicuerunt. Sed quum ille surdus ad eas ac obstinatus perdurauerit, nec vllis precibus ac rationibus, seu pontificis, seu Hungariae legatorum expugnari potuerit; illo Pragam profecto, hi Budam rediuerunt, Polonosque de caesaris animo hostili certiores reddiderunt, (*b*) *die penultima Febr. A. D. MCDXLVII.* Ex his eorum litteris intelligimus, *ad festum B. Gregorii* generalem conuentum Budam indictum fuisse, vnde regni proceres ad coercendam fugitiuorum in Transsiluania subditorum licentiam ad Nicolaum Vilakium et Emericum Pelsötzium, vaiuodas Transsiluanos, litteras dederunt, (*c*) *fer. III. prox. post dom. Ramis palmarum, A. D. MCDXLVII.* Huc quoque legatus pontificis accessit, pacem inter Fridericum et Hungaros conciliaturus; sed, vt Iuanichius testatur, oleum et operam perdidit. *Postquam*, inquit, (*d*) *ipse legatus recesserat a Buda, inconclusa pace; fuerunt mox post eum missi certi oratores pro eadem pace ad Posonium, quo etiam oratores regis Rom. conuenerant. Vbi etiam nihil conclusum fuit. — Volebat et quaerebat ipse legatus, ut, si pax perpetua fieri non potuit, saltem treugae inter partes firmarentur.* Et has subinde firmatas ac in biennium sancitas fuisse,

X 3 discimus

(*a*) Ibid. p. 42. (*b*) Ap. Dogiel T. I. P. I. p. 58. (*c*) Ex MSS. Cornid. (*d*) Ap. Schwandt. T. II. 56.

discimus et ex litteris Hungariae praelatorum ac procerum, datis *in Rackelspurg, fer. V. prox. post fest. pentecost. A. D. MCDXLVII.* et ex ipsius gubernatoris, (*a*) *dat. Budae, tertio die festi natiuitatis B. M. V.* Vel eadem comitia fuerunt ad Septembrem vsque producta, vel noua rursus indicta, quum Belius exhibeat prolixum diploma, quo Buda Hunyadio gubernatori consignatur, (*b*) *Budae fer. IV. prox. post fest. exaltationis S. Crucis, A. D. MCDXLVII.* cui nomina praelatorum, procerum, legatorum, e singulis fere comitatibus quaternorum, inseruntur. (*c*)

A. C. 1448. *Lad.* 4. *Ind.* 11. *P.* 24. *M.*

CCXIII. Hunyadius, bellum in Turcas meditatus, ne quid a tergo metuendum relinqueret, pacis cum Friderico sanciendae curam iterum resumsit. Nec enim induciae breues ad conficiendum tantum bellum sufficere poterant, quum et superiores Hungariae partes contra Bohemos latrocinantes tuendae fuerint, vt ex Ioannis Perenii litteris, ad Bartfenses datis, (*d*) *in Terebes, die dom. prox. post fest. ascensionis domini, anno eiusdem MCDXLVIII.* patet. Pacis igitur conciliandae caussa Hunyadius iterum Ioannem card. quem ad comitia Pestinensia diutius exspectauerat, interpellauit, litteris ad eum datis, (*e*) *Budae III. Iunii.* Prius autem, quam de pace hoc anno quicquam agi potuisset; Alphonsum, regem Arragonum, ad opem contra

(*a*) Ex MSS. Cornid. (*b*) Not. H. T. III. p. 207. (*c*) Hist. Cr. T. XIII. p. 514.—554. (*d*) Ap. Wagner Dipl. Saros. p. 64. (*e*) Ap. Schwandt. T. II. p. 44.

contra Turcas ferendam excitauit, (*a*) *Budae XXVIII. die mensis Maii*; qua die scripsit etiam ad eius filium Ferdinandum, futurum filii sui Mathiae socerum. Ad aulam quoque Romanam auxilia sollicitandi caussa Nicolaum, Cracouiensem decanum, qui post Wladislai regis interitum in Hungaria manserat, misit, qui Nicolao V. die 6. Martii superioris anni pontifici creato, nouam dignitatem gratulatus, *reportauerat*, inquit Iuanichius, (*b*) *multa pulchra verba et etiam quamdam promissionem de subsidio contra Turcas.* Quod sibi gratius fore, quam oblatum *principis* axioma, Hunyadius epistola sua declarauit, (*c*) *penultima die mensis Maii.* Promotis deinde castris, cur bellum in Turcas differri non possit, caussas ad pontificem perscripsit, (*d*) *in progressu exercituali apud vada Danubii, prope oppidum Kowinii, VIII. die mensis Septembr.* Illic aliquamdiu moratus, eumdem de proposito copias vltra promouendi rursus edocuit, (*e*) *Dat. in terra Rasciae, alias Seruiae, in ipso progressu exercituali, prope vadum Danubii, quod vulgo lapideum dicitur, die XVII. Septembr. A. D. MCDXLVIII.* Longiores nempe moras ad Kewium seu Kouinium trahendas censuit, vt maiores ad se copiae confluerent; nec iam *scuto* dumtaxat, vt ipse loquitur, sed *gladio* quoque contra hostes vteretur, bellumque non tantum repelleret, vt hactenus fecit, sed etiam, ad vlciscendam Varnensem cladem, barbaris inferret. (*f*)

(*a*) Ibid. p. 280. (*b*) Ibid. p. 50. (*c*) Ibid. p. 49. (*d*) Ibid. p. 50. (*e*) Ibid. p. 52. (*f*) Hist. Cr. T. XIII. p. 571.—601.

CCXIV. Turotzius bellum hoc cum Turcis gestum ait, (a) *quarto* gubernatoris anno, cuius initium ad annum 1445. male defixit. Hoc enim anno, non sequenti, qui quartus eius gubernationis erat, infelicem hanc expeditionem susceptam fuisse, non tantum plura scriptorum testimonia, sed ipsa quoque gubernatoris epistola docet, qua Nicolaum decanum, suum Romae legatum, de fortuna huius belli certiorem ita facit: (b) „— Ne varii rumoris, „ vt fit, te inuolucra teneant; — placuit, vt saltem reditu nostro — te vtcumque solaremur: „ *quo* inprimis certior fias, hac vice nos fortunae „ magis, quam animi possessione exutos: in ceteris, „ quae passi sumus, diuino, non humano flagello „ gloriam laudemque tribuimus Pridie penultimam „ Septembris ab Danubio, te vidente, castra mota fuere. Itum deinde et prouisum de omnibus. „ Demum tam celeriter ad hostem ventum est, „ vt prius perficere, quam sentire laborem videremur; laborem viae dicimus, non pugnae. Nam „ de constantia pugnae et ipsi hostiles oculi confiteri poterunt, vix vmquam pertinaciorem contulisse. Equidem XVII. die Octobris, coram facie hostium castra metati sumus: praelii caedisque principia inita demum altera, quae VI. feria fuit. Primo mane ordines educti, iustaque „ acie signa collata. Stetit eo die nostrorum inuictus animus, minus cedens, quo caedebatur, durius. Multa clara funera hinc inde edita. — Nemo vsque ad tenebras receptui cecinit: nox ipsa „ sequens furorem et arma diremit: vbi etsi parumper resederint acies; ingeniis tamen et machi-

„ nis

(a) Chron. P. IV. cap. 46. (b) Ap. Schwandt. T. II. 57.

„ nis nocte tota certatum eſt. Ex hinc ſabbati ſub-
„ ſequente die, iterum renouato nouo certamine,
„ tandem armigeri perduellesque noſtri (*f. Valachi*)
„ vtpote longo armorum pondere longiorique prae-
„ lii taedio, item vulneribus confecti atque obruti,
„ vapularunt, gloria et area belli penes hoſtes re-
„ manente: quam quidem nos armorum potius,
„ quam animorum defectu perdidimus; ipſi vero
„ multitudine et ſuper haec omnia peccatorum no-
„ ſtrorum merito acquiſiuerunt. — " Ex his Hu-
nyadii litteris ſua Turotzius, e ſuo quibusdam additis, depromſit, vt ipſae voces, inde mutuatae, ſatis ſuperque produnt. Ex iisdem aliisque Hunyadii litteris, modeſtiſſima ſenſa complexis, apparet, Aeneam Siluium, vanis rumuſculis deceptum, immerito Hunyadium traducere, velut inſolentem virium ſuarum aeſtimatorem. (*a*) Nam, teſte Laonico, (*b*) *cauſſa, quae Ioannem ad iſtud bellum traxerat, haec erat: quum vidiſſet in eo certamine, quod Varnae commiſſum erat, Turcos facile vinci potuiſſe, niſi obſtitiſſet Wladislai regis imprudentia; nec nunc quidem difficile et laborioſum dicebat, Turcos bello domare.* Primum quidem ille Bulgariam petebat; ſed, quum a Georgio deſpota proditus, Amuratem in campum merularum, ſeu rigó' mezeje cum exercitu tendere comperit; ipſe quoque ſuas copias eodem promouit, Raſciam populando, quod Georgius vires ſuas cum Hungaris iungere noluerit. Laonicus Hunyadianum exercitum 40. peditum, 7. equitum millibus; Turotzius nonniſi 24. millibus vniuerſe definit. *Amurates autem*, vt idem Laonicus ſcribit, *dicitur in armis habuiſſe quindecim mille*

(*a*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 70. (*b*) Ap. Stritter. T. III. p. 741.

le myriades hominum vel potius sine voce mille, 15. myriades, seu 150000. secundum Aeneam vero 200000. qui numerum etiam caesorum Hungarorum *ad* 30. *millia*; Turcorum *ad ter totidem* ex vanis rumusculis extendit. (*a*)

CCXV. Hunyadius, caesis suorum 8000. vt Bonfinius ex ipsis Amurathis ad Corinthios litteris refert, fugere coactus, vt Iuanichius ex ipso gubernatore didicit, (*b*) *captus etiam per Turcos, mirabiliter euasit: quia quum datus fuisset duobus ad custodiendum; vnum eorum interfecit, et alter mox fugit ab eo; et sic ibi liberatus fuit. Haec eodem ipso referente, agnouimus.* Maiorem igitur fidem haec merentur, quam quae Laonicus de Trybalis, Bonfinius de latronibus narrat. Turotzius quoque Turcos illos vocat, qui *manutenus*, inquit, (*c*) *insilierunt in eum, ipsumque suis spoliarunt vestimentis. Pendebat aurea crux D. gubernatoris in collo. Hanc alter Turcorum eorumdem quum rapere voluisset; mox dissensio inter illos orta est, mutuumque irruerunt in luctamen. Inter haec D. gubernator, ipsis luctantibus, vna ipsarum framearum arrepta, irruit in eos, in virtuteque sui brachii alterum eorum tam grauiter percussit, vt ille — exstinctus fuerit: quumque et alterum ferire vellet; ille fuga elapsus, eius euasit manus. Post haec D. gubernator — quemdam Rascianum obuium sibi habuit,* — quem, *vt sibi Nandoralbense vsque ad castrum conductum praeberet, rogatum effecit. — Ille mox id se facturum obtulit; non tamen locum ad optatum, vt promiserat; sed ad castrum Zenderew ipsum deduxit,* Postquam

(*a*) Hist. Cr. T. XIII. p. 602.—620. (*b*) Ap. Schwandt. T. II, p. 58. (*c*) Chron. P. IV. cap. 47.

Postquam autem Georgio dezpoto, D. gubernatorem sui castri intra portas esse, innotuit; — ingratum se illi exhibuit hospitem. Detineri enim illum iussit; et nec eum Hungariae dominis, pro illius liberatione sollicite laborantibus, restituit; donec idem D. gubernator filium suum, nomine Ladislaum, natu maiorem, erga manus illius sua in persona pro obside locauit. Quamuis autem ipse D. gubernator bello in hoc sinistra comitatus fuerit fortuna; tamen quia potius armorum, quam animorum defectu illum apud hostem victoriam reliquisse constabat; grato ergo animo Hung. proceres cuncti illius spectabant aduentum. Ipse Hunyadius in litteris supra laudatis ad Nicolaum decanum ita scribit: „ Ex Turcorum deinde mani-
„ bus erepti, apud despotum Rasciae ad hos vs-
„ que dies perstitimus, tanto videlicet tempore,
„ in vigilia festi natalis domini, ad hunc locum,
„ in medium DD. praelatorum et baronum ac pro-
„ cerum regni Hung. in eo ipso loco congrega-
„ torum, venire potuerimus: inter quos, auctore
„ domino, — rectam concordiam ac vnionem et
„ ceteras regni res integras reperimus; praesertim
„ vero animos ex hac suscepta clade irritatos ma-
„ gis, quam fractos. — Data Zegedini, die penul-
„ tima Dec. MCDXLVIII." (a)

A. C. 1449. *Lad.* 5. *Ind.* 12. *P.* 13. *A.*

CCXVI. Inuictus Hunyadii gubernatoris animus, postquam concordes domi Hungaros inuenisset; adeo non concidit, vt nouas ex clade vires accepisse videretur. Ad bellum in Turcas instaurandum se paratum esse, superioribus litteris, ad Nicolaum deca-

(a) Hist. Cr. T. XIII. p. 621.—641.

decanum datis, aperuit; quem animum nouis rursum litteris eidem significauit, (*a*) datis *in Temesvár, XXIV. Ian. A. D. MCDXLIX.* Postquam vero Nicolaus pontifex Hungaros ad obseruandam inter se concordiam, bellum cum Turcis declinandum, amicitiam cum rege Bosniae colendam paterne cohortatus fuisset; Hunyadius, proceribus in consilium adhibitis, inter alia respondit: (*b*) „—Otio „ paceque frui, B. P. nobis semper in voto fuit; „ verumtamen illo otio, quod patriae nostrae ve- „ rum otium parere posset. — Datum in congre- „ gatione nostra Pestiensi, XXIV. mensis Iunii, A. „ D. MCDXLIX. " Iidem SS. et OO. indidem eadem die litteras ad Nicolaum decanum de sollicitandis auxiliis contra Turcas et Hussitas dederunt. " „ Noueris, *inquiunt*, insurrexisse in partibus superio- „ ribus regni Bohemos latrones, qui inter alia, quae „ grauius ferimus, induxerunt secum et inducunt „ haeresim Hussitarum.—" Contra hos sequenti mense iam bellum fuisse destinatum, ex his gubernatoris ad eumdem decanum verbis apparet. (*c*) „ Geruntur hic apud nos aduersa non modo patriae, „ verum plus fidei nostrae. — Dat. Budae, VI. Iu- „ lii, A. D. MCDXLIX. " Et primum quidem circa festum assumtae virginis Hunyadius exercitum in illos misit; sed postquam hunc, vt Dlugossus scribit, (*d*) *feria VI. ante festum natiuitatis S. M. V. congressu campestri facto* Ioannes Giskra *contriuit; — his malis successibus Ioannes de Hunyad — commotus, collecto notabili exercitu, — contra Giskram processit.* Dum vtraque pars mutuis in se damnis saeuiret; ex Polonia missi legati, Ioannes Zagorzenszki

(*a*) Ap. Schwandt. T. II. p. 61. (*b*) Ibid. (*c*) Ibid. p. 66.
(*d*) Libr. XIII. col. 51.

zenſzki ac Ioannes Dlugoſch *circa Kremnitzam tam Ioanne de Hunyad, — quam Ioanne Giskra ſabbato in die S. Andreae ap. reperto, de pace verba faciunt; et ſex diebus continuis laborando, bellum atrox et crudele nimis intercipiunt, et nomine Caſimiri regis et regni Poloniae partes ad concordiam et pacem inducunt.* Etſi Dlugoſſus, qui haec ſcribit, conciliator pacis fuerit; male tamen tempus conſignauit. Hoc enim anno dies S. Andreae non in ſabbatum, ſed in dominicam diem, quam E. littera ſignabat, incidit. Octobri menſe Hunyadium bello hoc occupatum fuiſſe, Ioannes Vitezius, litteris ad pontificem datis, innuit in haec verba: (*a*) „ — D. „ gubernator nunc aduerſus fatos Huſſitas parata „ arma exercet. — Ex Varadino, XX. die menſis „ Octobris, A. D. MCDXLIX." (*b*)

A. C. 1450. *Lad.* 6. *Ind.* 13. *P.* 5. *A.*

CCXVII. In comitiis Peſtienſibus aliquam ſententiam contra Georgium deſpotam ab Hunyadio latam fuiſſe, diſcimus ex obſcuris ac barbarum in modum exaratis eiusdem litteris, quae ſic habent: (*c*) „ Egregio viro Ioanni Lewkes de Kálló — Geor„ gius, D. gr. regni Rachiae deſpotus et dominus „ Albaniae — — Quod autem dicitis nobis, quod „ pro nobis in ſede regnicolarum multum inſtetiſſe„ tis, et ſpecialiter pro ſententia illa, quam con„ tra nos D. gubernator coram dictis regnicolis „ emanari feciſſet; ſcimus enim, quod ſi laboraſſe„ tis, etiam vno verbo contradicere valuiſſetis. „ Quod autem dicitis, quod nobis expeditoria no-

„ ſtra

(*a*) Ap. Schwandt. T. II. p. 67. (*b*) Hiſt. Cr. T. XIII. p. 644.—671. (*c*) Ex MSS. Bibl. Quinqueeccl.

„ stra nihil iuuare valeat; pro eo, quia guberna-
„ tor in vinculis fecisset, quicquid fecisset: si
„ enim gubernator in vinculis fecit; ceteri ba-
„ rones regni Hungariae illud, quod fecerunt,
„ de emanatione expeditoriae, non in vinculis fece-
„ rant. — Script. in Zenderew, in festo B. Ioannis
„ B. A. D. MCDL." Tam ferocem Georgius epistolam scripturus non erat; si iam tunc opportunum contra Turcas auxilium gubernatoris ad Krussotzium expertus fuisset. Bellum igitur illud, quod Timon ad an. 1449. in epitome chronologica; sed in imagine nouae Hung. figit ad hunc an. 1450. differendum est ad annum 1454. vt ibi videbimus. Ad alterutrum annum, istum vel praeteritum, potius videtur esse collocandum, quod ita Turotzius refert: (*a*) *Post haec D. gubernator ingratitudinem dezpoti non minus, quam suae captiuitatis calamitatem ponderans, resumtis armis et milite, dezpoto ab eodem eius delicti condignas exigere poenas processit; inuectusque forti in manu eius dominii in agrum, magnas in illo edidit vastitates, omnibusque castris et dominiis illius, quae regni Hungariae ambitus cingebat, illum spoliauit.* Contra hanc ille sententiam videtur in excitato litterarum fragmento queri, pro qua ferenda Hunyadius vsus fuerit hoc argumento, quod, quum iniuste metus in vinculis incussus sibi fuerit, promissis illic factis non obligetur. Exstant plures gubernatoris [illegible]ius ad Nicolaum PP. epistolae, quibus et ius patronatus fortiter defendit, et, vt iubilaeum ad hoc regnum extenderetur, petiit ac obtinuit. (*b*)

CCXVIII.

(*a*) Chron. P. IV. cap. 47. (*b*) Ap. Schwandt. T. II. p. 70. —88. Hist. Cr. T. XIII. p. 672.—720.

CCXVIII. Grauissimum, quod in Pestano conuentu hoc anno maximis animorum motibus agebatur, negotium erat, vt Ladislaus Postumus, decimum aetatis annum iam egressus, e specioso Friderici carcere tandem liberaretur, moribusque Hungaricis imbuendus, in suum regnum reduceretur. Sed, quia nullis rationibus et legationibus durum caesaris animum expugnare Hungari potuerunt; pontificem, vt illum ad id auctoritate sua permoueret, interpellandum censuerunt. (a) „ Vt, *inquiunt*, vel nunc cedat iuri ac voto nostro, iustoque debito suo; vtque inprimis praefatum D. N. electum regem libertati dignitatique suae restituat, qui dono domini iam in eam aetatem propediem concessurus est, vt habere potius, quam sperare regnum mallet. — Datum in congregatione nostra Pestiensi, XV. die mensis Iunii, A. D. MCDL." Detulit et Nicolaus Hungarorum votis, et Fridericus pontificis admonitioni, Posonium Octobri mense missis oratoribus, qui quid illic egerint, Haselbachius, scriptor synchronus, ad hunc annum ita notat: (b) *Habita est diaeta cum Hungaris Posonii, ibique quum Hungari petiuissent sibi tradi regem Ladislaum ad regnum cum ipsius corona; reddi castra, quae Fridericus — per suos occupauit; ab eo pariter Ladislaum palatinum, vsque detentum, pristinae restitui libertati; tertio obtento, de primis grandis se ingessit disputatio. Resederunt tamen finaliter in hac sententia, quod Ladislaum regem rex Romanorum vel ad Viennam sub tutela constitueret.* Hanc praecipuam pacis conditionem ipse Hunyadius in suis litteris ita proposuit: (c) „ Ipse D. rex La-

„ dislaus

(a) Ap. Schwandt. T. II. p. 89. (b) Ap. H. Pez T. II. col. 368. (c) Ex MSS. Cornides. T. XI.

„ dislaus, vna cum corona, in et sub tutela, cu-
„ ra et potestate dicti D. nostri Friderici, Rom.
„ regis, vsque ad legitimam aetatem suam, vide-
„ licet decem et octo annorum aetatis suae com-
„ pletae permaneat.— " Datum Posonii, feria V. post festum XI. millium virginum, A. D. MCDL. (a)

A. C. 1451. *Lad.* 7. *Ind.* 14. *P.* 25. *A.*

CCXIX. Ladislaum palatinum libertati fuisse restitutum, ex illo diplomate patet, quo Hunyadius, opera huius palatini, Ioannis Vitezii, Nicolai Vilakii, Ladislai Palotzii Georgio despotae conciliatus, affinitatem cum eo contraxit, illius ex filia neptem Elisabetham, 10. annos natam, Vlrici Cileiensis et Catharinae filiam, filio suo Mathiae desponsauit, post duos annos traducendam, vt nuptiae perficiantur. (b) *Datum in Zenderew, sabbato prox. ante fest. B. Laurentii M. A. D. MCDLI.* Hunyadius cum Friderico Georgioque despota pace composita, cum Mahomete quoque, hoc anno Turcarum principe post Amuratem creato, triennales inducias confecit. (c) Liber igitur omni parte, plenas vires in Bohemos latrocinantes conuertere potuit, patriam hac peste liberaturus; nisi proditione quorumdam aemulorum expeditio corrupta fuisset. *Actum est enim*, inquit Turotzius, (d) *dom. incarn. MCCCCLI. anno, quum idem D. gubernator — munitionem, per — Ioannem Izkra ad murum claustri S. regis Stephani de prope ad oppidum Losontz erectam, obsidione cinxit, — illius custodes*

siti

(a) Hist. Cr. T. XIII. p. 720.—731. (b) Ap. Spies Archiu. P. I. p. 173. (c) Ap. Stritter T. III. p. 750. (d) Chron. P. IV. cap. 48.

stti et armis in tantum grauasset, quod iam de illius obtentione finis optatus speraretur; praefatus tandem Izkra, — proditorum motus persuasione, — suis — allaturus opem, venit secusque castra D. gubernatoris, ordinatis aciebus, stetit. Sed quid nequitiosa rebus in bellicis valeat proditio, tunc patuit, quum nondum manus pugnatorum consertae erant; et iam agmina proditorum D. gubernatoris de castris praecipitem proruperunt in fugam. Quare et ipse D. gubernator campum et castra deserere est coactus. Hanc quidem proditionem vir magnificus Stephanus de Pelsewcz, munitione sub praetacta fortuito ictu bombardae ad mortem vulneratus, proprio ore exstitit confessus. — Episcopus Agriensis, Ladislaus de Hederuára, quum esset claudus, euaderque nequiret, ibidem exstitit captiuatus. Sicque Ioannes Izkra — Agriense venit sub castrum. Quumque ibidem dictus Ladislaus episcopus idem castrum, propriae personae pro redemtione, manibus ipsius Ioannis Izkra assignare voluisset; capitanei eiusdem castri, quum essent regnicolae illarum partium, calamitatem, quae exinde sequi potuisset, vnius hominis praeferentes miseriae, ipsum Ioannem Izkra suo a proposito vacuum abire voluerunt. Post haec D. gubernator, nouis assumtis armis, gentibusque suis, quae partes tutabantur inferiores, — adductis, munitiones ipsius Ioannis Izkra ad claustrum de Saag, secus fluuium Ipol, et in montem Galchur, oppidaque Rosnawa et Scepsi — ad deditionem coegit. — Tandem ciuitatem Zoliensem, tantae perniciei nidum et altricem, adiens, eamdem vehementi exussit igne, castrique Zoliensis in contrarium magnam erigere faciens munitionem, armis militeque refertam relinquens, ipsum Ioannem Izkra armorum strepitu interim angustiauit, eumque ad pacis condimentum impulit.

pulit. Haec etiam Chalcocondylas ita confirmat: (*a*) *Collatis signis, pugnans cum Iscra, — victus est. Verum, quum denuo cum isto congrederetur, victoriam recepit.* (*b*)

A. C. 1452. *Lad.* 8. *Ind.* 15. *P.* 9. *A.*

CCXX. Tantarum curarum mole pressus gubernator, auide tempus exspectabat, quo munus inuidiosum deponere, regique Ladislao regni curam et administrationem transscribere posset. Sub exitum quidem anni 1450. Friderico promisit, se nihil acturum, vt Ladislaus ante 18. aetatis annum restituatur; sed sub ea conditione, vt in castrorum, bonorum et redituum, a regno distractorum, recuperatione, *auxilium, consilium et fauorem praestare* teneatur. Quod quia factum a Friderico non est; quum ille tenerum regem in Italiam cum periculo vitae raptare voluit; Austriacis ac Bohemis id impedire volentibus suum et ipse consensum dedit ac Paullum, Argensem episcopum, ad illum repetendum misit. Hic, quum a Friderico nihil impetrari potuisset, *cum Casparo, paedagogo regio, — nonnulla de tradendo rege clanculum machinatus est.* (*c*) Fuga regis primum Graecii, deinde Romae, demum Florentiae, sed irrito semper conatu, tentata fuit. Iter Romanum kal. Ian. cum Ladislao Fridericus iniuit, aduersus quem Hungari cum Austriacis et Bohemis foedus iniuerunt, (*d*) *V. die mensis Martii A. D. MCDLII.* Nusquam autem promiserunt, ad eripiendum Friderico Ladislaum, se

(*a*) Ap. Stritter T. II. p. 1062. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 760.—800. (*c*) Aen. Silu. Hist. Frid. p. 56. (*d*) Pray Ann. P. III. p. 89.

ſe bellum ſuſcepturos, priusquam tempus induciarum expleatur. Aeneas igitur immerito Hungaros idemtidem de fide violata poſtulat. Immo, dum Auſtriaci Neoſtadium ad liberandum Ladislaum obſederunt; nullum illis auxilium miſiſſe leguntur. Ipſo Siluio teſte, (a) *Hungari* tunc primum, quum intellexerunt, *ſuum regem eſſe Viennae; ad eum miſerunt Auguſtinum, epiſcopum Iaurinenſem: nec diu poſt Dionyſius, archiep. Strigon. S. R. E. card. Varad. Vacien. epiſcopi; Nicolaus vaiuoda, Ladislaus palatinus, ac filius Ioannis gubernatoris, et alii quam plures regni proceres et legati communitatum cum* 2000. *equitum eo veniunt: regi ſuo, non tamquam extra tutelam miſſo, ſed veluti durae captiuitatis ſolutis vinculis liberato, congratulantur: et, vt ad ſe proficiſcatur, multis precibus orant. — Quum viſitaſſent legati caeſaris — regem, ac verbis finitis, Auſtrales ad ſiniſtram, Hungari vero — ad dextram ſe retraxiſſent; — remanſiſſetque ſolus rex in medio apud quamdam feneſtram; paullulo meditatus, cuinam parti ſe iungeret, ad Hungaros denique declinauit, ac ſuapte ingenio:* „mihi, *inquit*, quia „ ſum Hungarus, apud vos eſt manendum.“ *Quod verbum, mira Hungarorum exceptum laetitia, mille in regnum epiſtolis diuulgatum eſt. Id ter Aeneae cardinalis narrauit; timens, ne ſatis prima alloquutione comprehenſus eſſet.* (b)

CCXXI. Nouarum diſcordiarum inter varios populos ſeminarium Ladislai libertas euaſit; quum vnaquaeque natio regem apud ſe habere voluit. Auſtriaci, bifariam diuiſi, pars Eizingerum, qui Bohemis

(a) Hiſt. Frid. III. p. 128. (b) Hiſt. Cr. T. XIII. p. 805. — 857.

hemis; pars Vlricum Cileiensem, qui Hungaris magis fauebat, sequebantur. *Per idem tempus*, inquit idem Aeneas, (*a*) *multa aduersus Ioannem gubernatorem dicere Hungari*: „ tyrannum et regni proditorem appellare, qui duos exercitus maximamque regni Turcis partem prodiderit, Polonumque regem neci obiecerit. — " *Mos hic populi est: semper venturus amatur: odiosum est imperium vetus.* Non fuisse communem hunc Hungarorum aduersus Hunyadium sensum, ex his Augustini, Iaurinensis episcopi verbis, ad pontificem prolatis, apparet: (*b*) „ Praefatum regnum Hungariae, externis Turcorum bellis miserabiliter deuastatum ac laceratum, — nisi magnanimi viri, Ioannis de Hunyad, — prouidentia ac vigilantia conseruatum foret; ad vltimum omnium miseriarum perductum crederetur. — " Superiorum praecipue partium Hungaros infestos sibi Hunyadius expertus fuerat, vt Turotzius his verbis indicat: (*c*) *D. Gubernator, postquam superiorum regni partium magnates proditionis insidias sibi tendere, — animaduertit; in earundem partium tutamen postmodum tepidior fuit.* Primum quidem ille filium duntaxat ad salutandum regem misit; subinde tamen ipse quoque Viennam profectus, vt iterum Turotzius scribit, (*d*) *onus sui officii, quod iam octo* (septem) *per annos felici gestamine direxerat, sponte exuit, et MCDLII. instante domini anno, regnum Hungariae, sanguinolentis suis suorumque laboribus, omni industria, sollicitudine et bellicis artibus praeseruatum, regi Ladislao restituit. Propter quod ipse rex Ladislaus ipsum D. gubernatorem, exactarum victoriarum*

(*a*) Hist. Frid. III. p. 320. (*b*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 103. (*c*) Chron. P. IV. cap. 49. (*d*) Ibid. cap. 50.

rum longas orbis per partes diffusis inclitis praeconiis praestantiumque operum laude dignis meritis erga se commendatum; alto in fano, regali quoque in habitu et maiestatis suae in throno sedens, assistentibus sibi quam pluribus ducibus, marchionibus ac regnorum suorum praelatis et baronibus, magna cum sollemnitate in comitem perpetuum Bistricensem sublimauit, et temporalem gubernationis dignitatem praedictam — in perpetuam commutauit hereditatem. Armorum quoque insigniis, puta coruo, gestamine annuli, de colore flauo, in clypeo depicto, quae ipse D. comes usque tunc gestauerat, alia clara insignia, rubeum scilicet leonem, coronam unguibus rapere volentem, albo in scuto descriptum, superaddidit. — Peractis tandem magno cum gaudio cunctis ipsius sublimationis ceremoniis, idem rex Ladislaus eumdem D. comitem, multis muneribus — honoratum, — remisit in Hungariam. (a)

A. C. 1453. *Lad.* 9. *Ind.* 1. *P.* 1. *A.*

CCXXII. Quicquid Turotzius de praemiis, Ladislai liberalitate Hunyadio collatis, narrauit; id veritate niti, discimus ex eius litteris, quas Posonium ad comitia profectus, ibidem dedit, (b) *feria V. prox. ante fest. purif. B. M. V. gloriosae, A. D. MCDLIII. regni Hung. XIII.* Quum eodem, quo natus est, anno Ladislaus sit coronatus; eosdem regiminis, quos natiuitatis, annos numerare solet. Quia tamen communi consensu procerum et nobilium nonnisi post Wladislai regis interitum est Hung. rex agnitus; hic annus nonnisi nonus

(a) Hist. Crit. T. XIII. p. 857.—862. (b) Ap. Spies Archiu. P. I. p. 177.

eius regni; regiae vero poteſtatis exercitae primus dici poteſt. In alio diplomate, cuius iſtic meminit, quicquid ab adoleſcentia prima Hunyadius egit; officia bellaque, quae geſſit, ordine recenſet. (*a*) Bonfinius quidem ait, (*b*) Hunyadium in munere gubernatoris ab Ladislao confirmatum eſſe; ſed aliud docet litterarum, quibus priuilegia Biſtricienſium confirmat, hic titulus: (*c*) „ Nos Ioannes de „ Hunyad, *pridem* regni Hung. gubernator, nunc „ vero perpetuus comes Biſtricienſis, et ſupremus „ capitaneus regiae maieſtatis in regno Hung. con„ ſtitutus. — Dat. in ciuitate praefata noſtra Biſtri„ cienſi, in feſto B. Mariae Magd. A. D. MCDLIII.“ Poſtquam Ladislaus Hunyadium meritis laudibus et praemiis cumulaſſet; ad alios etiam, de ſe bene meritos, regia munificentia recreandos conuerſus, poſtridie Rozgonios ampliſſimis fundis donauit. (*d*) *Dat. Poſonii, in feſto purif.* vt ſupra. Dum iſtic plures alios hunc in modum remuneratur; proceres, collatis conſiliis, quae pro communi ſalute regni totius opportuna cenſuerunt, eidem probanda firmandaque propoſuerunt, in 10. articulos digeſta, quorum *I.* eſt „ Quod rex iuramentum deponet. „ *II.* Status et ordines, in diaeta conſtituti, regi „ ad fidelitatem praeſtandam iurabunt. *III.* Rex „ extraneis dignitates non conferet. *IV.* Rex omni„ bus, ſuper ante actis exceſſibus, gratiam facit. „ *V.* Donationes Eliſabethae reginae et Ladislai, „ regis Poloniae, ad Varnam interfecti, caſſantur. „ *VI.* Caſtella, nouiter erecta, ſub poena notae „ infidelitatis, demoliantur. *VII.* Bona occupata, „ ſub

(*a*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 123. (*b*) Dec. III. p. m. 566. (*c*) Ap. Cornid. MSS. T. XI. (*d*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 130.

„ ſub poena notae infidelitatis, iis, quorum ſunt,
„ reſtituantur. *VIII.* Donationes gubernatoris, Ioannis Hunyadi, confirmantur. *IX.* Inſinuationes in ſuo vigore permaneant. *X.* Taxae nullae fiant. — Dat. Poſonii, in feſto B. Dorotheae V. et M. A. D. MCDLIII.“ (*a*)

CCXXIII. In his comitiis actum quoque fuit, qua ratione regnum a latronibus repurgari poſſet. Et Giscrae quidem Ladislaus, data pecunia, perſuaſit, vt Scepuſienſibus oppidis excederet. Sed mox nouus latro Bohemus, Axamith dictus, ibidem ſurrexit, nouaque praelia miſcuit. *Hic*, vt Aeneas ad pontificem ſcribit, (*b*) *poſtquam Giscram Scepuſio amotum audiuit, terramque milite vacuam agnouit; congregata non parua latronum manu, quaſi in eius locum ſuffectus, regionem inuaſit.* Contra hunc Ladislaus bellum gerendum Ladislao Hunyadio commiſit, vt patet ex eius litteris, ad Kesmarkienſes datis, (*c*) *Viennae fer. VI. prox. ante feſt. pentec. A. D. MCDLIII.* Non multo poſt Bartfenſibus, quod ipſi conſtanter adhaeſerint, noua quaedam inſignia contulit, (*d*) *Viennae fer. III. prox. poſt feſt. SS. Corporis Chriſti.* Sub idem tempus maximum Hungaria totaque reſp. Chriſtiana vulnus accepit; dum Conſtantinopolis, lumen illud orientis, quam Conſtantinus M. dedicauerat anno 330. ſub Conſtantino Palaeologo iugum Turcarum ſubiit 29. Maii hoc anno 1453. poſtquam Chriſtianis paruiſſet annis 1123. Quo maius periculum, euerſo Graecorum imperio, Hungaricis ditionibus imminebat; eo facilius conſenſit Ladislaus ad Eliſabetham,

 ſororem

(*a*) Hiſt.Cr. T. XIII. p. 865.—902. (*b*) Epiſt. 162. (*c*) Ap.Wagn. Scep. P. I. p. 65. (*d*) Id. Dipl. Saros. p. 113.

ſororem ſuam, Caſimiro, Poloniae regi, collocandam, vt hoc affinitatis vinculo firmior aduerſus Turcarum potentiam euaderet. Ladislaus igitur aſſignata dote 100. millium florenorum, tabulas in eam rem confecit, (a) *Viennae 12. die menſis Augusti, anno dom.* 1453. Ex felici hoc connubio, praeter 7. filias, nati ſunt 6. filii, quorum primus Wladislaus, hoc nomine ſecundus Hung. rex fuit. Ladislaum ex datis ab eo litteris videmus plerumque Viennae fuiſſe. Feſto tamen *exaltationis S. Crucis Poſonii* Nicolaum Vilakium remuneratus, caſtra Galgótz et Temetuény illi contulit. (b) Pragam ſubinde conceſſit et coronam Bohemiae ſequenti menſe ſuſcepit. Hic vero, quantum Huſſitas auerſatus fuerit, pluribus indiciis prodidit. Nam, vt Dubrauius ſcribit, (c) *in ipſo introitu vrbis magiſter Rokyczanus* (Huſſitarum primipilus) *cum ſuis, officii gratia, in conſpectum prodiit, regemque ſalutauit; ſed eum rex valde frigide reſalutauit. At, occurrente ex arce Pragenſi ſacerdotum coetu cum ſanctis reliquiis, ipſos ſacerdotes hilari ore affatus eſt; reliquias vero veneratus et oſculatus.* Coronatus a Dionyſio cardinali, metropolita Strigonienſi, 28. menſis Octobris, adduci numquam potuit, vt Dlugoſſus ait, (d) vt *haereticorum eccleſias, licet inſtanter rogatus, intraret.* Diutius illum ibi commoratum fuiſſe, patet ex litteris, ad Cibinienſes datis, (e) *Pragae, in feſto B. Stephani protomart. A. D. MCDLIII.* At Dionyſius card. eius reditu non exſpectato, Strigonium reuerſus, eccleſiam metropolitanam, magnis ſumtibus inſtauratam, ſollemniter

(a) Ap. Dogiel T. I. p. 156. (b) Ap. Kaprinai H. D. P. I. p. 368. (c) Libr. XXIX. p. 236. (d) Libr. XIII. col. 124. (e) Ex MSS. Cornideſianis.

lemniter consecrauit, *die dominico*, *immediate sequenti post fest. S. Martini E.* Stetit illa non consecrata 454. annis. (*a*)

A. C. 1454. *Lad.* 10. *Ind.* 2. *P.* 21. *A.*

CCXXIV. Ladislaus, iactura Constantinopolis admonitus, indictis Budam comitiis, cum SS. et OO. regni prouide consultauit, *qualiter*, vt ipse loquitur, (*b*) *huiusmodi ipsius imperatoris Turcarum inuasio praestolanda valeret tutius euitari.* Collatisque consiliis, hi 16. articuli communi consensu sunt conditi: *I.* „ Ioannes de Hunyad in generalem capitaneum eligitur. *II.* Vt homines ad „ cognoscendum de regiis prouentibus et eorum „ erogatione deputentur. *III.* Praelati ratione pro„ uentuum antiquo more militare tenentur: et „ quorum prouentus imminuti sunt; onus quoque „ eorum militiae minuatur. *IV.* Equites IV. pedi„ tes duo a portis centum conscribantur. Nobi„ les vnius sessionis singuli in bellum proficiscan„ tur. *V.* Magnates, barones, nobiles persona„ liter hac vice in bellum eant. Castellanus vnus „ in arce manere possit. *VI.* In maiorum nobi„ lium domibus pro prouisore vnus nobilis rema„ neat; sed pro se hominem mittere debeat. *VII.* „ Coloni, in pluribus comitatibus ad vnum nobi„ lem pertinentes, penes dominum suum exerci„ tuare possunt. *VIII.* Omnes in suis expensis mi„ litare sine damno aliorum tenentur: et poena in „ dissolutos milites statuta. *IX.* Regnum Sclauo„ niae et aliae prouinciae ac ciuitates regiae, ad

„ instar

(*a*) Hist. Cr. T. XIII. p. 903.—947. (*b*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 209.

„ inſtar aliorum regnicolarum regni Hung. milita-
„ re teneantur. *X.* Iudicia tempore belli ceſſent.
„ *XI.* Defectus equitis vnius aureis XV. peditis X.
„ compenſetur. — *XII.* Milites in ſolutionem pecu-
„ niariam non conuertantur, ſub poena capitis.
„ *XIII.* Nobiles, de bello clam ſe ſubducentes,
„ poſſeſſiones, ignobiles caput amittant. *XIV.*
„ Rex numquam talem inconſuetam exercituatio-
„ nem in poſterum ſe promulgaturum recipit. *XV.*
„ Comes et iudices nobilium ſuper omnibus acti-
„ bus potentiariis et poſſeſſionum occupationibus
„ iudicium et exſequutionem facere poſſint ſub
„ poena. *XVI.* Acceptis litteris generalis capita-
„ nei, omnes inſurgere debeant. —— Datum Bu-
„ dae, in feſto conuerſionis B. Paulli ap. A. D.
„ MCDLIV. " Perlatis his legibus, non illico Ladiſlaum Pragam rediuiſſe, docent eiusdem litterae, (*a*) *datae Quinqueeccleſiis feria II. prox. poſt feſtum Gregorii papae, A. D. MCDLIV.* quibus inueſtigari metae prioris Auranae iubentur. Quare quum chronicon Auſtriacum ait, (*b*) *Coronatus eſt Ladiſlaus — in regem Bohemorum in die Simonis et Iudae; — et manſit in Bohemia ad alterum dimidium annum;* aliter conciliari non poteſt, quam ſi dicamus, illum per ſesqui annum plerumque, non tamen ſemper, in Bohemia manſiſſe. Nam menſe Ianuario Martioque vidimus iam illum in Hungaria fuiſſe. Menſe tamen Aprili iam Pragae litteras pro Poſonienſibus dedit, (*c*) *in octauo feſti paſchatis;* item *kalendis Maii.* Plures indidem litteras etiam poſtea dedit. (*d*)

CCXXIV.

(*a*) MSS. Heuenes. T. II. (*b*) Ap. H. Pez. T. I. col. 738. (*c*) Ap. Bel. N. H. T. I. p. 156. 692. (*d*) Hiſt. Cr. T. XIII. p. 947.—963.

CCXXV. Quam sapientes in comitiis Budensibus leges ad bellum contra Turcas apparandum conditae fuerint, paullo post euentus docuit. Hunyadius enim, postquam numerosum exercitum ex norma hic praescripta conflasset; quam feliciter contra Mahometem, qui Rasciam ad ictum destinauerat, rem gesserit, ad Fridericum imp. ipse sic perscripsit: (a) „ — Saeuus ille Mahumet beg, — „ violata fide sua paganissima, ruptaque treuga et „ pace, quam cum ipso eo tempore, quo ser. prin- „ ceps — D. Ladislaus — sub educatione eiusdem „ V. serenitatis confouebatur et tenebatur, pro „ parte regni et ducatus eiusdem D. regis Ladislai „ per terminum Hung. Rasciae feceramus, — ho- „ stiliter irruit — in regnum Rasciae praefati D. „ N. R. Ladislai, de quo illustrem D. Georgium, „ eiusdem Rasciae despotum, eiecit et expulit, et „ plusquam 50. millia hominum — absportauit, „ — captaque exteriori ciuitate Zendero, — inte- „ riorem — obsidens circumuallauit. Nos autem, „ quantum cum Dei auxilio, in moderna absentia „ ipsius D. N. R. Ladislai, — facere potuimus, per- „ sonaliter cum gentibus nostris transiuimus contra „ ipsos Turcos et Mahumet beg: qui postquam ad- „ uentum nostrum illuc persensit; ab ipsa obsidio- „ ne se remouit, — dimisitque in ipsa Rascia quem- „ dam vaiuodam, nomine Fritzbeg, — cum 32. „ millibus paganorum infidelium circa partes Kru- „ solitz: cum quibus conflictum habuimus, et DEO „ nobis auxilium ferente, — ipsos debellauimus, „ ipsumque Fritzbeg capitaneum captiuauimus, „ cum aliis pluribus nobilibus Turcis. — Dat. in „ castro Nandor-Albensi, A. D. MCDLIV." Atque hoc

---

(a) Ap. Pray Annal. P. III. p. 145.

hoc illud est bellum, quod Turotzius ad Amuratis tempora refert, quibus Hunyadius, qui se hic C. Bistriciensem et Hung. capitaneum vocat, gubernator adhuc erat. *D. autem gubernator*, inquit, (*a*) *vt eo celerius hostem aderiri posset, cum cunctis suorum armatorum et Rascianae gentis agminibus, in transeundo totam noctem consumsit. — Quum nebula orient. radios per solis subleuata est in altum; mox ferratae resplenduerunt acies. Agmina vero Turcorum, quum easdem sibi propinquas esse, et inter easdem vexilla D. gubernatoris — ventilari viderunt; terga verterunt. — Quare caedes maxima sequuta est de illis. — Vbi et praefatus Fritzbeg vaiuoda, multis sibi commissae gentis cum potioribus, captiuitatis calamitate affecti — fuere. Quapropter ipse D. gubernator, victoria potitus, in reditu ciuitatem Bidiniensem — exuri fecit.* Locum certaminis Hunyadius *Krusolitz*, Turotzius *Crusowcz*; ducem captum vterque *Fritzbeg* vocat. (*b*)

A. C. 1455. *Lad.* 11. *Ind.* 3. *P.* 6. *A.*

CCXXVI. Quum Hunyadius, nunciata hac victoria, Fridericum ad expeditionem contra Turcas communibus Christianorum viribus suscipiendam adhortatus fuisset, eaque neglecta, barbaros mense Martio huius anni se moturos esse praedixisset; Fridericus oratores suos Francofurtum ad imperii principes misit, ad quos Aeneas Siluius inter alia dixit: (*c*) „— Quod si vos, Germani, hoc tempo„re Hungaros neglexeritis; non erit deinceps, cur „vos ex Gallis auxilia praestolemini; nec rursus „illi

(*a*) Chron. P. IV. cap. 50. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 963. —986. (*c*) Epist. CXXXI.

„ illi apud Hispanos opem inueniant. Atque ita „ fiet, vt cum singulis semper gentibus pugnaturi „ hostes, facile — orbis imperium assequantur. —" Germani, hac oratione permoti, bellum in Turcas decreuerunt, et *auxilia per legatos suos ad defensionem Hungariae — proxima aestate*, huius scilicet anni, promiserunt. Tantae tamen pollicitationes intra destinationem adhaeserunt. Quum enim hoc anno Neostadii de bello Turcico communibus Christianorum principum consiliis per legatos ageretur; multis excusationibus idem Aeneas vsus est, cur auxilia promissa hoc anno praestari non possent, *die XXIII. Aprilis MCDLV.* Hungaros, hic destitutos, in spem erexit nouus pontifex, Callistus III. Nicolao V. die VIII. Apr. hoc anno suffectus, qui, mox edito voto, Christianos, *etiam ad effusionem sanguinis proprii, si opus fuerit*, contra Turcas defendendi, totis viribus sacrum bellum promouit. Hungari, de tam incenso pontificis studio certiores redditi, maioribus animis de nouo contra Turcas apparatu bellico Iaurini deliberarunt, quem Ioannes Capistranus, e Samnitibus ortus, a Nicolao V. pro Christianis contra Turcas excitandis ad prouincias septemtrionales missus, ad nouum pontificem perscripsit *Iaurino, XXI. Iunii, MCDLV.* Hic rex addixit armatorum vicena millia, dena Hunyadius, si 100. millia habiturus esset, pollicitus, *intra tres menses tantum conflictum contra Turcum* se facturum, vt in Europa locum non sit habiturus. Scripserunt et antistites ac proceres ad eumdem pontificem, Turcam, audito, vanos fuisse Christianorum apparatus, *inuasisse de nouo Rasciae ducatum ac Nouagora potitum esse. Dat. Budae, XXI. Iulii MCDLV.* Hoc illud est, quod futurum Hunyadius et praeuidit, et praedixit. Huic tamen tanto heroi

roi plures insidias Vlricus Cileiensis struebat, quas ille feliciter semper eluserat. Atque hinc videntur ortae dissensiones inter regem et proceres, ad quas componendas Callistus pontifex Dionysium card. adhortatus est, (a) *anno MCDLV. kal. Sept. pont. an.* I. His dissensionibus caussam fortassis obtulit longior regis absentia regnique cura Hunyadio commissa, qui tantae potestatis erat, vt in laudatis litteris Ladislao de Gara palatino praepositus fuerit, ac de sale regio donationes facere potuerit. (b)

A. C. 1456. *Lad.* 12. *Ind.* 4. *P.* 28. *M.*

CCXXVII. Callistus, efficacius bellum in Turcas promoturus, Ioannem card. in Hungariam misit. Rex, responso pontifici dato, *Pragae, die VII. mensis Ianuarii, A. D. MCDLVI.* Viennam, inde non multo post in Hungariam se contulit, vt animos optimatum ad arma contra Turcas corripienda coram excitaret. Capistranus quoque Budam iter accelerauit, vt expeditionem contra Turcas praesentia sua promouere posset. Interea Mahometes Belgrado sensim appropinquabat. Quod vbi rex Ladislaus intellexit, cum Vlrico Cileiensi Buda specie venationis egressus, celeri fuga Viennam concessit, litteris ad dicatores Posonienses ex itinere datis (c) *Strigonii, die dom. prox. ante fest. B. Barnabae ap. A. D. MCDLVI.* Postquam ex Hungaria regem C. Vlricus abduxisset; Mahometes, expugnata Constantinopoli superbus, dixisse fertur: (d) „Vnus DEVS dominatur in caelis; compe-
„tens

(a) Ap. Rayn. ad an. 1455. (b) Hist. Cr. T. XIII. p. 986. —1025. (c) Ex MSS. Comides. T. XII. (d) Turocz. P. IV. cap. 55.

„ tens est, vt vnus tantum princeps dominetur „ terrae." Priusquam autem alias terras inuaderet; Belgradum, praecipuum suae destinationis impedimentum, ad ictum destinauit. Et iurauit, vt Taliacotius refert, „ se ad duos menses, capta „ Hungaria, Budae coenam habiturum." Id illum cum 400. millibus aggressum fuisse, Turotzius scribit, aliis dimidio minorem exercitum fuisse perhibentibus. *Multas praeterea*, pergit ille, *naues, marinarum nauium ad instar fabricatas, ipse caesar adduxerat: et his quidem Danubii et Saui flumina, secus idem castrum decurrentia, adeo munierat, vt ad ferendam castro eidem opem nauali officio vti valeret nemo. Ingenia quidem et machinas et tormenta tot et tanta in quantitate, qualia et quanta in nullius castri destructionem aliquando comparata fuisse, credi possunt, iuxta castrum Crusowcz mira agilitate conflata, — maximis cum laboribus adduxerat. — Tonabant ergo die nocteque crebrius excussae machinae, ac terribiles illarum tonitus vsque ad ciuitatem Zegediensem, et aliis circumquaque, plusquam ad Hungaricalia* 24. *milliaria audiebantur. — Ruebant tanto ex impulsu nobilium turrium culmina: dissipabantur parietes: et alta maenia — humo tenus sternebantur — Cunctas regni per partes tam acerbae tamque potentis obsidionis fama ferebatur; Hungariae tamen domini, quadam desidia, quasi graui somno laborantes, perituraе arci armorum auxilium ferebant minime. Adiit tandem hoc tremendum obsidionis genus vir innatae virtutis et militiae, D. C. Biztricensis* (Hunyadius) *modico ad decertandum cum tanto hoste stipatus milite. Confluunt Hungaricae plurimae per — Fr. Ioannem de Capistrano cruce signatae gentes: — et de partibus Polonicalibus cruciferi quasi* 300. *venere. Quapropter ipse D. comes*

mes — viam quaesiuit, qua hostium naues a decursu fluminum praedictorum remouere, obsidioneque laborantibus armorum praesidium ferre posset. Conquisitis tandem nauibus, illas militibus armatis et cruce-signata gente simul onerauit. — Tandem longum post belli laborem vicerunt Hungari. — D. vero comes, nauali in certamine gloriam victoriae adeptus, mox castrum adiit; et capitaneos illius, iam mente consternatos, praecipue Szilagyium, — *consolatus est.* „ Quid, *inquit*, territi estis? an solum nunc „ vidistis Turcos? Hi sunt illi, quos saepius fuga- „ uimus. " (*a*)

CCXXVIII. His Hunyadii verbis nouisque militum supplementis erecti sunt obsessorum animi, qui decem diebus, incredibili virtute, Turcarum omnes conatus eluserunt. Septem dies inter naualem victoriam et pugnam decretoriam intercesserunt, quibus Turcae diu noctuque machinis, *quarum vnaquaeque*, teste Taliacotio, *fere 27. pedum in longitudine erat*, vrbis moenia quatere non cessabant; donec tandem exteriore castro 21. Iulii potirentur, commissaque pugna, postridie loco pellerentur, ac omnibus machinis amissis, ingenti clade profligarentur. Rei gestae seriem Taliacotius, S. Capistrani socius, prolixe describit; (*b*) qui totus in commendanda virtute venerandi nominis IESV, cui reipsa haec victoria debetur, quid virtute humana, qua DEVS etiam in prodigiis patrandis vti solet, gestum sit, vix attingit. Hunyadium certe, cuius ille vix meminit, nemo tantarum rerum otiosum spectatorem fuisse dixerit. Eius artes et indefessos

(*a*) Hist. Cr. T. XIII. p. 1025.—1077. (*b*) Ap. Pray Annal. P. III. p. 176.

fessos labores Chalcocondylas Graecus multis commendat ac dilaudat, (*a*) e cuius testimonio liquet, Hunyadium praelio decretorio non tantum interfuisse, sed etiam praefuisse. Turotzius refert, (*b*) Mahometem Amurati, suo patri, vitio dedisse, quod Belgradum 7. mensibus incassum oppugnauerit, quod ipse spatio 15. dierum expugnaturus esset: monitum a praefecto Natuliae, Hungaros difficilius, quam Graecos, castra sua dedere, furioso tamen cum impetu castrum illud aggressum esse. Relatis deinde mutuis certaminibus, *ad laudem*, subiicit, *DEI et caesaris eiusdem confusionem sufficit, quod cunctis bellicis spoliatus apparatibus, omnibusque machinis — relictis, immensam suae gentis post caedem, propriam in patriam rediit.* Mox cladem Turcarum ad Callistum III. Capistranus perscripsit, (*c*) *ex Nandoralba, in festo S. Mariae Magd. ipso die gloriosissimae victoriae.* Triduo post etiam Hunyadius Ladislao regi scripsit in haec verba: (*d*) „ — Imperator Turcorum post „ horam vespertinam feria IV. incipiens circa ipsum „ castrum pugnam manualem — in tantum, vt „ per totam noctem et feria V. (22. *Iulii*) vsque „ ad horam prandii durauerit. — Tandem — ipsum „ imperatorem Turcorum de — campo eiecimus. „ — Dat. in Nandoralba, sabbato prox. ante fest. „ B. Iacobi ap. A. D. MCDLVI. " Capistranus ex relatione Georgii despotae pontifici scribit: (*e*) „Vltra 24. millia (*Turcarum*) in die belli nece perierunt; totidem et vltra in itinere defecerunt, „ semetipsos inter se trucidantes. " Aeneas Siluius ex

(*a*) Ap. Stritter T. III. p. 756. (*b*) Chron. P. IV. cap. 55. (*c*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 181. (*d*) Ibid. p. 180. (*e*) Ibid. 182.

ex vtriusque litteris arripuit occasionem, ambitionis vtrumque postulandi, quod alter alterius mentionem non faciat. (*a*) At enim neuter sibi, sed DEO victoriam adscribit, et Hunyadium Capistranus etiam hic *Turcarum terrorem* appellat. (*b*)

CCXXIX. Verum hic Turcarum terror maximus, hic Christianorum defensor fortissimus, tantae victoriae non diu superstes, ingenti moerore bonos omnes affecit, quum epidemica lue correptus, vicesimo post Turcas profligatos die, laboriosam vitam cum pia morte commutauit. Nam, vt Turotzius scribit, (*c*) *in oppidum Zemplen delatus, in recommendatione praefati Fr. Ioannis de Capistrano, viri Dei, suo saluatori suum restituit spiritum;* XI. Aug. MCDLVI. — *Cuius tandem corpus, vbere suorum in fletu ad Albam Transsiluaniensem delatum, honorifice exstitit tumulatum.* Eodem anno, 23. Octobris, socius laborum, Ioannes Capistranus, ad caelos abiit, anno 1515. beatis, an. 1690. sanctis adscriptus. Priusquam hic obiisset; Ladislaus rex Vienna Budam, inde Futakinum, vt de reparandis Belgradi ruinis cum regni statibus consultaret, descendit. Hic C. Vlricus, in excidium Hunyadiae stirpis dudum intentus, a morte patris vtrumque filium insidiis intercipi posse sperabat, immo iactitabat. Ladislaus Hunyadius, de molitionibus eius ab amicis admonitus, postquam Belgradum cum rege descendit; (*d*) *et dies lunae, festum eiusdem S. Martini subsequens* (15. Nou.) *orta est;* — *ipsum comitem* (Vlricum) *pro habendo mutuo colloquio adiit.* — *Colloquio mutuam verso in iram, primum*

(*a*) Hist. Europ. cap. 8. (*b*) Hist. Cr. T. XIII. p. 1077.—1109. (*c*) Chron. P. IV. cap. 56. (*d*) Ibid. cap. 58.

mum verbis minacibus, tandem radiantibus decertantes armis, alter in alterius madidarunt cruore enses. Dum autem ante ostium stantium ipsius C. Ladislai fidelium ad aures intrinseci rumor belli delatus est; intardi, dissoluto domus ostio, — quum comites vtrosque bello insudare viderunt; mox eductis ensibus, irruerunt in C. Vlricum; — strauerunt que illum; — ac tandem prostratum ibidem decollarunt. Vlricum vim Ladislao priorem intulisse, testatur etiam Aeneas Siluius in haec verba: (*a*) *Illud constat, comitem, arrepto ex manu armigeri gladio, Ladislai caput petentem, nonnullos interiectae manus digitos amputasse; — exorto clamore, Hungaros irrupisse; defendentemque se magno animo comitem — obtruncasse.* Vtsi tamen ipse Hunyadius Vlricum occidisset; ad Alphonsum regem ita scribit: (*b*) *Creditum est, non minus filium profuisse reip. Christianae in occisione comitis, quam patrem in profligatione Mahometis; quum Mahometes et comes hostes religionis essent: ille externus; iste domesticus.* Rex Ladislaus, tristem loci faciem detestatus, paullo post Belgrado Temesuarinum, Hunyadiano iuri tunc obnoxium, petiit. Hic, teste Turotzio, (*c*) *C. Ladislao, ad veniam prostrato, temeritatem, quam in occidendo C. Vlrico — commiserat, expiauit et indulsit; et — vtrosque comites, Ladislaum scilicet et Mathiam, fideli sub iuramento, — in fratres adoptauit: eodemque sub iuramento* „numquam futuris in temporibus aliquam talionem comitibus ab eisdem „ratione praeuia se exigere velle" *spopondit: et in tam gloriosae fraternalis adoptionis signum, ambos comites lugubri vestimento — exui iussit: ac eor-*

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 104. (*b*) Ibid. p. 108. (*c*) Chron. P. IV. cap. 59.

dem, propria sua pro persona, rubea de purpura sarcitis vestibus amicire fecit. (*a*)

A. C. 1457. *Lad.* 13. *Ind.* 5. *P.* 17. *A.*

CCXXX. Ladislaus Coruinus, regiis donis et blanditiis allectus, postquam ob caesum Vlricum veniam, iurisiurandi religione firmatam, obtinuit, cum rege securus Budam ascendit. Magnam item in Ladislao Gara palatino, cuius filiam sibi desponderat, fiduciam habuit, a quo tamen rex non conciliatus, sed ad necem Coruini concitatus erat. (*b*) Quia vero Ladislaum regem, propter promissam impunitatem, ad vindicandam Vlrici caedem impelli non posse vidit; cum aliis, Coruiniani nominis aemulis, insidiarum, regis vitae structarum, reum illum peregit. Ita rex, a suis circumuentus, in eius necem consensit. Tragicam supplicii scenam Turotzius vberius, breuius Aeneas Siluius ita depingit: (*c*) *Ladislaus, quatuor ferme et* 20. *annos natus, egregio corpore adolescens, flauis de more crinibus super humeros passis, reuinctis post tergum manibus, — in publicum producitur. — Carnifex, religata Ladislai caesarie, ne collum impediret, iussus percutere reum, nutans labansque, vix tandem quatuor ictibus candidam ceruicem abscidit.* Funesta haec caedis Coruinianae tragoedia magnos animorum motus in cognatis et amicis Coruinianis excitauit. Elisabetha, Hunyadii vidua, postquam alterum filiorum caesum, captum alterum intellexit; maximas turbas per suum fratrem, Michaelem Szilagyium, conciuit. Hic, teste Turotzio

(*a*) Hist. Cr. T. XIII. p. 1109.—1133. (*b*) Tur. Chron. P. IV. cap. 60. (*c*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 193.

rotzio, (*a*) *coadunatis sibi bellicosorum virorum praesidiis, partes regni Transsiluanas aggressus, — cunctos regales prouentus, — suos sibique adhaerentium conuertit in vsus.* Ladislao caeso 16. vel 23. Martii, Ioannes, episcopus Varadiensis, Dionysio card. custodiendus est traditus. Elapsis e custodia 17. Iunii Sebastiano de Rozgon et Ladislao de Kanisa, qui propter amicitiam Coruinianae domus capti fuerant, rex Ladislaus, horum potentiam veritus, (*b*) *Viennensem se transtulit ad ciuitatem. Comitem quoque Mathiam sine aliquo vinculo, et Paullum Modrar, multis ferramentis compeditum, — secum abduxit.* Ioannem tamen Vitezium, itinere per Strigonium facto, liberum dimisit; cui propterea mox Aeneas Siluius gratias egit. (*c*)

CCXXXI. Ad tumultus Hungariae componendos comitia Posonium Ladislaus indixit, litteris ad Posonienses ea de re datis (*d*) *Viennae, in festo visitationis B. M. V. A. D. MCDLVII.* Nullam alibi horum comitiorum mentionem legimus. Pacem inter regem et Coruinianos subinde tentatam fuisse, Ladislaus Palotzius, iudex curiae, ciuitatibus significauit. (*e*) Sed hac quoque pace numquam ad effectum deducta, Callistus III. nihil diligentiae praetermisit, vt Fridericum imp. et Ladislaum regem propter Vlrici caesi hereditatem dissidentes inter se conciliaret. (*f*) Efficere tamen non potuit, vt cognati principes in pacem consentirent, induciis dumtaxat confectis ad conuentum vsque

(*a*) Chron. P. IV. cap. 61. (*b*) Ibid. cap. 62. (*c*) Hist. Cr. T. XIII. p. 1138. — 1184. (*d*) Ex MSS. Cornidesian. T. XII. (*e*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 207. (*f*) Ap. Rayn. ad an. 1457.

Pragenſem, in quo magna pars Europaeorum principum pro Ladislai nuptiis adfutura ſperabatur. Ad has condecorandas Calliſtus quoque Ioannem card. properare iuſſit, ac ipſum etiam Aeneam eum in finem Roma Pragam dimiſit. Ladislao, viſitatis prius cellis MARIAnis, *intranti Pragam*, vt Aeneas ſcribit, (*a*) *Rochezana cum ſacrilego presbyterorum comitatu pompam ducens, obuiam venit.— Vix, admonente Podiebradio, rex gratias egit, haereticum ac peſtiferum toruis oculis clerum inſpiciens. Vbi vero maioris eccleſiae ſacerdotes — occurrerant; — ab equo proſiliens, conſalutatis omnibus, ſacram crucem oſculatus eſt.— Haec Ladislai pietas multorum offendit animos, qui Rochezanae ſtudebant ineptiis.* Ac inprimis Georgii de Podiebrad, quem plerique ſcriptores in ſuſpicionem veneni, Ladislao propterea dati, vocant. Id multi claris, Turotzius dubiis, Aeneas obſcuris verbis ita proponit: (*b*) „ An adoleſcentem regem robuſtiſſimum, nullum „ prorſus vel doloris indicium ſentientem, cum „ quo die lunae (21. *Nou.*) praeeunte mortem, „ vsque ad noctis horam tertiam, ſumma, poſtrema et facili laetitia fui, 27. horarum interuallo, „ aliquod genus mortis naturalis proſternere potuiſſet, ante quem vel minimus quiſpiam ex eius „ familia, neque poſt eum vllus — hoc genere „ mortis interiit?“ Atque hoc inuictum eſt argumentum aduerſus illos, qui Ladislaum, peſte correptum, obiiſſe ſcribunt. An autem iuſto DEI iudicio propter *periurium* Ladislaus obierit, vt Turotzius innuit, noſtrum ſcrutari non eſt; quamuis cum eodem dici poſſit, (*c*) *eadem die* (23. Nou.) *anni*

(*a*) Hiſt. Bohem. cap. 69. (*b*) Epiſt. 324. al. 338. (*c*) Chron. P. IV. cap. 62.

anni subsequentis, *qua comitibus Ladislao et Mathiae* veniam promiserat, exstinctum esse. Ceterum eius mortem, tamquam religiosissimam, Aeneas describit, ac addit: (*a*) *Fuerunt quoque*, *qui dicerent*: „ idcirco regem apud Pragam nuptias celebrare decreuisse, vt, concurrentibus eo catholicis principibus, potenti manu haereticos apprehenderet, „ finemque tandem Hussitarum insaniae daret." *Id praesensisse Georgium ac Rochezanam*, *necemque regi pro salute machinatos*. Si hoc est; odio fidei Ladislaus e medio sublatus est. Ita rex optimus in apparatu nuptiarum cum Magdalena, filia Caroli VII. Galliae regis, antequam illa fuisset adducta, pro thalamo tumulum inuenit. Quo post Wladislai caedem 13. annis regnante, praefuit ecclesiae *Strigon.* Dionysius Szetsius card. *Coloc.* Raphael Hertzeg 1454. Stephanus de Varda 1457. *Agrien.* Ladislaus de Hederuara 1447. *Bosn.* Raphael Hertzeg 1444. Philippus 1455. Paullus 1457. *Iaurin.* Ioannes 1446. Augustinus 1447. *Quinqueeccl.* Andreas 1447. Nicolaus 1453. *Sirm.* Iacobus 1455. *Transsilu.* Matthaeus 1445. Petrus 1450. Nicolaus Bodo 1453. *Tsanad.* Petrus 1456. *Vacien.* Petrus 1447. Vincentius 1450. *Varad.* Ioannes Vitezius 1445. *Vesprim.* Mathias 1445. *Zagrab.* Demetrius Chupor et Benedictus de Zolio. 1447. *Palatini* fuerunt: Laurentius de Hederuára 1445. Ladislaus de Gara 1447. *vaiuodae Transsil.* Ioannes Hunyadius et Nicolaus Vilakius 1445. Nicolaus Vilakius et Emericus Pelsötzius 1447. Ioannes de Rozgon 1453. *Iudex curiae* Ladislaus Palotzius 1445. *Bani* Ioannes Székely 1447. Franco de Talótz 1448. Ladislaus de Hunyad 1453. *Machou.* Ladislaus de Gara 1445. Emericus de Hederuára 1447.

(*a*) Hist. Boh. cap. 71.

Ioannes de Korogh 1452. qui praeclaram ad Belgradum obſidione ſoluendum operam nauauit, cuius praeſidii praefectum egit Michael Szilagyius, Mathiae regis auunculus, de quo iam. (*a*)

§. XII.

MATHIAS I. REX XXXIV.

Coepit A. C. 1458. *deſiit A. C.* 1490.

A. C. 1458. *Math.* 1. *Ind.* 6. *P.* 2. *A.*

CCXXXII.

Etſi nullus dubitet, Mathiae Coruino, patrem Ioannem Hunyadium, matrem Eliſabetham Szilagyiam fuiſſe; quo tamen genere pater ac maiores eius prognati fuerint, nondum extra controuerſiam poſitum eſt. Id vnum affirmari certo tam patriorum ſcriptorum, quam Aeneae Siluii teſtimonio poteſt, Ioannem Hunyadium natione Valachum fuiſſe, cuius genus ex aſſentandi ſtudio Bonfinius (*b*) *in Coruinam Romanorum familiam* refert. Subinde multa de vetuſtate Coruinae gentis narrat; (*c*) ſed nullo veterum teſtimonio hunc familiae Romanae cum Hunyadiana nexum firmat. Etſi vero, ſi tam vetuſta ſtirpe Hunyadius editus fuiſſet, Dlugoſſus illum male *humilis et exiguae conditionis* hominem appellaſſet; multo tamen a vero longius aberraſſet, ſi, quod aliqui ſibi perſuadent, Sigismundi nothus fuiſſet. Ita profecto Mathias genus ſuum ad nobiliſſimum

(*a*) Hiſt. Cr. T. XIII. p. 1185.—1252. (*b*) Dec. III. Libr. IV. p. m. 448. (*c*) Dec. III. Libr. IX. p. m. 538.

mum priſcorum imperatorum et regum ſanguinem referre potuiſſet, eumdemque paternum, quem Ladislaus Poſtumus maternum auum habuiſſet. Inficetam hanc fabulam vix natam Bonfinius illico conuulſit. *Quodſi vera haec fabula fuiſſet;* inquit, (*a*) *quis ambigat, Sigismundum, profuſiſſimae prodigalitatis imperatorem, non ſolum agro, ſed regno, quum virili prole careret, hunc eſſe donaturum?* Magna vis argumento huic ineſt; quum conſtet, praecipuas illi ditiones non a Sigismundo, ſed ab Alberto collatas fuiſſe. Ladislaus enim Palotzius inter poſſeſſiones, *per eumdem D. Albertum illi datas*, recenſet (*b*) *Lippam, Hunyad, Dyod, Solmos.* Occaſionem commento huic obtulit Hunyadianae familiae ſcutum gentilicium, in quo coruus, cum anulo viſitur. Atqui hoc inſigni non tantum Hunyadium, ſed eius etiam progenitores vſos fuiſſe, certum eſt ex his Ladislai Poſtumi verbis, anno 1453. vulgatis: (*c*) „ Hactenus ſiquidem ex gratia praedeceſſorum noſtrorum, diuorum Hung. regum, „ praefatus C. Ioannes pro armis ſeu nobilitatis in„ ſigniis, *progenitoribus ſuis* et domui benefico mu„ nere collatis, *coruum*, in campo flaueo ſeu cae„ leſtino alas paullulum eleuantem, ſub colore na„ turali depictum, ac *formam anuli aurei* in ore „ geſtantem, habuit." (*d*)

CCXXXIII. Vt Mathias Coruinus, hoc patre natus, prae tot illuſtribus Hungariae proceribus rex eligeretur, mira DEI prouidentia factum eſſe, nemo diffiteri poteſt. Indictis ad kalendas Ianuarias

huius

(*a*) Ibid. p. 542. (*b*) Ap. Kaprinai H. D. P. I. p. 207. (*c*) Ap. Spies Archiu. P. I. p. 177. (*d*) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 5.—20.

huius anni comitiis, Michael Szilagyius, teste Turotzio, (a) *multam virorum armorumque virtutem secum ducens, congregationem nobilium ad eamdem venit:* quem *Thomas Székel, prior Auranae; Sebastianus de Rozgon, Ladislaus de Kanisa et Pancratius de Szentmiklos — comitabantur.* Quia vero *Ladislaus de Gara, palatinus; Nicolaus de Vilak, vaiuoda; Paullus, filius bani, de Lindua*, cum aliis, Coruinianae domus inimicis, in arce Budensi se continebant, ne hi regem alium Budae crearent, perniciosisque factionibus Hungariam inuoluerent; Danubio glacie constricto, Pestinum erant traducendi. Szilagyius igitur, comparato 20. millium exercitu, iustum illis metum, ni se cum reliquis coniungerent, incussit, amnestiaque iureiurando promissa, si Mathiae suffragium darent, transitum omnibus persuasit. Tum vero, *Michael*, inquit Aeneas, (b) *conuentum adiens*, „ non se idcirco „ armatos adduxisse, *ait*, vt vim congregatis inse„ rat; sed vt eos deterreat, si qui sint, qui liber„ tatem principum ac popularium in assumendo „ rege perturbare conentur: illud tantum se — mo„ nere, vt Ioannis Hunniadis beneficia meminerint: „ — posse barones memoriam Ioannis extollere, „ Mathiam ex captiuitate redimere, atque in eius „ regni fastigio collocare, quod pater sua virtute „ seruasset. “ — *Reconciliatione inter proceres facta, Mathias XVIII. natus annos, IX. kal. Febr. inter XL. millia virorum, qui medio in Danubio, tum glacie constricto, impatientes magni frigoris, secretae electionis exitum exspectabant, est rex acclamatus.* Erectarum furcarum Bonfinius et Dlugossus, non item alii, meminerunt: quae tamen, licet erectae fuissent

(a) Chron. P. IV. cap. 63. (b) Hist. de Eur. C. I. p. 225.

fuiſſent ad metum aliquem ſuffragatoribus incutiendum; Mathias tamen liberis ſuffragiis rex electus dici poſſet. Vis enim et metus iuſte fuiſſet incuſſus paucis illis, qui potiori parti reluctabantur, publicamque pacem et quietem intercipere conabantur; poſtquam Mathias tot liberis ſuffragiis rex optatus erat, vt, illis etiam diſſentientibus, legitimus rex haberi potuerit et debuerit. Certe Mathiam non inuitis Hungaris obtruſum fuiſſe, declarat inſolitum totius gentis gaudium, cui par in nullius regis electione Turotzius ait exhibitum fuiſſe. *Currebant*, inquit, (*a*) *hinc inde nuncii, huius electionis gaudium his, qui abſentes erant, deferentes; multisque muneribus onuſti redibant. Poſtquam autem propinquae noctis aduenit crepuſculum; ipſa nox — quaſi in diem ficticium, multa congerie lignorum ardente, transmutatur.* Hi fuerunt ignes feſtiui, non magnis quidem ſumtibus, ſinceris tamen plauſibus accenſi, quibus Hungari ſuam de creato rege Mathia communem laetitiam luculentis indiciis declararunt. (*b*)

CCXXXIV. Electione 24. Ianuarii peracta, Michael Szilagyius, regni gubernator in quinquennium propter teneram Mathiae regis aetatem conſtitutus, nunciata Caſſouienſibus et aliis ciuitatibus electione, „ Gaudeatis, *inquit*, (*c*) et laetamini de tan-
„ tis laetitiis et gaudiis, quae DEVS altiſſimus e
„ caelo ipſi D. Mathiae et nobis ac huic regno
„ Hung. praeſenti die concedere dignatus eſt. —
„ Dat. in ciuitate Peſtienſi, feria tertia prox. ante
„ feſtum conuerſionis S. Paulli ap. A. D. MCDLVIII."

Recte

(*a*) Chron. P. IV, cap. 63. (*b*) Hiſt. Cr. T. XIV, p. 20.—44. (*c*) Ap. Kapr. H. D. P. I, p. 3.

Recte Szilagyius DEO hoc beneficium electionis adscribit; admirandum enim erat hoc opus diuinae prouidentiae, quod Mathias Coruinus, mediocri stemmate natus, quamuis et Fridericus imperator, et Casimirus, Poloniae rex, et Guilielmus, Saxoniae dux, qui defuncti regis sorores in connubio habebant, et Carolus, Galliae rex, pro filiorum alterutro Hungariae regnum ambiuerint, omnibus his praelatus fuerit. Id vero magis admirandum est, si ratio tam aetatis, quam captiuitatis eius habeatur. Nam licet Aeneas illi tribuat annos 18. Galeotus tamen 14. alii 15. quos quidem iam inchoauit, sed nondum compleuit; si Heltaius eius natiuitatem ad 27. Martii 1443. bene consignauit. Rex igitur electus est, qui nondum 15. aetatis annum expleuerat, nondum libertatem recuperauerat; nihil igitur, vt rex eligeretur, agere poterat. Callistus quidem pontifex, antequam illum electum intellexisset, magnam eius ex captiuitate liberandi curam praesetulit, litteris ad card. S. Angeli datis (*a*) *die IX. Febr. MCDLVIII.* Sed hoc tempore iam Mathias et rex creatus, et captiuitate liberatus erat. Quam eius liberationem Bonfinius oratorie potius, quam historice describit. Vera magis sunt, quae Turotzius in haec verba refert: (*b*) *Postquam* Georgius de Podebrad. *audiuit*, *C. Mathiam regni Hungariae in regem electum esse; superbus in multis alloquutionibus nouum regni Hung. regem aggressus est, et cum multa confabulatione victum suae natae ad connubia inclinauit; nec in posterum repatriantem eum plurimi auri sine solutione abire tulit.* Aeneas Siluius perhibet, (*c*) *Mathiam* — 50000. *aureis*

(*a*) Ibib. p. 422. (*b*) Chron. P. IV. cap. 64. (*c*) Epist. 337.

aureis redemtum fuisse. Decem millibus alii pl
alii minus depensum esse tradunt. Die IX. F
sam Straznitzii Mathias fuit, foedusque nupt
cum Georgio de Podiebrad ita pepigit, vt eius
liam, Catharinam et Cunegundem dictam, (*a*)
fra vnius anni reuolutionem — ad manus suas tr
ducturum se promiserit, vtrimque poena 100. *mil*
flor. aureorum constituta, si pactis non stare
Dat. in castro Stjaznitze, feria V. prox. post
Dorotheae, A. D. MCDLVIII. Appressa sunt
gilla matris Elisabeth, Michaelis Szilágyi, re
Hung. gubernatoris, episcoporum Varad. et Vac
sis, et quorumdam baronum. Bonfinius er
quum ait, (*b*) Mathiam *Strigonium paullo ante*
Martias, circiter sarcophaga festa (Bacchi fer
peruenisse. Nam 16. Februarii, proinde 14. die
ante kal. Martias; non tantum Strigonium, sed
Budam illum peruenisse, certum est ex eius
litteris, ad Bartfenses datis, (*c*) *Budae, fer. V. p*
post fest. B. Valentini M. A. D. MCDLVIII.
bus significat, se nunc Budae dies laetos ducere.

CCXXXV. Postquam Mathias Budam, vbi
ptiuitatem anno superiore mense Martio subiit, n
se Februario feliciter appulisset; non solum hi
Budae, sed etiam comitia Pestini celebrauit.
dem iam antea Szilagyius vtilissimas pro con
uanda regni tranquillitate sanctiones publico di
mate confirmauit, cuius capita hoc ordine sequ
tur: (*e*) „ *Art. I.* Bona tam ecclesiastica, q
„ secularia, a tribus annis anteactis occup
„ vsqu

(*a*) Ap. Bel. N. H. T. I. p. 163. (*b*) Dec. III. Libr. I
536. (*c*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 492. (*d*) Hist
T. XIV. p. 44.—60. (*e*) Corp. Iur. Hung. T. I. p.

„ vsque quindecimum diem sub poena facti poten-
„ tiarii remittantur. *II.* Rex de suis prouentibus
„ exercituare teneatur; alioquin etiam banderiati,
„ et demum nobiles insurgant. *III.* De damnis et
„ iniuriis, ab anno MCDLVI. illatis, in comitati-
„ bus iudicium celebrari possit. *IV.* Quod quatuor
„ octauae singulis annis celebrentur. *V.* Quod
„ numquam aliqua taxa petatur. *VI.* Vniuersa
„ fortalicia ad monitionem nobilium infra XV. dies
„ diruantur sub nota infidelitatis. *VII.* Dignita-
„ tes ecclesiasticae ac officiolatus et perpetuitates
„ extraneis non conferantur. *VIII.* Bona, extra-
„ neis collata, recuperentur. *IX.* Quales caussas
„ ecclesiastici possint iudicare. *X.* Quod sacerdo-
„ tes, scholares et nobiles telonia et decimas non
„ soluant. *XI.* Rex ex parte omnium fratrum et
„ familiarium debitam iustitiam impendere teneatur.
„ *XII.* Quod nouae pecuniae cudantur, et num-
„ quam mutentur. *XIII.* Quod singulis annis ad
„ festum pentecostes fiat diaeta in Pesth. *XIV.*
„ Quod vniuersae ciuitates et castra regalia ad ma-
„ nus D. gubernatoris tradantur. *XV.* Quod omnes
„ iobagiones libere dimittantur sub poena occupa-
„ tionis bonorum et solutionis XII. marcarum. Da-
„ tum in Pesth, XXIV. die congregationis — A. D.
„ MCDLVIII." Ibidem, paullo post Mathiae re-
gis aduentum, alia congregatio celebrata, vel po-
tius prior continuata fuit, in qua decretum Alber-
ti regis maiori parte repetitum ac stabilitum est,
nouaeque leges itidem sancitae sunt, quas omnes
Mathias auctoritate regia ratas habuit, (a) *in Pest,
XII. die congregationis* (incertum huius initium est)
anno dom. MCDLVIII. Hoc decretum, in corpus
iuris

(a) Ex MSS. Cornides. T. XII.

iuris minime relatum, adeoque rubricis destitutum, vltra vicenas paginas excurrit. Michael Szilagyius ante Mathiae regis aduentum eius fratris Ladislai corpus effodi iussit, vt Turotzius perhibet, (*a*) *ac tandem Transsiluaniensem ad Albam transferri faciens, idem paternum iuxta sepulcrum in multis obsequiis condere fecit.* Vidimus vtrumque, paternum nulla, filii breuicula hac inscriptione notatum: LADISLAVS DE HVNYAD. (*b*)

CCXXXVI. Indigna huius Ladislai caedes, quae magnam apud Hungaros commiserationem excitauit, ad eius fratrem Mathiam in solium euehendum non parum quidem contulit, sed multo plus eiusdem patris ingentia merita, quibus Callistus delatam filio dignitatem regiam adscribit, quum eius matri Szilagyiae his litteris gratulatur: (*c*) „ Certissimam spem semper habuimus, — quod DEVS, „ omnipotens in suis iudex et miserator, non pateretur domum praefati Ioannis in tantis tenebris „ iacere. — Vidimus repentinam mutationem, diuino mysterio factam; quum vno eodemque tempore filium tuum illustrem, Mathiam, in regem, „ et Michaelem fratrem in gubernatorem regni „ istius electos fuisse vidimus. — Nec dubitet aliquis, „ quin anima praefati genitoris sui — a piissimo „ DEO — hoc de filio suo obtinuerit. — Dat. XIV. „ Martii, A. MCDLVIII. " Gratulatus est ipsi quoque Mathiae his verbis: (*d*) „ — Illuxit tandem „ felicissimus dies, quo te diuina pietate regem „ Hung. electum esse percepimus, domumque tuam „ exaltatam

(*a*) Chron. P. IV. cap. 64. (*b*) Hist. Cr. T. XIV. p. 61. —92. (*c*) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 412. (*d*) Ibid. p. 413.

„ exaltatam, quod futurum et praedixeramus, et
„ credebamus, DEVMque, pro quo totaque Chri-
„ ſtianitate bonae mem. genitor tuus tam glorioſe
„ ſtrenueque decertauit, minime paſſurum, vt do-
„ mus tua calamitatibus obfuſcaretur. — Immorta-
„ li DEO gratias agimus, qui huius gaudii compo-
„ tes nos fecit, teque ineffabili potentia ad illius
„ incliti — regni culmen euexit, vt eſſes, qui la-
„ pſis rebus ſuccurreres. — Etenim de tua ſereni-
„ tate — cogitantes, — credimus, — te caeleſti
„ munere, quaſi diuinum aliquem hominem, non
„ ſolum iſti regno, ſed vniuerſo orbi Chriſtiano
„ miſſum eſſe, qui regni ipſius florida aetate gu-
„ bernacula exorſus, ſublatis inteſtinis ſeditionibus,
„ animum adhibeas ad glorioſum certamen Maho-
„ meticae ſectae exterminandae. — Equidem quum
„ patris tui, inuictiſſimi militis et athletae Chriſti,
„ nobis in mentem cogitatio venit, cuius aeterna
„ ſunt in vniuerſam Chriſtianitatem felicium geſto-
„ rum monumenta; — exiſtimamus, poſt illius lu-
„ gendam mortem, te alterum illius regni firmum
„ columen et praeſidium eſſe futurum. — Quod eo
„ facilius erit, quo maior eſt tua, quam illius fu-
„ erit felicitas: et tu rex, ille miniſter regni fuit. — "
Dat. vt ſupra. Pluribus hic Mathiam hortatur, vt veſtigiis patris in perſequendis Turcis inſiſtat. (a)

CCXXXVII. Nihil profecto magis Mathias in votis habuit, quam vt, quod pontifex ſuaſit, ſinceram cum imperatore, Poloniae rege, vicinisque principibus amicitiam et pacem colendo, vires ſuas in Turcas conuertere poſſet: Sed enim optimam hanc nouicii regis voluntatem interceperunt quidam factioſi

(a) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 93.—105.

factiosi, qui partim Fridericum, partim Casimirum in Mathiam concitarunt ac euocarunt. Praecipuus turbarum Polonicarum auctor Giskra fuit, qui veterum cum Ioanne Hunyadio dissidiorum memor, eius filio regium honorem inuidit, ac in Poloniam profectus, Casimirum regem, qui Ladislai Postumi sororem Elisabetham coniugem habebat, ad capessendum vxorio nomine Hung. regnum inuitauit: (*a*) Qua de re Mathias questus est litteris ad Podiebradium datis in haec verba: (*b*) „ Scripsimus „ ser. vestrae, quemadmodum contra dispositionem „ S. V. quam, quum in Strazniz constitueremur; „ eadem V. S. inter nos et Ioannem Giskram (*fir-* „ *mauit*) pro qua tractanda illuc nuncios suos „ miserat, idem Giskra inique nobis agere conatur, „ accumulatis sibi pluribus latronibus. Audimus „ etiam, quod et rex Poloniae, falsa quadam opi- „ nione, ius ad ipsum regnum nostrum Hung. prae- „ tendens, similiter contra nos hostiliter ducere „ velit. — Dat. Budae, XXIX. Martii, A. MCD-LVIII. " (*non LIX.*) Casimirus tamen professus, (*c*) *se regno Poloniae et aliis dominiis, in quae iure paterno successit, contentum*, Mathiae quietem nunc non intercepit. Mathias igitur iam certus, Giskram, reiecta pace, bellum aduersus se moliri, bellum et ipse contra Bohemos, eiusdem socios, suscepit, eique Sebastianum Rozgonium, Hunyadianae stirpis studiosissimum, praefecit, Bartfensibus eidem opem et operam commodare iussis, (*d*) *Budae, in dom.* Misericordia domini

(*a*) Dlug. Libr. XIII. col. 225. (*b*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 158. (*c*) Ap. Dlug. L. XIII. col. 226. (*d*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 160.

mini, *MCDLVIII.* Quibus iterum, vt eidem Rozgonio, contra latrones Bohemos ituro, copias auxiliares apparent ac instruant, demandat, (*a*) *Budae, sabbato prox. post festum ascensionis domini, anno eiusdem MCDLVIII.* Promta subinde Bartfensium ad hoc bellum studia meritis laudibus ornauit, (*b*) *Budae, octauo die festi SS. corporis Christi, an. eiusdem MCDLVIII.* Etsi vero malum hoc adeo per tot annos inualuerit, vt nonnisi repetitis ictibus exscindi penitus potuerit; prima tamen auspicia Mathiae tam prospera fuerunt, vt Rozgonio castrum Tserép contulerit propter relatas ab eo victorias, quas ita perstringit: (*c*) „ Ad obsidionem fortalicii, Wadua vocati, vbi satis magna multitudo latronum cum quibusdam Komorowski et Valgatha — exsistebat, idem Sebastianus — eundo, — ipso fortalicio Wadua expugnato, praefatum Valgatha capitaneum, cum suis complicibus captum; tandem quum quidam Akzamith et Thalusuz cum 2500. equitibus, transuadato fl. Bodrogh, — ad proprias eorum speluncas reuerti voluissent; praenotatus Sebastianus — in quodam campo prope ciuitatem Sárospatak eis obuiando, inibique data nobis ab altissimo victoria, praefatoque Akzamith cum ceteris latronibus interfectis, multos ex eis captos — manibus nostris assignauit. — Zegedini, *kal. Sept.* MCDLVIII."

CCXXXVIII. Quum hoc bellum, quod Bonfinius prolixa narratione persequitur, (*e*) cum Bohemis

(*a*) Ibid. p. 168. (*b*) Ibid. p. 179. (*c*) Ibid. p. 200. (*d*) Hist. Cr. T. XIV. p. 105.—119. (*e*) Dec. III. Libr. X. p. 548.

mis Polonisque latronibus in Hungaria feliciter gerebatur; Bohemiae rex, Georgius Podiebradius, sollemni ritu Pragae pridie nonas Maias inauguratus est. Quia Pragensis metropolis tunc vacabat; nec adhuc Protasius, Olomucensis episcopus, a pontifice confirmatus erat; legatos ad Mathiam regem Georgius misit, vt aliquos ex Hungaria praesules ad se coronandum mitteret. Et iste quidem episcopos suos, Augustinum Iaurinensem et Vincentium Vaciensem, in hunc finem ad eum destinauit; vetuit tamen, ne prius illi coronam imponerent, quam is religionem catholicam et obedientiam, Romano pontifici debitam, profiteretur. Quod illum, regni cupiditate permotum, ad Mathiae nutum praestitisse, publicum instrumentum, ab ipso Georgio confectum, septem testibus subscriptis, ostendit, (a) *Dat. Pragae, die VI. mensis Maii, A. D. MCDLVIII.* Quod vbi domum reduces episcopi, quibus Nicolaus Vilakius et Osualdus Rozgonius adiuncti fuerant, Mathiae regi praesentarunt; hic illud Romam transmisit, insertum litteris suis, (b) *datis in descensu exercituali, in oppido Samaria, X. die mensis Nouembris A. D. MCDLVIII.* Annus tamen apud Heuenesium melius videtur subscriptus MCDLXVI. quum XV. Nouembris Temesuarini hoc anno fuisse Mathiam, ex aliis diplomatibus constet. Omnem tamen hanc cautionem subinde Podiebradius elusit: qui quum vidisset, multas Bohemiae ciuitates, ac Silesiam, Lusatiam, Morauiam, suum, tamquam haeretici principis, imperium aspernari; hac fidei simulatione principatum mercari voluit: quem adeptus, quid animo clau-

Aa 2 sum

(a) Ap. Balb. et Pray P. III. p. 223. (b) Ex MSS. Heuenes. T. Rom. VIII. Et Cornidesianis.

ſum geſſerit, non multo poſt aperuit, ita religionem catholicam opprimere conatus, vt a pontifice diris deuotus, a Mathia iuſtis armis petitus fuerit. Sed hoc decimo poſt anno factum eſt. Nunc Calliſtus id agebat, vt Mathiam ad pacem cum Chriſtianis principibus ſanciendam ac bellum in Turcas ſuſcipiendum excitaret, litteris ad eum datis, (*a*) *die XIII. Maii MCDLVIII.* Neque Mathias ſuis partibus deerit, quantum per vicinos principes licebit. Sed vt bello magnus, ita iuſtitiae ſtudio celeberrimus, iam nunc omnem operam eo conuertit, vt ſuum cuique ius redderetur, neue potentiorum iniuriis infirmiores opprimerentur. Id plures eius litterae, Buda hoc anno datae, docent, 27. *Apr.* 7. 17. 29. *Iun.* 3. 24. 31. *Iul.* 3. 14. *Auguſti.* (*b*)

CCXXXIX. Quamdiu Budae Mathias manſit; Michaelem Szilagyium, auunculum ac praecipuum ſuae libertatis et regiae dignitatis auctorem carum habuit, quem dignis, vt par erat, praemiis cumulaturus, Biſtricenſem comitem creauit. Nullum quidem diploma, quo hoc ille praeſtitit, habemus; id tamen colligi poteſt ex titulo diplomatis, quo pactiones, inter illum et Georgium deſpotam initas, ita confirmat: (*c*) „ Nos Mathias — Multa „ ſunt, quae nos inducunt, vt in ſpect. et magnif. „ Michaelem Zilagy, *comitem Biſtricienſem*, auun„ culum noſtrum, liberales ſimus et benefici. — — „ Dat. Budae, in feſto B. Stephani R. A. D. MCD„ LVIII.“ Poſtquam autem Buda ſub exitum huius menſis egreſſus, ad inferiores regni partes luſtrandas

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 169. (*b*) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 119.—142. (*c*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 195.

ſtrandas conceſſit; aemulorum Szilagyianorum ſermonibus et obtrectationibus in transuerſum actus, in ſuum hunc auunculum, optime de ſe meritum, ea decreuit, quae demirari ſatis non poſſumus. *Simultatis cauſſam*, inquit Bonfinius, (*a*) *nemo ſat exploratam habuit. Nonnulli probum virum — affectatae tyrannidis inſimulant. — Qui vero aequius iudicare viſi ſunt; ob inuidioſum gubernationis munus et auctoritatem, maximam conflatam in hunc inuidiam ab aduerſariis, eiusque ſeueram aduerſus regem cenſuram, huiusce mali cauſſam fuiſſe prodidere. — Accedebat elatus regis animus, qui ſenis imperium et admonitionem haud facile tolerabat. Atqui memini, Mathiam Viennae paullo ante mortem ſaepe dixiſſe:* „ ſe in adminiſtrando regno numquam „ alieno conſilio eſſe vſum: quin etiam a ſui regni „ principio vix vnius anni gubernatoris moderationem et conſilium tolerare potuiſſe." *Quare factum eſt, vt tanto magis delatorum criminibus foret obnoxius. — Rex male perſuaſus, auunculum grauiſſimi colloquii gratia ad Tibiſcum amnem feſtinare iubet. — Quum itaque ex compoſito ad colloquium conueniſſent; Michaelem in proximo Tibiſci pago, a validiſſimo equitatu circumuentum, repente cupi iubet et in vincula coniici. — Inſequenti die Michael, iuſſu regis vinctus, ad Vilagosuárum — ducitur. Committitur duobus caſtelli praefectis, qui ob Turcarum metum cum valido id praeſidio tenebant. Horum alteri Gregorio Labatlano, Georgio Dachio alteri nomen erat.* Haec ante diem 8. Octobris, hoc anno facta fuiſſe, hae litterae, Saxonibus inſcriptae, docent: (*b*) „ Mathias — Quod nos

 „ propter

(*a*) Dec. III. Libr. X. p. 459. (*b*) Ex MSS. Cornid.

„ propter certas et rationabiles caussas, quas tem-
„ pore suo fidelitati vestrae manifestabimus, spect.
„ et magn. Michaelem Zilagy, C. Bistricien. fratrem
„ nostrum, captiuitati mancipauerimus; fidelitas
„ vestra bona et iusta ex caussa omnia facta fuisse
„ agnoscat. — Dat. Nandor-Albae, die dom. prox.
„ post festum B. Francisci conf. anno MCDLVIII. "
A prima Septembris ad 8. vsque plura Szegedini diplomata dedit, quo tempore Szilagyius captus fuisse videtur. Die 1. mensis Octobris Petro-Varadini, 8. Belgradi litteras confecit. Inde Temesuarinum profectus, ad festum S. Nicolai comitia Szegedinum indixit. (*a*) *Dat. in Temesuár, feria IV. prox. post fest. S. Martini E. et C. A. D. MCDLVIII.* Praecipua cogendorum comitiorum caussa fuit, vt progressus Turcarum sisterentur. Currenti Mathiae calcar addidit Pius II. pontifex, Aeneas Siluius antea dictus, qui 19. mensis Augusti Callisto suffectus, 3. Sept. coronatus, postridie litteras ad Mathiam dedit, et ad Turcas reprimendos conuentum Mantuam indixit, kal. Octobris. (*b*)

A. C. 1459. *Math.* 2. *Ind.* 7. *P.* 25. *M.*

CCXL. Mathias, plurimum gratulatus, talem ecclesiae Romanae pontificem obtigisse, qui tanto studio Hungariae regnum et bellum Turcicum complecteretur, ipse quoque totus in id incubuit, vt militarem disciplinam, ad bellum illud rite gerendum necessariam, instauraret. Comitiis igitur a 6. Decembris anni superioris ad huius initium productis, e consilio regni procerum ad militiam rite consti-

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 127. (*b*) Hist. Crit. T. XIV. p. 153.—175.

constituendam saluberrimas leges pertulit, inter quas est etiam haec: (*a*) „ Vniuersi barones et no„ biles, ac possessionati homines, — de singulis „ 20. iobagionibus, censum domino suo soluentibus, „ cum vno armigero equite, bene armato, — exer„ cituare teneantur." Atque hinc appellatio *huszár* originem ducit, quod quasi pretium 20. subditorum per vnum equitem redimi seu statui debuerit. „ Datum Zegedini, — in vigilia festi epipha„ niarum domini, anno eiusdem MCDLIX." Exercitus, secundum eas leges, educi contra Turcas hoc anno non potuit; quod quorumdam Hungarorum factio, quae iam anno superiore, veluti sub cinere, gliscebat, hoc anno tandem in apertum incendium eruperit. Bonfinius praecipuum factionis auctorem Vilakium facit, (*b*) *qui quum ad regnum adspirare nequiuerit; caesaris, quam Coruini adolescentis, imperium subire malebat* (Plures alios postea videbimus) *Hi caesari suadebant*: „ ne co„ ronam redderet: pro se asseruaret: eiiceret e re„ gno puerum: ac late demum in Vngaria impe„ raret." *Promittuntur auxilia multa, commeatus, arma, opes, quibus excitatus Friderici animus ad deturbandum regno Mathiam confestim intenditur.* Vtprimum coniuratio manifestis indiciis erupit; Mathias, proceribus Budam euocatis, nouum ab iis fidei sacramentum exegit, nouoque iureiurando suam et ipse fidem ac opem iis obstrinxit, (*c*) *in festo B. Scholasticae V. A. D. MCDLIX.* Fidem suam in Mathiam nouo sacramento testati sunt, praeter duos metropolitas et episcopos *Agr. Varad. Quinqueeccles. Iaur. Vespr. Chanad. Zagr. Vac. palatinus*

(*a*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 218. (*b*) Dec. III. Libr. X. p. 543. (*c*) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 245.

latinus Michael Orſzág; *vaiuoda Tranſ.* Sebaſtianus de Rozgon; *iudex curiae* Ladislaus de Palótz et alii 34. optimates. Septimo poſt die Fridericum Hungariae regem renunciarunt, *in Viuár ſabbato prox. poſt feſt. B. Valentini*: Ladislaus de Gara, palatinus; Ioannes Széch, C. comitatus Szalad. 4. comites de S. Georgio, Georgius, Ladislaus, Ioannes, Sigismundus; Paul. Banfi; Ladislaus et Nicolaus de Kaniſa, cum 12. aliis proceribus, quibus Matthaeus, epiſcopus Tranſſiluanus, Martinus Frangepanius, Ioannes Kaplerus acceſſerunt. (*a*) Atque hi 24. rem tantam aggreſſi ſunt, contra duplo maiorem numerum eorum, qui fidem in Mathiam innouarunt. Hanc electionem 4. Martii Neoſtadii promulgatam eſſe conſtat. De coronatione merito dubitatur; nec enim Wolfgangi Betlen, ſcriptoris ſeculi ſuperioris, auctoritate tuto niti poſſumus. (*b*)

CCXLI. Antequam ad hanc Friderici caeſaris electionem ventum fuiſſet; Mathias, cognitis coniuratorum ſtudiis, ad Pium II. pontificem confugit, eique ſignificauit, apparatus omnes, quos ad bellum Turcis inferendum fecerat, ad comprimendam paucorum ſeditionem ſe conuerſurum; niſi hanc auctoritate ſua diſſiparet. Nihil acerbius accidere pontifici potuit; qui bellum in Turcas promoturus, 20. Ianuarii Mantuam iter ſuſceperat, ac vt Podiebradium, ita Mathiam, nondum de periculo hoc edoctus, ad conuentum illum inuitauerat, (*c*) *Romae — an. MCDLIX. XIII. kal. Febr.* De molitionibus coniuratorum a Mathia rege certior redditus, antequam Mantuam appuliſſet, ali-

quamdiu

(*a*) Ibid. p. 249. (*b*) Hiſt. Crit. T. XIV. p. 175.—204.
(*c*) Ap. Kapr. P. II. p. 239.

quamdiu Senis, in patria ſua commoratus, Ioanni card. S. A. L. poteſtatem dedit ſententias in eos ferendi, qui Mathiae conatum et apparatum ad expeditionem Turcicam impedirent, (*a*) — *Senis*, *VI. kal. Mart. pont. an. I.* Quia vero Friderico caeſari prius ab epiſtolis arcanis et conſiliis erat; ne hunc offenderet, animaduertendi poteſtatem, in *caeſarea* dignitate fulgentem, legato non dedit; immo poſtea diſſertis verbis illum excepit. Nunc eumdem Fridericum, ne ſeditioſorum Hungarorum verbis aures praeberet, conatusque Mathiae contra Turcas impediret, admonuit, (*b*) *Senis*, *II. Aprilis*, *pont. an. I.* Magna circumſpectione Pius hic vſus eſt, ne Fridericum, de ſe prius optime meritum, offenderet. Ad inſignem hanc illius prudentiam iſtud quoque pertinet, quod, dum a Mathia per legatos interpellatus pro vexillo ſibi mittendo fuiſſet; ne hoc ille ſacro munere contra Fridericum potius, quam Turcas vteretur; ad ſuum illud legatum, non ad regem, miſerit, (*c*) *ibidem*, *eadem die.* Cur id faceret; clarius aliis litteris eidem legato detexit. (*d*) Pius igitur, vſus tanta cautione, dicere cum veritate potuit, vexillum oratoribus Mathiae negatum eſſe. Poſtquam enim Fridericus, cupiditate regnandi victus, Hungariae regnum, a factioſis ſibi delatum, contra pontificis conſilium acceptaſſet; per ſuos legatos queſtus eſt, de titulo regis, a Pio Mathiae dato, nonnullisque fauoribus, eidem conceſſis. Pius, qui ſe communem vtriusque patrem eſſe nouerat, factorum ſuorum rationem reddidit, (*e*) *Senis*, *XIII. Apr.* ac poſtridie legatum admonuit, ne ſententias ferendi poteſtatem in imperatorem

---

(*a*) Ibid. p. 254. (*b*) Ibid. p. 288. (*c*) Ibid. p. 226. (*d*) Ibid. p. 290. (*e*) Ibid.

ratorem exſereret. (*a*) Mathias, conciliato ſibi pontifice, Poſonienſes, qui primi copiis caeſareis aditum in Hungariam aperire vel claudere poterant, ſibi deuincturus, geminum illis priuilegium, vtendi rubra cera, litesque ſuas domi definiendi conceſſit, (*b*) *Budae in feſto purific. B. M. V. A. D. MCDLIX.* Quos fidem ſeruaſſe, patet ex aliis eiusdem litteris. (*c*)

CCXLII. Poſtquam Mathias intellexit, nec a pontifice ſuum aemulum ab inuadendae Hungariae conſilio dimoueri poſſe; iudicem gladium ad dirimendam hanc litem adhibendum cenſuit. Qua fortuna primum cum hoſtibus praelium ſit commiſſum; ipſe Mathias ad Saroſienſes ita perſcripſit: (*d*) „ — Gentes noſtrae cum hoſtibus et aemulis noſtris duriſſimum conuentum habuerunt: ex noſtris pauci interierunt: ſed ex aduerſariis plurimi in ore gladii corruerunt: notabiles quoque, non pauci numero, erga manus fidelis noſtri, Simonis Magni (*Nagy*) capitanei, captiui detinentur. — Dat. Budae, feria V. prox. ante feſt. BB. Tiburtii et Valeriani MM. (14. *Apr.*) A. D. MCDLIX." Citius igitur, quam paſſim exiſtimatum fuerit, et felicius Coruinianae copiae cum Fridericianis conflixerunt. Quare Bonfinius male Friderici copias victrices, victas Mathiae facit; quum ita ſcribit: (*e*) *Quum regii milites primo bello, Simonis ductu et auſpiciis, parum proſpere pugnaſſent; tanta verecundia et dolore correpti ſunt, vt ſe a rege decimari poſtularint.* Dlugoſſus multo peius,

omnis,

(*a*) Ibid. p. 293. (*b*) Ibid. p. 240. 243. (*c*) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 204.—227. (*d*) Ap. Wagner Dipl. Sáros. p. 12. (*e*) Dec. III. Libr. X. p. 544.

omnis, inquit, (*a*) *exercitus Mathiae H. R. deletus: rex ipſe Mathias, ornamentis regiis, ne proderetur, abiectis, cum paucis fugiendo, perſequentium manus et captiuitatem euaſit: et Budam perueniens, meticuloſitate et puſillanimitate ingenti, renunciare, cedere regno, in animo ſuo firmauerat; et Frederico caeſari victori ſupplicem ſe facere deſtinabat.* Putidis hanc narrationem commentis et calumniis ſcatere, quiuis facile videt. Vel poeta, quum quid fingit, veriſimiliter fingere debet. Hic vero hiſtoricus illum Mathiae characterem affingit, quem illius indoles Martia, tot ſcriptorum calamis celebrata, ſatis ſuperque refellit. Experietur Caſimirus cum Polonis ad Wratislauiam, tam abiectae mentis Mathiam non fuiſſe. Hoc illud vulnus eſt, cui Dlugoſſus calumniis, in Mathiam toties iactis, mederi fruſtra conatur. Experietur et Fridericus, Auſtriam ipſam maſcula Mathiae virtute ſibi tandem eripiendam, qui nunc comitum S. Georgii ſcutum gentilicium augendo, victoriam aliquam, eorum virtute partam, ſibi vindicat, (*b*) *XIX. die menſis Iunii, A. D. MCDLIX.* Vel igitur duplex praelium fuit commiſſum, quorum altero victus, victor altero Mathias fuerit, vel vtrimque pari fere numero caeſis militibus, vtraque pars ſibi victoriam arrogauerit. Neque Pius propter cladem, ſed propter obicem belli Turcici Mathiae ſortem miſeratur, (*c*) *Mantuae, VI. Iunii pont. an. I.* Neque Turotzius vllius cladis, ſed victoriae potius ita meminit: (*d*) *Frederici, Rom. imperatoris, ambitioſam cupidinem, ſceptra regni Hung. ardentem, regemque ipſum, quadam opportunitate per barones quosdam*

(*a*) Libr. XIII. col. 224. (*b*) Ap. Kapr. P. II. p. 325. (*c*) Ibid. p. 333. (*d*) Chron. P. IV. cap. 65.

quosdam sibi attributa, culmine regio spoliare volentem, tum vi, tum ingenio compescuit et exstinxit. Nec est credibile factiosos, si hoc bello Fridericus Mathia felicior fuisset, ad hunc ab illo descituros fuisse, quod de Kanisaiis certum est ex Mathiae litteris, quibus eos in gratiam recipit, (*a*) *in festo B. Georgii M. A. D. MCDLIX.* Recepit et Ladislaum de Gara, cui ius mineras in suis fundis eruendi dedit. (*b*)

CCXLIII. Horum a Friderico tam repentina defectio certum nobis argumentum praebet Mathiae felicitatis. Vnde Fridericus, fluxam seditiosorum fidem expertus, pronior ad amplectenda pacis consilia fuit. Ioannes card. A. S. L. nihil diligentiae praetermisit, vt dissidentes principes ad concordiam reuocaret. Pius, eo propterea collaudato, (*c*) 2. *Iunii pont. an. I.* quum hoc pacis negotium lentius procederet, litem illam, si per oratores Hungaricos ad se delata fuerit, eidem ita suo iudicio dirimendam esse significauit, vt nullus iustae querelae locus esse possit, (*d*) *Mantuae, VI. Iulii.* Hac eadem die Fridericum quoque per litteras adhortatus est, vt suos et ipse legatos, Mathiae querelis responsuros, Mantuam mitteret. (*e*) Fridericus tamen maluit per arbitros finitimos litem dirimi. Quod quum Pius intellexit; episcopum Lucanum ad pacem promouendam misit, (*f*) *Mant. XXX. Iul.* Quum igitur Brunae conuentus, arbitro Podiebradio, celebratus fuisset; etsi pax coalescere non potuerit; induciae tamen ad Olomucensem vsque conuentum con-

(*a*) Ap. Kapr. P. II. p. 294. (*b*) Ibid. 369. Hist. Cr. T. XIV. p. 227.—247. (*c*) Ibid. p. 308. (*d*) Ibid. p. 335. (*e*) Ibid. p. 337. (*f*) Ibid. p. 339.

conciliatae ſunt, (*a*) *die XII. Augusti MCDLIX.* Quae quidem induciae Hungaris eo gratiores erant; quo maius a Turcis discrimen impendebat. Ad hoc auertendum Pius pontifex Mantuam, vt alias diximus, conuentum Chriſtianis principibus indixerat, ad quem paullo poſt, quam illuc appulit, Mathiam inuitauit, (*b*) *kal. Iunii MCDLIX.* Ipſum quoque Fridericum imp. eo quoque nomine, quod titulum regis Hung. receperit, ad eumdem adeundum cohortatus eſt. (*c*) A quo liberum nauibus per Germaniam tranſitum petiit, (*d*) *XI. Iun. pont. an. I.* Has inter Pii pontificis curas Turcae Szendrouiam occuparunt, quam perfidia Bosniae regis amiſſam eſſe teſtatur. (*e*) De hac iactura, queritur litteris ad marchionem Brandeburgenſem datis; (*f*) *Mantuae, XXIV. Iulii, MCDLIX. Oppidum,* inquit, *Zendreu, in Raſſia conſtitutum, inſignis cuſtodiae locus, nuper in poteſtatem Turcorum deuenit.* Turcici quidem annales tradunt, obſeſſam a Mahomete fuiſſe, caeſoque rege Stephano, captam; ſed alii perhibent, ab eius filio, cuius cuſtodiae credita fuit, auro Turcis venditam ac patre conſcio, proditam fuiſſe. (*g*)

CCXLIV. Quum Turcae, hac eſca hoc anno contenti, non quicquam vltra tentauerint; Pius pontifex Ioanni card. de conſeruandis in futuras neceſſitates 20. millibus aureorum, in ſubſidium belli, contra Turcas ab Hungaris gerendi, nuper a ſe miſſis, ita ſcripſit: (*h*) „ Nouit circumſpectio

„ tua

(*a*) Ibid. p. 341. (*b*) Ibid. p. 304. (*c*) Ibid. p. 305. (*d*) Ibid. p. 320. (*e*) Ibid. 339. (*f*) Ibid. p. 538. (*g*) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 249.—279. (*h*) Ap. Kapr, P. II. p. 344.

„ tua paupertatem Rom. ecclesiae et sumtus ingen-
„ tes, quos in manutenendis terris et celebranda
„ diaeta facere hucusque sumus compulsi. His au-
„ tem non obstantibus, quum superioribus diebus
„ de aduentu Turcorum et periculo, imminenti
„ regno Hungariae, ex tuis litteris cognouissemus;
„ commisimus tibi per alias litteras nostras, vt 20.
„ millia ducatorum in eam subuentionem expone-
„ res, quae tibi propediem essemus integre remis-
„ suri. Quum itaque postmodum intellexissemus,
„ Turcum cum suo exercitu in Graeciam se rece-
„ pisse; — si videret circumspectio tua, talem ex-
„ pensam necessariam ad praesens non esse; gra-
„ tissimum nobis esset, vt ab illa pro nunc desi-
„ neres. Nos enim summam ante dictam non le-
„ ui onere mutuamque accepimus. — Dat. Man-
„ tuae, VIII. Sept. pont. anno I." (II.) Etsi conuentus ille Mantuanus in kal. Iunias indictus fuerit; quia tamen oratores lentius, et nonnisi post multas Pii sollicitationes ad illum comparuerunt; tractatio rerum praecipuarum ante IX. Septembris inchoari non potuit. Subinde pontifex de bello sacro, contra Turcas suscipiendo, prolixam trium fere horarum orationem dixit, ita de Hungaris inter cetera loquutus: (*a*) „ — Soli fideles Hungari
„ perseuerant. Non tamen diu stabunt; nisi adiu-
„ ti. Et hi quidem muri loco vobis ad orientem
„ remanserunt; quo diruto, neque Teutones, ne-
„ que Bohemi, neque Poloni satis tuti erunt. Non
„ asperi montes, non alta flumina iter impedient.
„ Nihil erit, victa Hungaria, Turcis inuium, nihil
„ insuperabile orbis imperium quaerentibus. —"
Ita quidem optimus pater Hungariae periclitanti suc-

(*a*) Ibid. p. 545.

ſuccurrere conabatur: quia tamen principes Chriſtianos in ſtudio ſacri belli remiſſiores experiebatur, vt de Mathiae conſilio certior redderetur, Ioanni card. demandauit, (*a*) *Mantuae V. Nouembris, anno II.* Promtiores Aſiaticos principes, vt ex eorum reſponſis liquet, (*b*) pontifex habuit, quam Europaeos, quos ſi potuiſſet vnire, nullum eſt dubium, quin extrema pernicies et clades Turcis inferri potuiſſet. (*c*)

CCXLV. Mathias, praeter duo bella, quorum alterum cum Romanorum, cum Turcarum imperatore habuit alterum, initio ſui principatus obiectus erat etiam tertio, quod cum Bohemis latronibus, per ſuperiorem cumprimis Hungariam graſſantibus, continuo gerendum erat. Bellum hoc, anno ſuperiore Sebaſtianus de Rozgon, vt vidimus, geſſit. Hoc anno Mathias, vt ad Caſſouienſes ſcribit, (*d*) *pro defenſione illarum partium ſuperiorum regni— Ladislaum de Palotz, iudicem curiae, ac Simonem Czudar de Olnod, magiſtrum curiae, in capitaneos generales praefecit.— Dat. Budae, tertio die reſurrectionis domini, anno eiusdem MCDLIX.* Dum hi duces extimas; ipſe rex cum Sebaſtiano Rozgonio medias Hungariae partes a latronibus repurgabat. *Quum*, inquit Bonfinius, (*e*) *Bohemicum in viſceribus Hungariae bellum et neceſſaria Michaelis reconciliatio ſupereſſet; Sebaſtianus primo tempore Rozgonius iuſſu regis in Boemos caſtra mouet: ipſe propediem, vt ſe auunculo reconciliaret, ad Tibiſcum amnem profecturus erat; quamuis regni*

gni

(*a*) Ibid. p. 353. (*b*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 236.—244. (*c*) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 279.—292. (*d*) Ap. Kapr. P. II. p. 280. (*e*) Dec. III. Libr. X. p. 552.

gni negotia cunctationis aliquid interiicerent. Boemi ligneum in monte castellum fecerunt, quod Patha nominarant. — (ad Matrae radices) — *Quum irri tos sibi conatus Rozgonius fore existimaret; — ad regem venire decreuit. — Audit, ad Tibiscum amnem reconciliationis gratia illum iter facere. Quare extemplo sequutus, in citeriori Tibisci ripa, ad Várkon regem adhibet; in vlteriore ad Tisza-Varsán Michael erat auunculus. [illegible] ibi aliquot acti sunt: colloquium in Tibisci ripa celebratum: pauci vtrimque arbitri adfuere. Multae a principio vltro citroque intercessere incusationes et querelae: multae vtrimque purgationes interiectae: ad postremum postulata et concessa mutuo venia: pacati animi: — reconciliatio non sine lacrimis ac icti foederis sollemnitate transacta.* Szilagyium opera coqui liberatum fuisse, iam prius narrauit, qui quum Turcas adesse clamitasset; obuiam egressa cohorte praesidiaria, dominum suum e carceribus eduxit: qui *ad regem mox nuncium salutis suae misit:* „ se plus coquo, quam „ nepoti debere " *significans. — Mathias — rescripsit ad auunculum:* „ liberationem suam, quae pro„ pediem instabat, fuisse gratissimam: — id non„ nullorum scelere factum esse " *non inficiatur. Michael, nunc regem Agriam vsque sequutus,* quum inferiores subinde partes contra Turcas tutatus fuisset; ab iis ad Posasinum interceptus, [illegible] anno sequente Constantinopoli caesus est. Mathias vero Patham profectus, ea dedita, multas alias arces, vt Sajó-Némethi, Balogh, Gömör, Osgyán, Széts, Salgó — *partim vi, partim deditione cepit.* Dum istic Mathias Bohemorum licentiam reprimit; alibi Palotzius eosdem persequutus Cassouienses strenuos adiutores habuit; quos propterea Mathias meritis

laudibus

laudibus ornauit, (*a*) *Budae, ſabb. prox. poſt feſt. B. Andreae ap. A. D. MCDLIX.* Rozgonios remuneratus, caſtrum Tata certis conditionibus illis poſſidendum conceſſit, (*b*) *Budae, in feſto B. Lucae euang.* Sebaſtiano ſpeciatim cum foederatis, omni trimeſtri, tempore belli, 4000. flor. addixit, (*c*) *Budae, feria III. prox. poſt feſt. B. Emerici ducis, A. D. MCDLIX.* (*d*)

A. C. 1460. *Math.* 3. *Ind.* 8. *P.* 13. *A.*

CCXLVI. Interea Pius pontifex de bello Turcis inferendo cum principum Chriſtianorum oratoribus Mantuae diligenter agebat: et quia, quicquid communi conſenſu decretum eſt, ad periculum ab Hungaris auertendum praecipue pertinebat; de curarum ſuarum effectu cardinalem S. Angeli, ſuum in Hungaria legatum, certiorem reddidit, (*e*) *Mantuae, X. Ian. pont. an. II.* Haec eadem ſcribit ad Franciſcum, Interamnenſem epiſcopum, in Anglia S. A. L. „Vires, *inquit*, (*f*) Turcorum „ augentur: a qua impia ſeruitute ſi liberari tandem „ non poterunt fidelium animae; teſtificabimur coram „ DEO et hominibus, non ſtetiſſe per nos, „ neque per ſanctam ſedem apoſtolicam, quo minus „ lex ſua et ſanctum euangelium, atque adeo „ Chriſtiana religio ſint ab illis conſeruata. —" Tertio poſt die Fridericum imp. expeditionis ſacrae ducem ita declarauit: (*g*) „ — Bello iam contra „Turcas

(*a*) Ap. Kaprinai H. D. P. II. p. 263. (*b*) Ibid. p. 350. (*c*) Ibid. p. 356. (*d*) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 292.—305. (*e*) Ap. Kapr. P. II. p. 377. (*f*) Ibid. p. 380. (*g*) Ibid. p. 381.

„ Turcas indicto, et peracta Mantuana diaeta, in „ qua octauum mensem propemodum agimus, et „ rebus etiam ita compositis, vt, iuuante diuina „ clementia, exspectari communis salutis secundus „ exitus possit; de duce, ad tantum bellum prae- „ ficiendo, a modo est cogitandum. — Haec igi- „ tur cogitatione nostra voluentes, — tu nobis, „ carissime fili, primus occurristi, non solum cui „ tantum munus ex imperiali officio debitum cen- „ seatur; sed cui omnes gentes parere et subesse „ non dedignentur —. Dat. Mantuae, XII. Ian. an. „ II. " Tum de rebus Mantuae transactis tam legatum cardinalem, (*a*) quam ipsum etiam Mathiam regem edocuit, (*b*) *Mantuae*, *XVIII. Ian. MCDLX.* Demum Hungariae quoque proceribus auxilia promissa perscripsit, (*c*) *Mant. XXIV. Ian. an. II.* Quae, priusquam Mantua discederet, ita principum oratoribus exposuit: (*d*) *Germani pollicentur exercitum 42. millium bellatorum; Burgundus 6000. Itali, exceptis Venetis ac Genuensibus, cleri decimas, populi trigesimas annuorum redituum, ac vigesimas Iudaicae substantiae; ex quibus nauales copiae sustentari queant. Idem facit rex Aragonum. Ragusaei duas triremes offerunt; Rhodii quatuor. — Veneti quamuis publice nihil promiserint; quum tamen expeditionem paratam viderint; haudquaquam deerunt. — — Hungari 20000. equitum armabunt; peditum haud minorem numerum: qui Germanis iuncti ac Burgundis, 88. millia militum in castris habebunt. Et quis non his copiis superatum iri Turcas*

(*a*) Ibid. p. 387. (*b*) Ibid. p. 385. (*c*) Ibid. p. 388. (*d*) Ap. Cont. Fleur. T. 28. p. 654.

cas arbitretur? His accedet Georgius Scanderbegus; — et in Asia Caramanus. — (*a*)

CCXLVII. Etsi tantis optimi pontificis curis ac conatibus par effectus non responderit; neque promissa sua Christiani principes expleuerint; Pius tamen partibus suis non defuit, ac in subsidium belli Turcici Mathiae 40. millia florenorum auri promisit, (*b*) *Senis*, *XX. Febr. an. II.* litteris eodem die hac de re datis etiam ad legatum card. (*c*) ad quem querelas suas de tarditate principum Christianorum in exsequendis Mantuani conuentus pactis post duos menses perscripsit, (*d*) *Senis*, *XXV. Apr. an. II.* Cessantibus Christianis, inualescebant Turcae, quibus anno superiore castrum Szendrö perfidia Stephani Thomae, regis Bosniae, proditum fuisse diximus. Quum barbari, Szendrouia potiti, Belgrado non obscure iam insidiarentur; Szilagyius castrum Keui probe communiuit, ac inde saepius in ditiones Turcicas procurrit, donec ab hostibus interceptus ac interfectus fuisset, vt alias innuimus. Caedem vltra hunc annum differri non posse, colligitur ex Mathiae diplomate, quo *Margaretham*, *relictam condam dominam Michaelis Zilagyi*, — *felicis memoriae*, relinquit et confirmat in possessione castri Dyod, (*e*) *fer. III. prox. ante fest. B. Georgii M. A. D. MCDLX.* Stephanus Thomas, ea perfidia non contentus, clamdestino foedere cum Turcis inito, Stephano quoque Cossarichio, duci S. Sabbae, socero suo, bellum intulit, ac in eius ditionem Turcas exciuit. Vt autem clam-

 cularíam

(*a*) Hist. Cr. T. XIV. p. 315.—328. (*b*) Ap. Kapr. P. II. 395. (*c*) Ibid. p. 393. (*d*) Ibid. p. 419. (*e*) Ibid. p. 481.

culariam hanc cum Turcis amicitiam facilius tegeret; suos et ipse legatos ad conuentum Mantuanum iam anno superiore miserat, qui, teste Farlato (*a*) *duo postularunt a pontifice, primum:* „ vt Stephano regium nomen ac diadema conferret; *alterum*, vt duos tresue episcopos ritus Latini in ea regione constitueret, qui fidem catholicam tuerentur ac propagarent; et a quibus, qui deinceps in regnum succederent, regalia insignia acciperent." *Vtrique postulato vehementer reclamatum est ab oratoribus Mathiae, regis Hungariae; vtrumque enim supremo regum Hung. imperio officere videbatur.* Quum ad Mathiam falso rumore perlatum fuisset, pontificem postulatis eius annuisse; hic primum quidem legato suo, rem aliter se habere, significauit, (*b*) *Senis, XII. Martii, an. II.* deinde vero suspicionem omnem ex animo Mathiae his litteris euulsit: (*c*) „ Timere celsitudo tua videtur per litteras, — ne propter aduentum oratorum Bosnensium, ad concedendos illi regno episcopos, dandamque Thomae regi coronam, faciles aures praebeamus; credens, omnia haec ad velandam proditionis suae infamiam pertinere. Nos autem, carissime fili, non ita sumus harum rerum ignari, aut ad gratiam faciles, vt non extimeamus, quae sequi ex concessione huiusmodi vlterius possent. — — Dat. Petriolis, Volater. dioec. VII. Iun. an. II. " (*d*)

CCXLVIII. Optimos tam Pii pontificis, quam Mathiae regis aduersus Turcas conatus plurimum sufflaminarunt dissensiones illae, quae regem hunc cum

(*a*) Illyr. S. T. IV. p. 73. (*b*) Ap. Kapr. P. II. p. 399. (*c*) Ibid. p. 424. (*d*) Hist. Cr. T. XIV. p. 321.—348.

cum imperatore Friderico commiserunt. Anno superiore Georgius Podiebradius, arbiter pacis electus, inducias ad festum vsque S. Ioannis Bapt. conciliauit, et ad festum conuersionis S. Paulli conuentum, Olomucii celebrandum, indixit. Quum ad praestitutum locum et diem ipse comparuisset; biduo post etiam oratores caesaris adfuerunt. Sed Hungarici, propter infestas vias vltra Trenchinium progredi non ausi, suas ad Podiebradium litteras ad maiorem itineris securitatem impetrandam dederunt, (*a*) *Trenchinii, in festo purificationis MARIAE, gloriosae virginis, anno MCDLX. Albertus* de Vethes, *episcopus Vesprim. et Ioannes de Rozgon, tauern. reg. M.* Quum Olomucii nihil octo fere dierum spatio confici potuisset; Podiebradius alium ad kal. Maias conuentum Pragam edixit, ad quem pontifex suum itidem legatum, card. Bessarionem, ire iussit, ac sententias etiam ecclesiasticas ad pacem facilius promouendam adhibendi potestatem concessit, (*b*) *Senis, an. MCDLX. IV. kal. Ap.* Appropinquantibus kalendis Maii, suos Mathias oratores, Eliam, ep. Nitrien. et Mathiam Libak, castellanum Oroszlanköuien. ad eumdem conuentum litteris suis comitatus est, (*c*) *datis Budae, in festo S. Georgii M. an. MCDLX.* Neque hic quicquam concludi potuit, quod praeter 100. aureorum millia plures Hungariae ciuitates Fridericus sibi cedi voluerit. Induciae tamen ad kal. vsque Februarias anni venturi prorogatae sunt. Etsi vero nihil e sententia hic cesserit; spem tamen pacis alibi conficiendae card. Bessarion nondum posuit, ac ad imperatorem reuersus, effecit, vt nouus Neostadii conuentus ad

(*a*) Ap. Kapr. P. II. p. 389. (*b*) Ibid. p. 406. (*c*) Ibid. p. 418.

ıtembres indiceretur. Quum idem hic card. :quam imperii principes, propter domesti-ènsiones, ad suppetias, Mantuae promissas, ıtioni dandas adhortatus fuisset; pontifex in- ex hac eorum inertia dolorem hausit. „Prae- t tandem, *inquit*, (*a*) hostis noster aduer- nos. — Possumus nimium fortem Christiani ıli deplorare. Negligentiam potentatuum ac- e possumus nos coram DEO, qui annun- illis verbum salutis non recusauimus. — nostra — a paucis est exaudita: non cre- ur pericula, quae sunt ab oculis longius a. Sed, proh dolor! — lugebunt mala, non timuerunt. — Dat. Romae VIII. Iulii I." (*b*)

:XLIX. Quum nullo conatu Pius pacem in- identes principes conciliare potuisset; con- ıiennalibus induciis, Mathias ad pacem cum ceterisque latronibus Bohemis componen- ıimum adiecit. Sed neque hic quicquam inducias, dato Bohemis auro redemtas, ob- Pro nauata tamen contra latrones istos Sigismundo Rozgonio castrum Balogh, ab recuperatum, in praemium contulit, (*c*) *ae, in festo B. Elisabeth, anno dom. MCDLX.* m inde profectus, a Podiebradio nuncium, ıe suae nuptiis acturum, accepit. Haec, se- n pacta Straznitzensia, iam anno superiore, ılta 100000. florenorum, in Hungariam ad- lebuisset. Praestitutum traductioni tempus consensione videtur immutatum esse; quod Mathias

---

p. Rayn. ad an. 1460. (*b*) Hist. Cr. T. XIV. p. 351. 361. (*c*) Ap. Kapr. P. II. p. 450.

Mathias, bellis implicitus, nuptiarum ſollemnia commode celebrare non potuerit. Nunc his motibus vtcumque ſedatis, ac induciis tam cum Friderico caeſare, quam cum Bohemis latronibus conciliatis, Mathias conſenſit, vt ad feſtum S. Thomae proxime venturum ipſe Trenchinium, Podiebradius Olomucium proficiſcatur, vt dos pro futura regina conſtituatur. (*a*) *Dat. Caſſouiae, in feſto B. Catharinae V. et M. anno MCDLX.* Sed Podiebradio, quum iter ingredi voluiſſet, impedito, conuentus ille poſt kalendas Ianuarias anni ſequentis differri debuit. Mathias igitur, dimiſſis copiis, non Trenchinium, ſed Budam, vnde plures iam menſes abfuerat, iter intendit. Poſtquam eccleſiae Quinqueeccleſienſi Ioannem Ceſinge, ſub Iani Pannonii nomine poetam inſignem, praefeciſſet; ad eccleſiam Zagrabienſem inſtaurandam, quam triſtia fata tricenis iam annis premebant, exemplo patris ſui, curam omnem conuertit, ac Ioannis Vitezii, Varadinenſis epiſcopi, qui Ioannis Quinqueeccleſienſis auunculus erat, induſtria tandem effecit, vt, quemadmodum ad Pium ipſe perſcripſit, (*b*) *bona illius eccleſiae poſt triceſimum tandem annum a manibus laicorum penitus eximerentur, et quaſi in vnum corpus, quamuis ſatis vexata et afflicta, reſtituerentur.* Memor item beneficiorum, Ioannis Capiſtrani meritis acceptorum, omnem induſtriam adhibuit, vt magnus hic ſui patris amicus et commilito ſanctorum faſtis adſcriberetur. Idem agebat et Nicolaus Vilakius, inter alia his quoque verbis vſus: *Audiuimus etiam, ipſum ſer. regem noſtrum coram multis baronibus et nobilibus dixiſſe:*

 „ipſum

(*a*) Ibid. p. 459. (*b*) P. I. Ep. XIX. p. 67.

„ ipsum fuisse liberum de carceribus et electum „ regem, emisso voto ad ipsum beatum patrem.“ (a)

A. C. 1461. *Math.* 4. *Ind.* 9. *P.* 5. *A.*

CCL. Quum anno superiore Podiebradius, nunciis quorumdam electorum ad se venientibus, iter suum suspendere debuerit; iis sub exitum Decembris Praga reuersis, in viam se dedit, ac Olomucium 5. Ianuarii peruenit, vbi iam illum Mathiae legati, Ioannes Rozgonius et Franciscus Chakius, exspectabant. Ipse Mathias Trenchinii substitit, ac inde litteras ad Bartfenses, vt Stephanum Zapolyium et Ladislaum Vporium in persequendis latronibus adiuuarent, dedit, (b) *feria VI. prox. post epiph. domini, anno natiuitatis eiusdem MCDLXI.* Ibidem ratum habuit tractatum de modo traducendi sponsam, kalendis Maii Trenchinium promouendam, cui *pro dote castra Vetero-Budam et Diosgewar* (f. Diosgyör) *insulam Chepel et Comanos reginales; — alia item castra, quae Barbara, Sigismundi imp. quondam, pro dote habuit*, assignauit; praeterea *singulis annis* 7000. *aureorum.* — *Dat. Trenchinii, in festo conuers. S. Paulli A. A. D. MCDLXI.* Pactis hisce confirmatis, sponsa Trenchinium, deinde Budam maxima cum sollemnitate deducta, benedicente cardin. Strigon. Mathiae iuncta fuit, ante coronationem eius e viuis excessura. Quia vero Bohemi latrones, neque Bohemae reginae habita ratione, grassari desierunt; immo nouas e Polonia subsidiarias latronum copias exciuerunt; Mathias quoque nouas ducibus suis sup-

---

(a) Ep. Coru. P. III. p. 106. P. I. p. 407. Hist. Crit. T. XIV. p. 361.—430. (b) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 70.

suppetias decreuit, ac Bartfenses viritim aduersus eos arma sumere iussit, (a) *Budae in festo pentecostes* (24. Maij) *A. D. MCDLXI.* Vt autem Cassouiensibus expensas, in expugnandis latrunculorum munimentis factas, resarciret; de centum marcis argenti monetas signandi gratiam illis concessit, (b) *Budae, in festo B. Ioannis B. A. D. MCDLXI.* Bartfenses quoque pro praestitis obsequiis collaudauit; vtque contra latrones auxilia, donec ipse cum copiis adueniat, deinceps quoque praestarent, demandauit, (b) *in oppido Hatuan, sabb. prox. post fest. visitat. B. M. V.* (4. Iulii) *A. D. MCDLXI.* Castris Hatuanino promotis, Szikszouiam profectus, Sebastiano Rozgonio 100. florenos auri, quot mensibus soluendos, addixit, (c) *in oppido Szikszo, feria II. prox. ante fest. B. M. Magdalenae.* Hinc ad castrum Diósgyór digressus, Cibiniensibus e regio 215. florenorum auri censu, quotannis ad reparandas ruinas, a Bohemis latronibus factas, XV. relaxauit, (d) *in Diosgyör die dom. prox. ante fest. B. Laurentii M.* (e)

CCLI. Arce Sarosiensi Zapolyiis dedita, tam potens tamen adhuc Giskra fuit, vt eius amicitiam contra Mathiam Fridericus imp. expetendam sibi censuerit. Postquam illum caesari fidem iurasse Mathias intellexit; et ipse cum Alberto, Friderici fratre, foedus iniuit. Quamuis autem per noua haec Friderici cum Giskra, Mathiae cum Alberto foedera spes pacis sublata videri potuerit; cardinales tamen, A. S. legati, Bessarion apud Fridericum

(a) Ap. Kapr. P. II. p. 407. (b) Ibid. p. 496. (c) Ibid. p. 500. (d) Ibid. p. 504. (e) Hist. Cr. T. XIV. p. 448.—461.

cum, Ioannes apud Mathiam, omnem industriam expromserunt, vt, sublatis inter eos dissidiis, optata pax tandem coalesceret. Neque tanti conatus omni fructu caruerunt. Quum enim caesar per Albertum fratrem intestino bello vexaretur; proniores aures adhortationibus legati praebuit. Qua de re certior factus pontifex, ingentem se laetitiam inde hausisse, Friderico significauit, (a) *Romae, XIV. Maii, pontif. an. III.* Difficilius Mathias ad nouum pacis tractatum induci potuit; postquam, Friderici duritiem toties expertus, nouum cum Alberto duce foedus aduersus illum pepigit. Ioannis tamen legati precibus ac exhortationibus victus, in conuentum, Iaurini 4. Iunii celebrandum, consensit, ad quem foederatum suum, Albertum, itidem inuitauit, (b) *Budae, feria V. ante fest. SS. Trinitatis* (28. Maii) *anno MCDLXI.* Neque hic quicquam concludi potuit; neque Mathias Alberto deesse voluit, in auxilium illi submissis contra Fridericum 4000. equitum. Sed quum Giskra Fridericum adiuuisset; induciis ad kal. Iulias anni sequentis inter Fridericum et Albertum confectis, *Mathias, (c) oborto rumore, Mahometem ingentibus copiis Belgrado incubiturum, militem vndique contraxit, et stipendiarios, quos Alberto suppetias miserat, domum reuocauit.* Tum vero pontificem per litteras orauit, vt card. legatus, qui iamiam Romam rediturus erat, in Hungaria remanere permitteretur, nouaque belli subsidia quamprimum mitterentur. Pontifex Mathiae consilio, quod ipse copiis praeesse velit, collaudato, caussam, cur subsidia mittere non posset, reddidit; vt tamen porro quoque

(a) Ap. Kapr. P. II. p. 489. (b) Ibid. p. 494. (c) Pray Ann. P. III. p. 262.

que legatus in Hungaria perſiſteret, indulſit, (a) *Romae, II. Maii, pont. an. III.* Periculum tamen, quod a Turcis impendebat, intra metum hoc anno conſtitit, quo Mahometes, animo repente commutato, copias in Aſiam traiecit, ac infelices Graecorum reliquias ſub iugum miſit. Quum igitur Hungaria hoc anno metu belli liberata ſit; card. legatus, hoc munere multis annis in hoc regno cum laude functus, ſub initium autumni Romam reuerſus eſt. (b)

A. C. 1462. *Math.* 5. *Ind.* 10. *P.* 18. *A.*

CCLII. Graecis in Aſia domitis, Bosniae belli Turcici moles imminebat. Stephanus Thomas, cuius perfidia Szendrouiam Mahometi traditam fuiſſe diximus, ſub anni ſuperioris exitum mortuus, ſucceſſorem accepit Stephanum filium, quem ex Mathiae Coruini regis inſtigatione patri violentas in lecto manus intuliſſe, morboque familiari mortuum in vulgus ſparſiſſe, Catharinam coniugem, detecto parricidio, Mahometem in vindictam euocaſſe, Dufrenius ex Luccario ſcribit. (c) Sed enim aliam Turcarum, in Bosniam irrumpentium, cauſſam fuiſſe, Gobellinus tradit. Alia quoque Mathiae regis indoles erat, quam vt eiusmodi ſcelere vindictam ſumere vellet. Neque ſe tam inimicum ei praebuiſſet; ſi, ſe volente, tantum ille facinus perpetraſſet. Nam, poſtquam illum in gratiam a pontifice receptum intellexit; ac, vt idem ipſe quoque faceret, adhortatorias ab eodem litteras accepit; hoc

(a) Ap. Kapr. P. II. p. 488. (b) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 470.—480. (c) Illyr. Cap. VIII. p. 122.

hoc illi responsum reddidit: (*a*) „ — — Memoria „ quidem hominum nemo tantum in nos et re- „ liquos Christianos facinus admisit, quantum rex „ Bosniae: qui quum esset subditus regum Hunga- „ riae, a quibus omne ius regni habet, non ita „ magna necessitate compulsus, desciuit ad Turcos, „ et inimicos crucis, tributi sui pensione, reddi- „ dit fortiores. Nec eo contentus, simulauit re- „ conciliationem: — dominos et benefactores suos „ ita circumuenit, vt, quum propria spopondisset „ auxilia; etiam id, quod a nobis acceperat (*Szen-* „ *drouiam*) tradidit aduersariis. — Tantae sibi per- „ fidiae conscius, veniam ab his, quos offenderat, „ vel petere erubuit, vel impetrare desperauit. „ Sed pro voto nactus apostolicam sedem, ad in- „ dulgendum naturaliter pronam, — ita deliniuit „ pie credulum iudicem, vt, vnde poenam mere- „ batur, inde obtinuerit gratiam. — Nam — im- „ pensa est regibus Bosnae, patri prius, nunc etiam „ filio, ab apost. sede tanti criminis absolutio. — — „ Dat. Budae, 1462.“ Mathias tamen opera tam Vitezii, quam cardinalis S. Angeli Bosniae regi conciliatus est. Subinde *Stephanus*, inquit Dufresnius e Gobellino, (*b*) — *cum Mahumeto foedus rupit, negato consueto tributo; illiusque cum insolenti responso dimissis legatis, coactisque a decessoribus immensis thesauris, in virium ac potestatis speciem ostensis; si ab eis bello impeteretur. Ea contumelia mirum in modum permotus sultanus, proximo anno* bellum eidem intulit. Haec vera belli caussa fuit. (*c*)

CCLIII.

(*a*) Epist. Math. P. I. N. 26. p. 93. (*b*) Illyr. Cap. VIII. p. 123. (*c*) Hist. Cr. T. XIV. p. 490.—504.

CCLIII. Conſtituerat quidem Mathias exercitum, contra Bosniae regem educendum, ſub initium Maii cogere; quia tamen illi iam conciliatus, aliquam ſpem pacis, cum Friderico quoque conciliandae, poſtquam ab eius colloquio Vitezius rediuerat, accepit; in alteram poſt feſtum S. Marci hebdomadam comitia Budam indixit, (*a*) in quibus primum Mathiae decretum; tres dumtaxat articulos complexum, eſt conditum, hoc ordine: (*b*) „ *Art. I.* Articuli, in quibus, iuxta antiquam con„ ſuetudinem regni, euocatio ſine procraſtinatione „ extra octauas fieri poteſt, in praeſentiam perſo„ nalem regis, vbicumque intra ambitum regni „ fuerit. *II.* Articuli, qui concernunt notam in„ fidelitatis; et in quibus et aliis poſſint per D. re„ gem poſſeſſiones et bona delinquentium alicui „ donari. *III.* Cauſſae, forum ſpirituale concer„ nentes. — Datum Budae, 20. die congregatio„ nis generalis ſupra dictae, A. D. MCDLXII." His Budae confectis, Vacium Mathias conceſſit. Cauſſam ad Hieronymum, Cretenſem archiepiſcopum, nouum A. S. legatum, ita perſcripſit: (*c*) „ Nunc in hoc oppido Vacienſi cum hoſtibus no„ ſtris, partium regni ſuperiorum infeſtatoribus, „ valde arduos, et quos omittere vel differre con„ ſilia noſtrorum nos non permittunt, habemus tracta„ tus." Et rurſum alibi: (*d*) „ Cum comitibus „ de Bozyn facta pax eſt. — In praeſentiarum hic „ Vaciae conſtituti, laboramus in facto Giskrae; „ quod et ipſum proſpero iam fini propinquat.—" Quum ad reliquias latronum perſequendas rurſus

Mathias

(*a*) Epiſt. Math. P. I. N. 24. p. 52. (*b*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 215. (*c*) Epiſt. Math. P. I. N. 3 p. 8. (*d*) Ibid. N. 4. p. 9.

Mathias Stephanum de Zapolya misisset, vt ex litteris ad Bartfenses *fer. 4. prox. ante fest. B. Gregorii PP. A. D.* 1462. datis, (*a*) patet, pressis vndique Bohemis, Giskra ratus, se potentiae regis diu resistere non posse, cum eo tandem in gratiam redire constituit. Mathias supplici veniam, Lippam et Solium cum 25. millibus aureorum dedit. *Giskra*, teste Bonfinio, (*b*) *regia liberalitate confusus*, — *in lacrimas conuertitur; et pauca respondens, fidelissimum perpetuumque obsequium, interiecto sancte iuramento, regi pollicetur;* — *et addictam regi fidem ad mortem vsque sancte seruat.* Telephus, in Bohemiam reuersus, mendicando vitam sustentauit. Komorouszkium Szetsius archiepiscopus, addictis illi decimis *Turozienfibus, Aruen. Liptou. et Solien.* (*c*) a latrociniis abstraxit. Hic diuturni belli, quod vltra vicenos annos Hungariam vexauerat, finis fuit. *Tantos guerrarum turbines*, inquit Turotzius. (*d*) — *rex Mathias circa* 1462. *domini annum* — *cessare coegit.* (*e*)

CCLIV. De latrocinio hoc exstirpato Mathias Albertum, Austriae ducem, quum illi generalem regni conuentum, ad lites cum Friderico complanandas indictum, significasset, ita certiorem reddidit: (*f*) „ — Cum Ioanne Giskra et aliis com„ plicibus suis ac etiam his, qui fratres vocantur, „ bonam dispositionem et concordiam, DEO iu„ uante, his diebus conclusimus: ita quod castra, „ castella et omnia, quae adhuc tenent, ad ma„ nus

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 121. (*b*) Dec. III. Libr. X. p. 530. (*c*) Epist. Math. P. I. N. 71. p. 82. (*d*) Chron. P. IV. cap. 34. 65. (*e*) Hist. Cr. T. XIV. p. 505.—525. (*f*) Ep. Math. P. I. N. 48. p. 112.

„ nus noſtras aſſignabunt et reſtituent. Giskra manebit apud nos: et quod pollicitus eſt nobis et „ praefato regno noſtro, praeſertim aduerſus Turcos, ſe perpetuo fideliter ſeruiturum. Dat. 1462.“ Idem Raguſanis perſcripſit, auxilia contra Turcas illis ita pollicitus: (*a*) „ — Haec omnia — ideo „ praecipue agimus, vt, pacato vndique regno noſtro, — et ſopitis circumquaque diſcordiis, vicinorum perturbationibus exonerati, defenſioni ac „ vindictae noſtrae et Chriſtianorum propugnationi liberius vacemus. — Dat. 1462.“ Apoſt. ſedis legatus ſociam Vitezio iunxit operam in Friderico cum Mathia conciliando, cui hae diſſenſionum cauſſae ſunt proditae: (*b*) *Coronae detentio*, *metarum occupatio*, *impedita regni libertas et alieni iuris cum titulo nomen aſſumtum*. Mathias tamen, vt articuli tractatuum, citra ſuum conſilium a Vitezio cum Friderico concluſi, *etiam ab vniuerſitate regni acceptentur*, *in congregatione generali*, *proxime futura*, *ſe daturum operam*, eidem Friderico promiſit. (*c*) Poſtquam igitur generalis illa congregatio coacta fuiſſet; articuli quidem et conditiones pacis oblatae multis duriores, quam vt admitti poſſent, videbantur; habita tamen ratione temporis, vt epiſcopus Quinqueeccleſ. ad A. S. legatum ſcribit, (*d*) *etiam oneroſas concordiae partes amplexi ſunt*, — *vt liberiores et expeditiores per hoc contra hoſtem fidei tam animis reddantur*, *quam viribus*. Ex eadem congregatione Vitezius ad cardinalem S. Angeli Romam ita ſcripſit: (*e*) „ Giskra ad fidelia regis aſſumtus ſeruitia, praeſertim aduerſus „ Turcos, operam ſpopondit militarem. Nunc ſu-

„ mus

(*a*) Ibid. n. 25. p. 6. (*b*) Ibid. n 2. p. 2. (*c*) Ibid. n. 1. p. 1. (*d*) Ibid. n. 5. p. 13. (*e*) Ibid. n. 29. p. 32.

„ mus in congregatione generali; et conclusa sunt, „ quae ad firmandam cum imperatore Rom. concor- „ diam pertinebant. — " Quum pro corona Fridericus 60. millium aureorum summam exegisset; aerario regis exhausto, proceres vltro contributionem vnius aurei promiserunt, vt ipse Mathias testatur, pollicitus, se numquam *ab eis aliquam contributionem petiturum.* — *Dat. feria* 2. *post fest.* — *domini, anno eiusdem* 1462. (*a*) Haec etiam ad Bartfenses perscripsit, a quibus 2000. flor. auri pro corona redimenda postulauit. (*b*) *Dat. Szegedini, in festo B. Laurentii M. A. D. MCDLXII.* Ad eamdem contributionem praestandam tam Ragusani, quam Transsiluani per litteras admoniti sunt. (*c*)

CCLV. Mathias Szegedino profectus in Transsiluaniam, inde Valachiae copias infundere constituit, cui hoc tempore Dracula praefuit, postquam aemulum suum, Dan dictum, vicisset ac interfecisset anno 1460. Hunc tamen Laonicus non Draculam, sed *Bladum, Draculis filium,* vocat. (*d*) Ceterum Timon vniuerse censet, (*e*) *huius regionis incolas praesides suos, tyrannice se in munere tractantes, per summum dedecus, Draculas appellasse; Dracul enim lingua eorum cacodaemonem valet.* Idem auctor corrigit Spondanum, qui putat, Bladum seu *Vladum idem esse, quod Vladislaus. Significat enim,* inquit, (*f*) *Vladus, seu Vladica, habentem potestatem.* Quum igitur neque Vladi, neque Draculae nomen pro proprio, sed appellatiuo

---

(*a*) Ex MSS. Heuenes. T. R. p. 50. (*b*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 123. (*c*) Hist. Cr. T. XIV. p. 527.—547. (*d*) Ap. Stritter T. II. p. 922. (*e*) Imag. N. H. C. XV. p. 152. (*f*) Epit. Chron. p. 144.

no haberi debeat; ingens in scriptoribus confusio, quum de Valachiae principibus agunt, oritur. Is, qui nunc Valachis praefuit, ab inaudita crudelitate notatus, postquam plurimos et suos, et Turcas in palos egisset, Mahometis iram in se prouocauit, illoque relicto, Mathiae fidem iurauit. Hoc innuitur illis epistolarum Mathiae verbis, dum Vacii pax cum Giskra sanciebatur: (a) *Cum vaiuoda partium Transalpinarum concordiam iniuimus; qui etiam ad praesens contra Turcos agit feliciter et fortiter; pro auxiliis quotidie sollicitat.* Eduxit in illum Mahometes 150. millia militum, e quibus ille 40. millia perdidisse fertur. Mahometes igitur, caedem suorum vindicaturus, simulata primum in Hungariam expeditione, viam subito reflexit ac Valachiam inuasit. Mathias non ignarus, id Mahometem facturum, mature de periculo summum pontificem ac Venetiarum ducem admonendum esse censuit, ac ad vtrumque Ladislaum de Vesen pro subsidio contra Turcas implorando legatum misit. (b) Mahometes interea victo Vlado Draculam, eius fratrem, subrogauit, ad quem Valachi, crudelitatem fratris eius exosi, desciuerunt. Et illum quidem Chalcocondylas *in Pannoniam abiisse* scribit; Bonfinius autem eumdem in Pannoniam non sponte venisse, sed a Mathia captum et abductum esse perhibet. *Draculam*, inquit, (c) *in Transsiluania cepit; alterum vero Draculam, a Turca in prouincia praefectum, — approbauit. Hunc Budam captiuum duxit, decennalique carcere multauit.* (d)

A. C.

(a) Ep. Math. P. I. n. 4. p. 423. (b) Ibid. n. 30. p. 34. (c) Dec. III. Libr. X. p. 558. (d) Hist. Cr. T. XIV. p. 548.—568.

A. C. 1463. *Math.* 6. *Ind.* 11. *P.* 10. *A.*

CCLVI. Nondum iis viribus Mathias inſtructus erat, vt Mahometem, cum ſpoliis Valachicis reuertentem, inſequi, ſuosque limites egredi ſine temeritate poſſet. Vt igitur pares tanto hoſti copias ſibi compararet; legationem rurſus ad pontificem et Venet. ducem pro ſollicitandis auxiliis miſit. In eam rem delectus erat Georgius, Quinqueeccleſienſis praepoſitus, quem Mathias plena poteſtate rerum agendarum inſtruxit, (*a*) *Budae*, *feria* 3. *ante palmarum*, 1463. et pluribus Romae cardinalibus commendauit. (*b*) Non multo poſt mutatis rerum quibusdam adiunctis, nouas ad ſuum oratorem litteras miſit, quibus Turcas maximos in Hungariam apparatus facere ſignificauit, (*c*) *Budae*, *in feſto Marci*, 1463. Tertio poſt die de fraudibus et apparatu Turcarum etiam Venetiarum ducem certiorem fecit, ac ſuaſit, vt *terra magis*, *quam mari* hoſtis appeteretur. *Nam*, *quid*, inquit, *hactenus vel illi nocuerit*, *vel vobis profuerit tam ingens claſſium impenſa*, *ipſi ſcitis.* — *Budae*, 27. *Aprilis*, 1463. Mathias, incertus, in quam ſe partem Turca vertere velit; ad tuendos regni fines Pongratzium praemiſit, vt regis Bohemiae filio ſcripſit. (*d*) Sequutus ipſe Pongratzium, 12. Maii Bathae iam fuit, et neſcio, quam ciuitatem de 2000. aureorum, apud Emericum de Zapolya theſaurarium deponendis, admonuit, (*e*) *ne ex defectu pecuniarum recuperatio* — *coronae impediatur. Dat. in oppido Batha*, *fer.* 5. *prox.*

(*a*) Ep. Math. P. I. n. 55. p. 121. (*b*) Ep. LII. LIII. LIV. LX. (*c*) Ep. LXIII. p. 141. (*d*) Ep. LVII. p. 128. (*e*) Ex MSS. Comideſianis.

5. prox. post festum apparitionis B. Michaelis arch. anno dom. MCDLXIII. (*a*)

CCLVII. Mathias igitur, bellum cum Turcarum imperatore maiori cum libertate gesturus, si nihil a tergo hostile relinqueret; sanciendae cum Rom. imperatore pacis curam non deposuit, necessariamque pro redimenda corona pecuniae summam, etiam expeditione Turcica distractus, colligere studuit. Extorsit nempe Fridericus consensum in duras pacis conditiones ab Hungaris, necessitate belli cum Turcis gerendi pressis, qui collectam pecuniam per legatos ad illum transmiserunt cum hisce litteris: (*a*) „ — Licet — articuli ipsi visi sint maiori ex par„ te difficiles; — nihilominus tamen, quia ita re„ rum et temporum conditio fert, et id rebus Chri„ stianis ad praesens magis conducit; — pacem — „ etiam cum onere nostro maluimus amplecti. — „ Dat. Budae MCDLXIII. " Legatorum praecipui fuerunt: Stephanus, Colocen. archiepiscopus; Ioannes, Varad. episcopus; Nicolaus Vilakius, Ladislaus Palotzius, Emericus Zapolyius, qui cum tribus equitum millibus Neostadium profecti, quod. tanta multitudo caesari suspecta fuisset, ciuitate prohibiti sunt. (*b*) Ducentis igitur dumtaxat cum episcopo Varadiensi receptis, reliqui tamdiu Sopronii commorabantur, donec in haec pacta conuentum fuisset: „ vt Fridericus Mathiam filii, hic illum patris loco „ haberet: regnum Mathias ac eius heredes obti„ nerent: si vero sine prole decederet; ad Frideri„ cum, qui titulo Hungariae regis interim vtere„ tur, eiusque filios transiret: paucis locis in Fri-

 „derici

(*a*) Epist. Math. P. I. n. 69. p. 153. (*b*) Bonfin. Dec. III. L. X. p. 558.

„ derici potestate relictis, pro quibus ab eius obitu „ 40. millia numorum aureorum dependenda forent, „ ceteri limites antiquo iure secernerentur." (a) *Dat. Sopronii, fer. III. prox. ante fest. B. Mariae Magd.* (19. Iulii) *A. D. MCDLXIII.* Has tabulas eadem die Fridericus *in noua ciuitate*, seu Neostadii, confirmauit; ac seorsim etiam cum Mathia transegit, qui his pactis itidem subscripsit Budae, *fer. III. post fest. B. M. Magdalenae, A. D. MCDLXIII.* Sed in priuatis his tractatibus neque Fridericus, neque Mathias vllam de successionis iure, quod praecipuum foederis caput erat, mentionem facit; neque pecuniae, pro corona numerandae, quasi puduerit Fridericum hanc nundinationem ad posterorum memoriam transmittere. Bonfinius eam summam 70. Ludouicus Tubero 60. millibus aureorum definit. Qua quidem pecuniarum exactione Hungaros ad resistendum Turcis infirmiores, non sine maximo Christiani nominis detrimento, Fridericus reddidit. *Duas coronas*, inquit Bonfinius, (b) *adulterinas affabre ab imperatore factas, rumor erat, ne vera dignosceretur. — Ladislaus* Palotzius *accitus veram sacramque coronam primo obtutu signo quodam recognouit. — Insequenti die ad suburbana peruentum est. Tunc iterum vltro citroque redintegrata contentio. Nam nec coronam hic sine pecuniis, nec illi pecunias sine corona dare volebant.* — Tandem *factum est, vt ad portas vrbis, vno eodemque tempore, et hinc pecuniae caesari traderentur, vnoque momento compensatio fieret.* Idem Bonfinius capita pacis ita concludit: „ Quicumque demum foedus — laeserit; — veluti — deorum penatium violator, „ igni ferroque, vt foeda porca, feritor." Quae phrasis

(a) Ap. Kollar. Auct. Dipl. p. 204. (b) Loc. cit.

phrasis, Romanis olim familiaris, indicat, Bonfinium, etiam cum dispendio religionis et veritatis, elegantiae Romanae studuisse. (*a*)

CCLVIII. Mathias, laudatis tabulis 26. Iulii Budae confirmatis, mox iter contra Turcas, qui ditiones Hungaricas incursabant, arripuit, tantaque celeritate fuit vsus, vt iam Futakini 28. mensis eiusdem in fauorem Procopii de Mytha litteras dederit. Caussa tantae festinationis erat iactura Bosniae, quam Mahometes, vt Mathias ad pontificem scribit, (*b*) „ inuitatus a quibusdam proditoribus, „ — suscepta proditione, — prius forte, quam „ eduxisset gladium, vicit; proditoribus aeque vt „ proditione, potitus. Vinxit dein regem, arte et „ dolo, non armis superatum, demumque excru- „ ciatum necauit: arces omnes et munitiones re- „ gni in deditionem accepit." Gobelinus scribit, (*c*) Stephanum, Bosniae regem, Iaitzam, *Turcarum aduentu percepto, cum thesauris confugisse, Dalmatiam petiturum. Bassa, quum venisset Iaitzam, abiisse regem inuenit, eumque magnis itineribus consequutus, in castello Clutio clausit. — Ille quarta demum die, fame et siti coactus, sese cum omni thesauro, quem quinque reges tot annis congregauerant, fidei bassae credidit. Quem imperator, ad se ductum, multa spe demulcens, facile induxit, vt oppida, quae in sua potestate restiterunt, reddi iuberet, plura et meliora a se deinceps exspectaturus. Scribitur praefectis arcium, vt claues munitionesque tradant. Parent omnes. Atque ita octo ferme dierum spatio amplius 70. natura et arte munitissima oppida, et auri am-*

 plius

(*a*) Hist. Cr. T. XIV. p. 580.—518. (*b*) Ep. Math. P. I. n. 73. p. 165. (*c*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 280.

plius, quam decies centena millia numum, ex Christianis opibus in manus hostium peruenere. — Templa sanctorum diruta: viri religiosi omni contumeliarum genere affecti: nobilitas omnis ad seruitium in Asiam missa: regi paucis post diebus caput abscissum. Quum omnia tam celeriter acta sint; mirum non est, Mathiam periclitanti Bosniae citius succurrere non potuisse. Primum quidem ille Ragusium, ne, sicut Bosniae regnum, a Turcis opprimeretur, partem exercitus sui transmisit; (*a*) deinde vero cum Venetis foedus contra Turcas ita pepigit, (*b*) vt „Veneti tamdiu aperto bello Turcam insectentur, 40. „*triremibus instructis*, quamdiu ipse cum eo bel„lum gereret: — nec pars altera, altera non as„sentiente, cum Turca pacem conficeret. — Actum „in Sirmio, in Varadino Petri, — A. D. MCD„LXIII. ind. XI. die XII. Septembris; praesentibus „Stephano Coloc. Ioanne Varad. Michaele palatino, „Nicolao vaiuoda." — (*c*)

CCLIX. Iidem isti, qui foederi, cum Venetis inito, subscripserunt, cum Friderico quoque pacem composuerunt, lytroque deposito, sacram coronam post 24. annos captiuitatis in Hungariam retulerunt. Sed, quia Mathias, magis de recuperanda Bosnia, quam coronatione sua, sollicitus, Buda iam dudum abiuerat; teste Bonfinio, (*d*) *corona in arce recondita, legati ad regem festinarunt, quem in Sirmiensi agro aduersus Turcas agentem inuenere. Hinc enim Turcas per Ladislaum Marcum, praefectum legionis, nuper eiecerat. Et hoc bello succensus adauctus-*

(*a*) Ep. Coru. P. I. n. 67. p. 150. (*b*) Ap. Miller Coll. Dipl. P. I. p. 547. (*c*) Hist. Cr. T. XIV. p. 619.—652. (*d*) Dec. III. Libr. X. 560.

auctusque animo, quod sacrum diadema redemerat, et cum altero imperatore terrarum pacem fecerat, ad obsidendam Iaitzam properabat. — Exploratis Iaitzensium animis, qui Turcae iugum aegre ferebant, extemplo cum magno exercitu Sauum traiicit, Iaitzamque contendit, 4. dierum itinere a Sauo remotam. Ad clarissimum facinus iuueni animum addiderat diffusus rumor, Pium pontificem ab vrbe Roma vniuersam in Turcas Europam suscitare. Verum fuisse hunc rumorem, apparet ex his pontificis litteris, ad vniuersos Christianos datis: (*a*) „ Alios „ hactenus exhortati, — nunc maiora promittemus: „ nos ipsos periculis obiectabimus: nostrumque caput „ aduersus Turcos offeremus in bellum: et quantum „ nobis ecclesia Romana et patrimonium B. „ Petri ministrare poterit; tantum pro fide catho„ lica protegenda exponemus. —" Turotzius successum belli huius ita perstringit: (*b*) Mathias *Bosnense regnum, quod et Ramam vocamus, tunc Turcorum dominio subiectum, aggressus est; castrumque Iaitza, tum loci natura, tum vero maeniorum altitudine munitissimum, vi; alia vero terrae eiusdem castra deditione cepit; omnesque caesaris Turcorum milites, — quos gladius Hungarorum non consumserat, ad gratiam et suam ditionem recipiens, — secum deduxit.* Ex his, vt Bonfinius prosequitur, *Harambechus, regem sequutus, cum 200. equitibus coronationem eius recentis victoriae testimonio decorauit. A kalendis tandem Octobris vrbem ceperat; XVII. kal. Ian. arce potitur. Eodem quoque tempore, ne ingrato hibernare otio videretur exercitus, XXVII. circum finitima oppida recepit. Compositis in prouincia rebus, impositoque Iaitzae praesidio, ser-*

 uatoris

(*a*) Ep. Corn. P. I. p. 299. (*b*) Chron. P. IV. cap. 65.

uatoris nostri natalibus, victor et ouans Budam ingressus, et cum ingenti senatus populique laetitia ac plausu exceptus est. Mathiam quidem mense Nouembri Iaitzam in potestate sua iam habuisse; nondum tamen indidem mense Decembri discessisse; nedum *seruatoris nostri natalibus Budam ingressum esse*, docent diplomata, Iaitzae data, *XI. Nou. 6. Dec. et sabbato prox. ante festum circumcisionis domini, anno eiusdem MCDLXIII.* (*a*)

A. C. 1464. *Math. 7. Ind. 12. P. 1. A.*

CCLX. Bonfinium etiam in numero captiuorum et castrorum recuperatorum errasse, discimus ex ipsis Mathiae litteris, ad pontificem in reditu datis. „ Serius forsitan, *inquit*, (*b*) ac ratio de„ biti postulabat, accessit tandem mihi copia tem„ poris facultasque scribendi ad S. V. de rebus, „ apud me gestis, quibus diuina clementia dexte„ ram suam hoc tempore nobiscum magnificare „ dignata est. — Antequam Boznam (*Mahometes*) „ ingressus esset; dimiserat praefectum Seruiae, Ali„ beg nominatum, cum haud parua exercitus par„ te, e regione apud vada fluminis Zaui, vt nos „ ab eius transitu vel prohiberet interim, vel auer„ teret. — Cum hoc igitur hoste tunc mihi pri„ mum res gerenda fuit; post feliciter acta est. — „ Multi ex hostibus gladio, multi ad flumen ad„ acti, obruentes se inuicem et obruti a se, nau„ fragio ruinaque perierunt. — Depuli ab inde re„ liquias hostium, prius fugatorum, et ad perse„ quendum eos iter in Seruiam direxi. — Anima„ rum

(*a*) Hist. Cr. T. XIV. p. 652.—666. (*b*) Ep. Coru. P. I. n. 73. p. 161.

„ rum circiter millia XV. de seruitute in liberta-
„ tem pristinam cum armentis et rebus feliciter re-
„ ducta sunt. — Et haec quidem apud Seruiam
„ acta; ex qua demum regressus, — intendi ani-
„ mum ad recuperationem Boznae, recenti casu
„ amissae. — Castrum et oppidum, Iaitza nomina-
„ tum, obsidione circumdedi. — Primo fere impe-
„ tu et aggressu incolas oppidi in deditionem ac-
„ cepi, factaque irruptione in oppidum, — resta-
„ bat iam arx ipsa expugnanda, in cuius oppugna-
„ tione, trimestri fere spatio, magna sollicitudine
„ laborando; multa ex caeli intemperie — passus,
„ constantia tandem et perseuerantia vicimus. —
„ Prope 400. in vita seruatos — mecum eduxi. —
„ Mox multorum aliorum castrorum deditio sequu-
„ ta est. Iam circiter 30. manibus meis reddita
„ sunt; et totidem vel paullo plura in obedien-
„ tiam et deditionem accepi. — — Dat. in oppido
„ Dombro regni Sclauoniae, die 27. Ianuarii, 1464."
Queritur autem in epistolae parte reliqua de nouis Bohemorum, Polonis coniunctorum, in Hungariam incursionibus, quibus victoriae contra barbaros cursus intercipiebatur. (*a*)

CCLXI. Postquam contra hos grassatores et importunos tranquillitatis regni perturbatores Mathias apud pontificem questus fuisset, ac eius opem ad coercendam eorum effrenatam licentiam implorasset; postridie suas indidem litteras ad Posonienses aliosque regni status et ordines ita dedit: (*b*)
„ Mathias — Postquam feliciter dono domini ge-
„ stae sunt res pro recuperatione regni Bosnae; —
„ con-

(*a*) Hist. Crit. T. XIV. p. 666.—675. (*b*) Ex MSS. Cornidesianis.

„ congruere visum est profectui publico et pariter
„ honori nostro, vt pro corroboratione bonae spei,
„ quae ex his gestis ad futura gerenda nobis a DEO
„ tribuitur, intendamus ad suscipiendam coronam
„ regni, in qua totius paene dignitatis regiae vir-
„ tus quaedam et summa consistit. Habita igitur
„ deliberatione matura cum praelatis et baronibus
„ nostris ceterisque consiliariis, nobiscum exsisten-
„ tibus, decreuimus nos praeparare ad assumtio-
„ nem ipsius coronae sacrae, in loco olim designa-
„ to, diemque coronationis statuimus circa domi-
„ nicam Ramis palmarum, proxime adfuturam.—
„ Dat. in oppido Dombro regni Sclauoniae, sabb.
„ prox. ante fest. purif. B. M. V. A. D. MCDLXIV."
Budam inde profectus, in fauorem Emerici Zapolya, quem assertae vindicataeque Bosniae *gubernatorem* instituit, litteras dedit, (*a*) *Budae, in festo B. Valentini M. A. D. MCDLXIV.* Hunc Emericum Bonfinius ante coronationem a Mathia cum duabus legionibus ad obsidionem, qua Turcae Iaitzam cinxisse ferebantur, soluendam remissum fugatisque hostibus, ad coronationem Albam regalem reuersum esse scribit. Sed vix est credibile, Mahometem rigida hieme copias tam cito coegisse. Coronationi praemortuam fuisse Catharinam seu Cunegundem, ex his Pessinae verbis liquet: (*b*) *Cunegundis coniunx, phtysi consumta, nulla prole relicta, decessit Budae; in aede S. Sigismundi, in qua Bohemicae conciones peragi solebant, — sepulta.* Quum igitur 8. Martii pater exsequias eius celebrandas curauerit; nondum tribus annis connubii completis, ante coronationem Mathiae decessit. Mathiam enim 29. Martii

(*a*) Ex MSS. Bibl. Quinqueeccl. (*b*) Ap. Kapr. P. I. p. 451.

Martii coronatum fuiſſe, Turotzius his verbis innuit: (*a*) *Rex Mathias ſexto ſui regni* (completo) *dominicae autem incarn. MCDLXIV. anno, in die coenae domini, — feliciter exſtitit coronatus.* Idem Nicolaus Olahus in chronico his verbis affirmat: (*b*) *Illi clariſſimo regum ſideri, Mathiae de Hunyad, — per Dionyſium card. archiep. Strigonien. regalis corona imponitur A. C. MCDLXIV. die XXIX. menſis Martii.* Bonfinius igitur errat, quum hanc coronationem *in diem paraſceues* differt. (*c*) *Illud nequaquam omiſerim*, ſubiicit, *quod in referenda gratia monumentum inter coronandum fecit. Ioannem, Varadienſem epiſcopum, de patre deque ſe iuxta bene meritum, ampliſſimo illo ditiſſimoque comitatu perpetuo donauit.* Recenſitis ſubinde meritis illius, ab obligatione iurisiurandi perſonalis eumdem abſoluit, edito diplomate (*d*) *Budae, octauo die feſti S. corporis Chriſti, anno eiusdem MCDLXVI.* (*e*)

CCLXII Peracta coronatione, cum proceribus de pluribus rebus, quae regni felicitatem altius prouehere poſſent, in commune conſuluit. Rogatus, vt celeberrimum Andreae II. decretum auctoritate ſua ſtabiliret, et id praeſtitit, et leges alias, 28. articulis comprehenſas, addidit; (*f*) e quibus ita habet *Art. I.* „ Decreta praedeceſſorum Hung. re-
„ gum ſeruentur, per Mathiam regem iam confir-
„ mata. *II.* De conſeruatione ſacrae coronae. *III.*
„ Nota infidelitatis nemo, ſine praelatorum et ba-
„ ronum conſilio, damnetur. *IV.* Abolitio bre-
„ uium

(*a*) Chron. P. IV. cap. 66. (*b*) Ap. Bel. Adp. Dec. I. p. 38. (*c*) Dec. IV. Libr. I. (*d*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 154. (*e*) Hiſt. Cr. T. XIV. p. 675.—688. (*f*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 217.

» uium euocationum. *V.* De celebratione IV. octa-
» uarum. *VI.* De prorogationibus et poenis vten-
» tium falsis prorogationibus. *VII.* De IV. factis
» potentiariis, quae in tertia octaua finaliter ter-
» minentur. — *VIII.* De prorogationibus fratrum
» indiuisorum. — *IX.* Sales extranei in regno non
» vendantur. *X.* Distrahenda castella, post obitum
» Alberti regis erecta, sub poena perduellii. —
» *XI.* Quod hi, qui cum iure regio vel alio pro-
» cessu alios in suis iuribus iniuste vexant, in aesti-
» matione bonorum eorumdem conuincantur. *XII.*
» Bona, post obitum Alberti regis occupata, re-
» mittantur. — *XIII.* Regnum Sclauoniae et par-
» tes Transsiluaniae in libertatibus suis conseruen-
» tur. *XIV.* Ecclesiasticarum personarum et secu-
» larium, contra sese inuicem agentium, aequalis
» mulcta. *XV.* Tributum in vna villa, in pluri-
» bus locis exigi non possit. Viae falsae in aliorum
» terris non obseruentur. — *XVI.* Conuictorum in
» iudicio bona more veteri conferentur. *XVII.* De
» caussis, forum ecclesiasticum concernentibus. *XVIII.*
» Rex ad simplicem querelam bona aliquorum non
» occupet: et caussam propriam ordine iuris pro-
» sequatur. *XIX.* Iudices ordinarios regni verbe-
» rantis poena, notae infidelitatis. *XX.* De his,
» quorum litteralia instrumenta perirent, vt bona
» eorum, noua donatione a rege impetrata, prae-
» uia attestatione roborentur. *XXI.* Iudicium ge-
» nerale in omnibus comitatibus celebretur, more
» veteri. *XXII.* De noua moneta cudenda. *XXIII.*
» De confirmatione donationum Ladislai et Mathiae
» regum. — *XXIV.* De modo soluendi decimas
» ac aceruorum examinatione. *XXV.* Dominicis
» diebus et festis B. virginis forum non celebretur.
» *XXVI.* Monetarum falsarum cusores puniantur.

XXVII.

„ *XXVII.* Saluum conductum violantium poena.
„ *XXVIII.* De violatione ecclesiarum ac immuni-
„ tate domorum nobilium ac ecclesiasticarum per-
„ sonarum. — Dat. — A. D. MCDLXIV. octauo
„ idus Aprilis. — " (*a*)

CCLXIII. Vtprimum victoria Mathiae de Turcis per Europam vulgata fuit; certatim eius amicitiam et foedus Christiani principes exposcebant. Certe, priusquam coronatus fuisset; e Gallia legatus ad eum hac de caussa missus, nouam quoque sponsam eidem offerebat. Mathias, proceribus in consilium adhibitis, ad singula capita legationis sapientissima responsa reddidit. (*b*) Huius legati studio factum fuisse videtur, vt Mathias, amissa coniuge, ceu quodam pacis pignore, nouum cum Podiebradio socero foedus, ad coercendas mutuas Hungarorum et Bohemorum iniurias, iniuerit, (*c*) *Budae, in festo BB. Tiburtii et Valeriani MM.* (14. Apr.) *A. D. MCDLXIV.* Solutis Albensibus comitiis, in quibus Neostadiensia pacta primum foederis auctores, deinde ceteri proceres confirmarunt, (*d*) *III. mensis April.* Mathias nonnisi post tres hebdomades, nulla tamen, vt prius, de successione facta mentione, tabulas easdem ratas habuit, (*e*) *Budae, in festo B. Georgii M. A. D. MCDLXIV. regni VII. coronationis I.* Ceterum non multo post inimicitiis inter Fridericum et Mathiam iacta sunt fundamenta, vt Mathias ad Pium II. scribit, (*f*) *Ser. D. Fridericus R. I. plura in confinibus per suos homines*

(*a*) Hist. Cr. T. XIV. p. 688.—703. (*b*) Ep. Coru. P. I. n. 62. p. 129. (*c*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 311. (*d*) Ap. Koll. Auct. Dipl. p. 234. (*e*) Ibid. p. 237. (*f*) Ep. Coru. P. I. n. 72. p. 159.

homines egit, magis ad discordiam, quam ad concordiam spectantia. — Nouissime quidam ex suis, — oppidum Soproniense aggressi, suburbium — eiusdem magno incendio deuastarunt. In hac Austriacorum in Hungariam incursione quosdam interceptos Fridericus repetiit. Respondit Mathias, (*a*) illos temere non dimittendos; tum addit: „ Imperator „ Turcorum per 30. dies obsedit, et vehementissi„ me oppugnauit in regno Boznae castrum Iaitza; „ pariter omnia castra, in nostris manibus habita. „ Nam bombardas inauditas ibidem fundi fecit, „ quibus iam per 20. dies castri pariter et oppidi „ murum frangit. — Nos, qui fere soli scimus, „ quanti momenti locus ille sit toti nomini Chri„ stiano, pergimus, ecce! cum his, quas habe„ mus, copiis ad repellendum ab obsidione infe„ stissimum hostem. — " Bonfinius igitur, obsidionem ante coronationem per Emericum Zapolya solutam fuisse, male refert. (*b*) Suspectum etiam est, quod de Zuoinichio duobus mensibus oppugnato, militibusque metu Mahometis aduenientis diffugientibus, narrat; (*c*) quum id nusquam apud veteres legatur, nec illi duo menses obsidionis assignari facile possint, quibus Mathias illic adhaeserit. Peraeque de Szegedinensibus comitiis, post quae Szechius eodem anno mortuus sit, hallucinatur; quum is anno sequente decesserit. Certius est, Pium II. in ipso conatu suppetiarum adducendarum Anconae mortuum, iussisse, teste Campano, (*d*) *pecunias ad aureum numum 40. millia, ex decimis exacta, Mathiae, regi Pannoniorum, mitti in sumtus belli.* Ita

(*a*) Ibid. n. 75. p. 176. (*b*) Dec. III. Libr. X. p. 561. (*c*) Dec. IV. Libr. 1. p. 563. (*d*) Ap. Pray Ann. P. III. p. 312.

Ita pontifex, optime de Hungaria meritus, obiit 14. mensis Augusti, cui superstiti Mathias supplices litteras miserat, vt et Margaritam, Belae IV. filiam, sanctis, et Stephanum Vardaium, Colocensem archiepiscopum, cardinalibus adscriberet. (a)

A. C. 1465. *Math.* 8. *Ind.* 13. *P.* 14. *A.*

CCLXIV. Mathias, amplis Pii II. promissis ad bellum Turcis inferendum permotus, nondum terram hostilem ingressus erat, quum feruentissimum illum belli huius auctorem, quem certissimum eiusdem adiutorem fore sperauerat, e viuis excessisse comperit. Etsi vero rationes suas importuno hoc eius obitu plurimum turbatas intellexerit; ab expeditione tamen non destitit, suasque copias in Bosniam traduxit; nec eas ante hiemem inde reduxit. An autem ea tunc circa Zuornikum acta fuerint, quae Bonfinius refert; propter suspectam eius fidem ac aliorum silentium, in medio relinquendum esse censui. Certius est, Mathiam, non priore, sed hoc anno, post reditum suum comitia Szegedinum indixisse. De his enim ita *Christophoro Mauro*, *duci Venetorum*, scripsit; (b) „— Quia proximis futuris „ diebus conuentum praelatis et baronibus regni „ nostri Szegedini indixeramus, placuit, vt ipse „ (*Ioannes Emo*, *legatus Venetus*) illi conuentui „ interesset, in quo potissimum de rebus fidei et „ status communis tractandum erat. In eo igitur „ conuentu id praecipue nostri consilii fuit, vt ad „ pontificem Rom. sollemnes mitterentur oratores: „ et quum id munus legationis fidelibus nostris,

„ R. P.

(a) Hist. Cr. T. XIV. p. 704.—764. (b) Ep. Coru. P. II. n. 14. p. 45.

„ R. P. D. Quinqueecclesiensi et magnifico Ioanni de „ Rozgon obuenisset; visum fuit nobis multis de „ caussis et toti consilio praelatorum et baronum, „ vt a memorato Ioanne Emo — hoc expostularemus, quod cum praefatis oratoribus nostris — „ Romam pergeret. Nam, quia nobiscum his annis fere duobus domi militiaeque perstitit, et „ quod alii audiuerunt, ipse vidit oculis; existimamus, illum idoneum fore testem ac personam „ non inutilem, quae et V. amicitiae omnia referre, „ et Rom. pontifici de rebus gestis testimonium „ adferre possit. — 16. Ianuarii 1465.“ Paullo II. 31. mensis Augusti pontifici creato, nouam dignitatem gratulatus, has fidei-litteras per eosdem oratores ad illum misit: (*a*) „ Postquam sanctitatis V. „ vocationem laetus cognoui; officii mei esse visum est, in conspectum eius oratores meos mittere, cum ad ea praestanda, quae nouis pontificibus Christiani principes exhibere et debent, et „ solent, tum etiam pro his, quae ad negotium „ fidei pertinere noscuntur. —“ Iidem oratores, cardinalibus etiam commendati, (*b*) postquam Romam appulissent, ad pontificem admissi, primum Mathiae nomine *puram*, *plenam et canonicam obtulerunt obedientiam*; (*c*) deinde *contra immanissimum Turcum prouisiones opportunas* petierunt. „ Duobus his, *inquiebant*, (*d*) praeteritis annis, inclitus rex noster, magna auxiliorum spe ductus, „ demum a nemine fere adiutus, propriis viribus, „ non tam pro se, quam pro omnibus bellum „ gessit. — Posset fortassis ipse rex noster et aliter

„ sibi

(*a*) Ibid. n. 35. p. 96. (*b*) Ibid. n. 37. 38. 39. p. 99.— 101. (*c*) Ibid. n. 48. p. 129. (*d*) Ibid. n. 49. p. 140.

„ fibi regnoque fuo confulere; fed zelo fidei ac-
„ cenfus, tuaque benignitate fretus, B. P. mauult
„ ipfe periclitari pro omnibus, quam aliorum peri-
„ cula fpectare otiofus. — " (a)

CCLXV. His Paullus ad acceleranda contra Turcas auxilia permotus, accitis principum Italiae legatis, vt illos exemplo fuo prouocaret, annua 100. aureorum millia Mathiae contra Turcas fe daturum promifit. Sed, quum infra fpem legati promififfent; illis dimiffis, coram cardinalibus ita querebatur: (b) „ Videtis, fratres, quo reciderint
„ defideria noftra et fex menfium conatus. — Si
„ haec oblata accipimus; Hungari, carituros fe vi-
„ dentes pecunia, quam in dies exfpectant, paci-
„ fcentur cum Turcis. Tolerare enim vltra non
„ valent. Horum exemplum neceffario fequentur
„ Veneti, quos inuitat Turcus. — His duobus quafi
„ propugnatoribus cedentibus de medio, numquid
„ non hofti iter liberum terra marique ad Italiam
„ patet? — " Ante horum oratorum aduentum Marcus, Tininienfis epifcopus, ad Mathiam Roma rediit, magnamque de noui pontificis optima voluntate fuccurrendique promtitudine fpem retulit. Mathias igitur, gratum animum teftaturus, eumdem Marcum ad pontificem cum nouis nunciis et litteris remifit, (c) *datis Budae, die penultima Aprilis*, 1465. Addidit alias ad cardinalem S. Angeli litteras, (d) *eadem die*; tum ad card. Reatinum, (e) *poftridie*; Cretenfem autem archiepifcopum, A. S. L.

(a) Hift. Cr. T. XV. p. 5.—23. (b) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 27. (c) Ep. Coru. P. II. n. 5. p. 14. (d) Ibid. n. 8. p. 21. (e) Ibid n. 16. p. 51.

S. L. Romam reuersurum, pontifici magnopere commendauit. (*a*) Reuersis interim prioribus legatis, necessariam auri summam in stipendia militum accepit. Sed quia Paullus sinistris rumoribus occupatus erat, quasi pecuniam illam in alios vsus Mathias conuertisset; eumdem negligentiae postulauit. Ad Drauum Mathias cum exercitu fuit; quum eas litteras accepit; veritusque, ne maligna haec fama stipendiorum spem succideret, obiectam criminationem ita diluit: (*b*) „ — Opinentur alii, quicquid „ volunt. Mihi recte ipse videor hactenus acqui- „ siuisse plura, quam amisisse. Illud, si negligentia „ est, fateor, me omnino efficere et cauere non „ posse, vt in metis saepe incursus mediocres et „ rapinae non fiant. — Si tamen pulchrum vide- „ tur ardua experiri; ego ille primus sum; ego, „ inquam, qui semper necessarium esse duxi, vt — „ hostem nostrum aliquando in suo nido quaera- „ mus: — illa modo B. V. aliorumque Christiano- „ rum tantae rei conuenientia auxilia non desint. „ — Datum in castris exercitus nostri, in vado „ Drauae, secundo die mensis Oct. A. D. 1465." Quia vero pontifex rumore quodam accepit, Mathiam, auxiliis desperatis, consilia pacis ineundae cum Turcis agitare; grauissimis id argumentis dissuasit. Respondit Mathias: (*c*) „ Nulla oblatarum „ conditionum vel honestate, vel vtilitate, in hunc „ vsque diem adduci potui, vt, quamuis magnis „ et diuturnis laboribus ac impensis pressus, bello „ concordiam anteferrem; — quia reip. Christianae „ id periculosum fore videbam." (*d*)

CCLXVI.

(*a*) Ibid. n. 25. p. 79. (*b*) Ibid. n. 19. p. 51. (*c*) Ibid. n. 26. p. 81. (*d*) Hist. Crit. T. V. p. 24.—42.

CCLXVI. Tot legationibus, tot artibus Mathias ad eliciendas a pontifice pecunias vſus eſt, vt illarum ope communem a ſe populoque Chriſtiano perniciem auerteret. Mahometes quoque, quum vidiſſet, vnitis inter ſe principibus Chriſtianis, nihil ſe profecturum; ſubdolis artibus initum inter Mathiam et Venetos foedus diſſuere conatus, modo Mathiae, modo Venetis inducias aut pacem honeſtis conditionibus obtulit. Mathias ſagaciſſimus, hos barbari dolos odoratus, eius fraudes et perfidiam duci Venetiarum aperuit, (*a*) *Budae*, 18. *die menſis Febr.* 1465. Sequenti menſe ſuum apud Venetos oratorem de Turcarum apparatu, qui tamen hoc anno vanus erat, edocuit, (*b*) *in Nouozolio*, *die penultima Martii*, 1465. Ad ternas litteras, a duce Venetiarum hoc menſe datas, ſub exitum ſequentis reſpondit, ac inter cetera firmitatem foederis initi ſuaſit, (*c*) *Budae*, 27. *Aprilis*, 1465. Quam facilis hic Mathias ad vota ducis in permutatione captiuorum Turcicorum cum Venetorum ductore capto fuit; tam fortis in defendendis Raguſinorum, fidelium ſuorum, iuribus aduerſus eumdem Venetorum ducem, a quo liberam iis nauigationem permitti voluit, (*d*) *Budae*, 4. *Iulii*, 1465. Fortius et acrius eumdem ducem monuit, vt ab iniuriis in Bosnia deſiſteret, ac foedera diligentius coleret. (*e*) *Dat. in caſtris — in vado fl. Drauae*, 2. *die Oct. A. D.* 1465. Dum ita Mathias iuribus ſuis inuigilaret, vt non aliter foederibus ſtare vellet, quam ſi haec indemnia ſeruarentur; hac ſpe ductus, ad decretorium bellum, Tur-

 cis

(*a*) Ep. Coru. P. II. n. 47. p. 124. (*b*) Ibid. n. 1. p. 1. (*c*) Ibid. n. 3. p. 8. (*d*) Ibid. n. 9. p. 31. (*e*) Ibid. n. 20. p. 69.

cis inferendum, totus incubuit, ac in belli huius societatem eumdem ducem inuitauit: (*a*) ad quod etiam Ludouicum XI. Galliae regem, geminis ad eum litteris datis, (*b*) excitauit. (*c*)

CCLXVII. In tanta mole curarum bellicarum Mathias scientiarum non oblitus, ne vel ditiores Hungari litterarum caussa suis impendiis exteras prouincias petere, vel egentiores, ingenio tamen praecellentes, ob fortunarum tenuitatem domi rudes adhaerere cogerentur, lyceo seu Quinqueecclesiensi, seu Budensi nondum debitis adiumentis instructo, nouum scientiarum omnium emporium erigere constituit. Paullus pontifex, intellecta regis voluntate, datis ad duos Vitezios, alterum Strigonien. archiepiscopum, episcopum Quinqueecclesf. alterum litteris, (*d*) *studium generale, cum quibuscumque facultatibus — erigendi — licentiam concessit, — Romae apud S. Petrum, anno inc. dom. MCDLXV. XIV. kal. Iun. pont. an. I.* Sedem academiae Mathias Posonii, quod *Histropolim* in publicis litteris anni 1468. vocat, statuit, eumque, non Vitezium, auctorem Istropolitanae huius academiae Valentinus Ieccelius facit. (*e*) Tres igitur Mathiae temporibus academiae Hungariam ornabant. Nec enim, erecta vel instaurata Budensi, seu Posoniensis, seu Quinqueecclesiensis desiit. Istropolitanae promotor dumtaxat, non auctor, Vitezius erat, hoc anno mortuo kal. Febr. Dionysio Szetsio suffectus, qui iam postulatus Strigon. dicitur in diplomate Mathiae, (*f*) dato *XIV. kal. Mart. A. D. MCDLXV.* magistratibus

(*a*) Ibid. n. 28. p. 84. (*b*) Ib. n. 6. 26. p. 18. 89. (*c*) Hist. Cr. T. XV. p. 43.—63. (*d*) Ap. Schier. Mem. Ac. Istr. p. 7. (*e*) Ap. Péterf. Conc. P. II. p. 16. (*f*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. II. p. 78.

gistratibus ita subscriptis: Ioanne *Varad.* et postulato *Strigon.* Stephano *Coloc.* archiepiscopis; Ladislao *Agr.* Nicolao *Transsiluan.* Zagr. sede vacante; Ioanne *Quinqueeccl.* Alberto *Vesprim.* Augustino *Iaurin.* Vincentio *Vac.* Alberto *Chanad.* Thoma *Nitr.* Bosn. sede vacante; Vrbano *Sirm.* Marco *Tinnin.* — episcopis; — Michaele Orszäg — *palatino*; Emerico de Zapolya *regni Boznae gubernatore*; Nicolao de Újlak et Ioanne Pongrátz — *vaiuodis Transsiluan.* C. Ladislao de Palótz, *iudice curiae*; eodem Emerico de Zapolya *Dalm. Croat Sclau. bano*; — Nicolao de Újlak *Machou.* — Mathias, iure patronatus vsus, quum Ioannem Varadiensem pro metropoli Strigoniensi proposuit, (*a*) pro Varadinensi Ioannem, praepositum Quinqueecclesiensem, elegit ac pontifici praesentauit. — (*b*) Quia vero, Szetsio mortuo, nullus in Hungaria cardinalis erat; Mathias maiore studio Stephanum Vardaium pontifici commendabat, vt eum in sacrum collegium cooptaret. (*c*) Exstant plures etiam eiusdem ad pontificem epistolae, quibus ecclesiae Zagrabiensi consultum ibat, (*d*) ad quam Osualdum de Szent-Lászlö nominauit et praesentauit, capituloque Zagrab. significauit, Demetrium Chupor iuribus suis renunciasse. (*e*) *Dat.* in descensu exercituali, prope villam Maszlincz, fer. 5. prox. post fest. OO. SS. A. D. 1465. regni 8. *cor.* 2. (*f*)

CCLXVIII. Huic Demetrio Mathias castra Zagrabiensia credere noluit, quod, vt aiebat, *ob multa*

(*a*) Ep. Corn. P. II. n. 34. p. 94. (*b*) Ibid. n. 11. p. 6. (*c*) Ibid. n. 8. 17. 24. p. 23. 54. 78. (*d*) Ibid. n. 9. 13. 33. p. 28. 39. 72. 93. (*e*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 353. (*f*) Hist. Cr. T. XV. p. 63.—93.

ta merito suspectus sibi videretur; suspicatus fortassis, illum Friderici partibus addictum esse: qui quod initas pacis conditiones obseruare noluerit; multis Mathiae querelis locum dedit: neque prius ab iniuriis destitit, quam eiusdem arma, contra Turcas expedita, tandem in se prouocasset. Nihil industriae Mathias praetermisit, quo Fridericum ad pactiones obseruandas adduceret; secundum quas ille 5. ciuitates in sua potestate retinuit; saluo tamen, vt ipse loquitur, (*a*) *quod, si passagium generale contra infideles et pro defensione fidei et regni fieri contingeret*; eius subditi communem contributionem praestare deberent. Quapropter accusatum a Friderico praefectum Sopronienseni ita defendit: (*b*) „— Scitum est, quod subditi S. V. quos intra terminos „Hungariae habet, ex forma pactorum omnino „obedire tenebantur illi generali decreto regni, „quod non ex aliqua priuata caussa, sed pro publico fidei negotio editum est. Illud quoque „palam factum est, quod obedire negligentibus „acres poenae comminatae fuerant. Cur igitur „S. V. vel sibi ad iniuriam trahit, vel officialem „illam culpam commeruisse putat, quod ipse „pro debito officii sui exsequutus est? — Die „16. Ian. 1465." Ginsienses ab hac contributione non eximi declarauit, (*c*) 18. *Ian.* 1465. Tum expositis iniuriis, quas Austriaci Soproniensibus intulerunt, (*d*) excusationes Friderici hunc in modum confutauit: (*e*) „— Siquid S. V. — cum „C. Sigismundo negotii habebat; cur alii subditi „et ciues nostri immerentes, vtputa Posonienses „et

(*a*) Ap. Kollar. Auct. Dipl. p. 218. (*b*) Ep. Coru. P. II. n. 42. p. 107. (*c*) Ibid. n. 41. p. 104. (*d*) Ibid. n. 44. p. 117. (*e*) Ibid. n. 45. p. 119.

„ et Sopronienses, ac ceteri finium illorum accolae, plectuntur? quaue de caussa oppidum nostrum incenditur? Sed dicitur, quod burgenses incendio caussam praebuerint. Equidem nemo tam furiosus est; qui ipse domum suam cremet. — Omnino autem id nobis ingratissimum est, quod, quum maxime pro fide catholica laboramus; tum praecipue a tergo lacessimur: et vnde magis mereremur subsidia; patimur impedimenta. — " Licet autem Mathias pacis, quam belli studiosior fuerit; nouis tamen iniuriis Potendorferi prouocatus, Andreae Paumkirchero, comiti Posoniensi, demandauit, (*a*) vt *ad bona et dominia praefati Georgii Potendorfer accedere, et ea depraedationibus ac incendiis — taliter disponere debeat, vt ipse* Hungaros *vlterius prouocare et impedire non audeat.* — De his Austriacorum iniuriis veteranum etiam suum amicum, card. S. Angeli, certiorem reddidit; (*b*) de quibus etiam apud ducem Venetiarum questus est. (*c*) *Siquid*, inquit, *aduersus imperatorem fuerit tentatum; — culpam in eum refundat, qui caussam ac initium prior introduxit.* (*d*)

CCLXIX. Mathias non alia de caussa tam duris conditionibus cum Friderico pacem composuit, quam vt *liberius et fortius rei Christianae vacare* posset, vt ad ducem Venetiarum scripsit. Ad suum quoque legatum apud Venetos eadem de caussa superiores Hung. partes se petiisse, 30. Martii scripsit, *vt confinia regni sui ab insultibus latronum de Bohemia et Polonia — tuta relinqueret;* atque hac

 ratione

(*a*) Ibid. n. 46. p. 122. (*b*) Ibid. n. 43. p. 115. (*c*) Ibid. n. 18. p. 59. (*d*) Hist. Cr. T. XV. p. 95.—115.

ratione totis viribus contra Turcas agere posset. Hac etiam de caussa pacem et amicitiam Poloniae proceribus obtulit. (*a*) Et quemadmodum Septemtrionales Hung. partes Stephano de Zapolya tutandas commisit; ita meridionales Emerico de Zapolya credidit, cui prioratum Auranae tantisper, vt Bosniam facilius contra Turcas tueri posset, contulit, vtque hanc dispositionem ratam pontifex haberet, per litteras petiit. (*b*) Inferioribus partibus hac ratione communitis, Turcisque quiescentibus, ad latronum, Vaganas Hungariae partes vastantium, licentiam coercendam, exercitum celeriter reducere coactus est. Auctor latrocinii huius erat Suehla quidam Bohemus, a Mathia missione donatus, qui templum S. Viti, vocatum Kostolan, insedit, illudque 7000. Bohemorum, quos Fridericus imp. exauctorauerat, euocatis, egregie communiuit. Mathias, de his certior redditus, reductis copiis, obseruauit, nulla re magis, quam fame castellum expugnari posse. *Nam*, vt Bonfinius scribit, (*c*) *ingens multitudo propter operosam munitionem et properam obsidionem ne tantum quidem commeatum inferre potuit, quantum sat esse putaretur. Suehla igitur, cui laquei supplicium quotidie rex interminabatur, — per silentium noctis cum vniuersa fere societate — clam elabitur. — Rex contra, immisso expeditissimo equitatu, — a tergo insequitur. — In siluas illi se recipiunt. — Diffuso, rumore, rustici superueniunt. — Multos inueniunt, quos repente trucidant. — Ducenti et* 50. *capti, ad regemque in castra perducti. Paucis post diebus Suehla captus, adducitur.* Cetera Turoczius

(*a*) Ep. Coru. P. II. n. 4. p. 12. (*b*) Ibid. n. 32. p. 91. (*c*) Dec. IV. Libr. I. p. 539.

tzius ita breuius perstringit: (*a*) *Captum pluribus suis cum complicibus, in furca suspensum, ventorum flatibus exposuit. Ceteros etiam eius comites, qui capti fuere, plurimos tabido suorum carcerum foetore fecit suffocari.* Haec anonymus quidam antistes ad anonymum cardinalem ita perscripsit: (*b*) „ — Regia maiestas tandem obtinuit id, quod „ obsidebat, castellum Bohemorum, qui fere omnes „ erant haeretici (*Hussitae*). Perierunt eorum pugna- „ cissimi et rei militaris peritissimi circiter 2000. „ partim in praeliis caesi, partim postea suspensi, „ partim carceribus macerati. Cui expeditioni et „ persona mea, et familia de more interfuit. Sed „ et antea iidem latrunculi de 5. castellis fuerant „ eiecti. — Pax D. regi saepe offertur a Turcis; „ sed hucusque opera sanioris consilii res integra „ permansit. Non desit modo rebus fidei summus „ pontifex; poterunt agi multa vtilia. Aduersus „ regem Bohemiae, audimus, quaedam acta esse in „ curia; sed rei ordinem adhuc ignoramus. — " Ordinem horum actorum ipse Podiebradius ad Mathiam perscripsit: (*c*) se scilicet accusatum *super relapsu in haeresim, — die* 2. *mensis Augusti* citatum, 180. *die — procuratori fidei super haeresis relapsu responsurum.* Mathias, a pontifice iam prius aduersus illum interpellatus, respondit: (*d*) „ Siue in „ Bohemos, siue in Turcos opus est, ecce Mathias „ simul et Hungaria! Quantumcumque meae ac re- „ gni mei vires se extendunt; supra omnes apost. „ sedi et V. B. deuotae manent, aeternumque ma- „ nebunt. Dat. in castris, in vado fl. Drauae, die „ 2. Oct. 1465." (*e*)

A. C.

(*a*) Chron. P. IV. cap. 66. (*b*) Ep. Coru. P. II. n. 50. p. 144. (*c*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 420. (*d*) Ep. Coru. P. II. n. 21. p. 70. (*e*) Hist. Cr. T. XV. p. 115.—136.

A. C. 1466. *Math.* 9. *Ind.* 14. *P.* 6. *A.*

CCLXX. Mutua grassantium latrocinia tam frequentia his temporibus erant, vt Mathias et Podiebradius de his saepe conquesti fuerint. Ex Hungaris Blasius Podmanitzkius, ex Morauis Matthaeus Sternbergius praecipui grassatores erant. Victorinus, Podiebradii filius, Matthaeum de Sternberg armis coercendum, ni pacem colere velit, promisit, litteris ad Mathiam datis, (*a*) *Brunae*, 1466. 6. *Oct.* Tractatum, cum Sternbergio habitum ac idiomate Slauico confectum, ita Latine Pessina reddidit. (*b*) „ Matthaeus a Sternberg consentit, vt 4. totius „ huius controuersiae arbitri deputentur, — quo„ rum arbitrio se suosque acquieturos promittit. Ca„ ptiui vtrimque detineantur; nec vllum lytrum vl„ lus pendat; donec sententia ab arbitris feratur.—" *Huic transactioni — rex Hung. nulla ratione acquiescere voluit; infra maiestatem suam regiam id reputans, vt cum Mathaussis conferatur, vel in compromissum trahatur: — puniendum prius castigandumque pro merito; ac deinde prospiciendum vtrimque, ne similia accidant in posterum.* — „ Non de solo „ Matthaeo, *scripsit Mathias ad Victorinum*, no„ strae et nostrorum querelae sunt; sed de pluri„ mis aliis subditis ac familiaribus D. regis Bohe„ miae, qui sine vlla iusta caussa incursant regnum „ nostrum, et omnia, quae attingere possunt, igne, „ ferro, rapinis, caedibus miscent. — Dat. Strigo„ nii, in vigilia SS. Simonis et Iudae, 1466." Aliis, ad eumdem Victorinum datis, ita Matthaeum illum depingit: — „ Quoties expulsus est ex Hungaria

(*a*) Pessin. Mart. Morau. p. 774. (*b*) Ibid. p. 776. 777.

„ ria ? quoties profligatus? ipfemet magis nouit.
„ Et tamen adhuc, adtrita licet fronte, infultat, et
„ emendicari vult a fe potius concordiam, quam
„ vltro fufcipere.— Dat. in oppido Samariae, die
„ dominico ante feft. B. Martini, anno 1466.“
Quia vero Victorinus duriora Mathiae verba fibi vi-
fa fuiffe refpondit, quam vt ea cum patre commu-
nicari poffe cenfuerit; „ non oportebat, *repofuit*
„ *Mathias*, Fr. V. tantopere follicitam effe, vt pu-
„ taret, litteras noftras inconfiderate fcriptas, aut
„ ita afperas fuiffe, vt contegi magis mererentur,
„ quam in lucem prodire. Nos et noftri non fo-
„ lum dura et afpera, fed, quod amplius, crude-
„ lia ac nefaria patimur; vos vero mitia verba et
„ fpeciofa habere vultis. Nefcimus certe, quo pa-
„ cto dura et afpera facta aliter, nifi duris et afpe-
„ ris verbis, exprimi poffint. Verba enim rebus
„ accommodata funt.— Exfpectamus autem — vt
„ Fraternitas V. ex debito foederis, nunc nobis con-
„ tra turbatores pacis potius adiutor fit, quam me-
„ diator.— Dat. Pofonii, 8. die fefti S. Martini,
„ 1466.“ Ad querelas autem, contra Michaelis
Orfzag palatini fubditos ad fe delatas, refpondit
Mathias (*a*) „ Compertum fe habere, eos folere
„ prius conqueri, qui inferunt, quam qui patiuntur
„ iniuriam.— Contentum fe tamen effe, vt fiat
„ rei huius emendatio;— dummodo etiam — *illi* —
„ fimilem emendationem facere non negligant. Tir-
„ nauiae, in fefto S. Barbarae. (*b*)

CCLXXI. Haec fuit cauffa, cur Emericus Zapo-
lya, licet Bosniae gubernator effet, in fuperiore
Hungaria plerumque fe detinuerit, quod magis con-
tra

(*a*) Ibid. p. 780. (*b*) Hift. Cr. T. XV. p. 138.—150.

tra hos latrones, quam contra Turcas, qui metu Mathiae quieuerunt, suam operam esse necessariam intellexerit. Et quamuis colluuiem latronum, qui superiores illas partes multis annis exercuerant, variis antea dimicationibus fregerit; illos tamen iisdem partibus insidiari nondum desiisse, discimus ex eiusdem Emerici litteris, ad Bartfenses hoc anno Kesmarkini 19. Ianuarii datis. (*a*) Videtur is iam tunc munere gubernatoris Bosniae priuatus fuisse; quum in iis litteris hoc axioma non adhibeat. Certe, dum Mathias Liptsensium priuilegia 24. Martii hoc anno confirmat, nullum inter magistratus profanos locum obtinet; nec vllus inter eos gubernator Bosniae, sed eius loco banus-Ramae comparet. Nam post Orszagium *palatinum*; Ioannem et Sigismundum comites de Bozin, ac Bertholdum Ellerbach de Monyorokerek; *vaiuodas Trans.* Lad. Palotzium, *iudicem curiae;* Nicolaum Ujlakium, *Sclau. et Machou. banum*; Petrum Szokolium, similiter *Machou. banum*; leguntur Petrus de Zob et Ladislaus de Disznos, *regnorum Ramae, Dalm. et Croat. bani.* Videtur igitur Emericus Zapolya iam nunc in fide vacillasse; vel ideo postea vacillasse, quod nunc exauctoratus esset. Eamdem subinde sortem experturus est Ioannes Vitezius, nunc Mathiae carissimus, cuius fauore praerogatiuam, vt in lite contestata non per se, sed per alium iusiurandum praestare posset, iam prius, vt Varadiensis episcopus obtinuit, nunc autem, vt Strigoniensis etiam archiepiscopus eamdem retineret, ac ad successores quoque transmitteret, idem Mathias concessit, (*b*) *Budae, feria V. prox. ante fest. B. Priscae*

(*a*) Ap. Wagn. Scep. P. IV. p. 15. (*b*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 153.

Priscae V. A. D. MCDLXVI. Metropolitam quoque Colocensem, Stephanum Vardaium, Mathias magni fecit, pro quo saepe iam, vt inter cardinales referretur, Romam scripsit. Quum res ista lentius, quam ipse voluisset, procederet; collegium cardinalium ad id celerius impetrandum interpellauit. (*a*) Ducem quoque Venetiarum in eodem negotio patronum adhibuit; cui sua pariter studia multis argumentis testatus est. Et in Vardaio quidem nonnisi tertio post anno voti damnatus est, at, vt Augustino Iaur. episcopo, mortuo, Demetrius, antea Zagrabiensis episcopus, huic autem Osualdus de Szent-László, sufficeretur, vix a pontifice petiit, (*b*) mox impetrauit: quem Paullus et archiepiscopo Colocensi, et Mathiae regi commendauit, litteris Romae datis, (*c*) *anno incarn. dom.* 1466. 16. *kal. Maii*, *pont. an.* 2. Fuit autem hic Osualdus antea clericus Vesprimiensis; nunc simul gubernator abbatiae Péts-Váradiensis. (*d*).

CCLXXII. Eo diligentius Mathias curandis regni religionisque vulneribus se totum impendebat, quo maior hoc anno quies a Turcis erat. Contra hos imperii principum legati, Norimbergae congregati, quicquid inter se definiuerunt, ad Mathiam regem, praecipuum religionis contra Mahometanos vindicem, transmiserunt. Spes erat, vt tam pronis horum principum animis aliquid contra Turcas agi posset. Sed enim omnem illam destinationem arduum cum Bohemis bellum, cui Mathias, adhortante pontifice, paullo post implicabitur, intercepit.

(*a*) Ep. Coru P. III. n. 1. p. 1. 2. 4. (*b*) Ibid. P. II. n. 12. p. 13. (*c*) Ap. Variat. T. V. p. 489. (*d*) Hist. Cr. T. XV. p. 150.—175.

pit. Podiebradius quidem prolixis litteris, ad Mathiam datis, (e) *Glacii an. inc. MCDLXVI. V. kal. Aug.* se purgare conatur; sed verbis tam speciosis, a quibus facta discrepabant, minime motus Mathias, a consilio propositoque tuendi catholicos, quos ille magis in dies opprimebat, auocari non potuit, eiusque iusiurandum, in coronatione praestitum, quo Romanis pontificibus obedientiam promittebat, ad mandatum Paulli II. Romam transmisit. Quid autem aduersus Podiebradium Romae definitum sit, card. Papiensis ita narrat: (b) *Inter haec iam appetebat dicta iudicio dies; — nec Georgius ad dicendam caussam vsquam apparebat. Itaque, vocatis in sententiam patribus, commentariisque actorum perlectis, dato etiam ad disquirendum spatio, tandem vna omnium oratione periurus, sacrilegus haereticusque, constante de iis criminibus non cognitione tantum, sed fama, conuincitur. — Angebat vna modo pontificem cura et patrum nonnullos, quod vltor tanti decreti certus non apparebat. — De caesare, quod ad omnia esset praeposterus, nulla spes habebatur. Polonorum Hungarorumque reges, quod domesticis laborarent, minus eo tempore idonei videbantur. — Iacere autem sententiam; illum regnare: verbis contendi a nobis; ab illo armis, tum detrimenti, tum vero ludibrii rem iudicabant. Horum vero ita fluctuantes animos vnius Ioannis, card. Portuensis, incitatio confirmauit: qui magni consilii vir haeresumque semper acerrimus oppugnator, —* „ quid, *inquit,* „ metimur humanis iudiciis omnia? an non relin„ quenda magnis in rebus DEO sunt aliqua? si non „ aderit caesar, non Polonus, non Hungarus, spon-

„ deo

(a) Ap. D. Achery T. III. p. 830. (b) Ap. Rayn. ad an. 1466.

„ deo, aderit de excelſo ſancto DEVS, et caput „ impium conteret. Nos iuſta noſtri muneris im„ pleamus. Reliqua ille actutum perficiet." *Ad quam vocem, quod magna hominis erat auctoritas, erectis omnium mentibus, dies natalis Christi, ab illo quintus, pronunciandae damnationi edicitur.* Quia vero Podiebradius 8. Decembris in ſe latam a pontifice ſententiam aſſerit; vel non rite diem adnotauit; vel aliam 25. die menſis eiusdem ſententiam Paullus II. in illum pronunciauit. (*a*)

A. C. 1467. *Math.* 10. *Ind.* 15. *P.* 29. *M.*

CCLXXIII. Priusquam arma Podiebradio Mathias inferret; de neruo belli ſollicitus, aurum, vnde vnde potuit, diligenter corraſit. Exſtat apud Bernardum Pez teſtimonium ab aerarii Cremniceniſis curatoribus leuatorum 4490. florenorum auri, (*b*) *datum Tirnauiae, die dom. prox. ante feſtum epiph. domini, anno eiusdem MCDLXVII.* Ad augendum aerarium regium, ex procerum nobiliumque, Budam euocatorum, conſenſu *triceſimam* quidem ſuſtulit; eius tamen loco nouum quoddam vectigal inſtituit: (*c*) „ vt omnes, mercimonia vel „ equos aut pecuniam importantes de partibus ex„ traneis, vel exportantes ad easdem, memora„ tae ſacrae coronae vectigal, absque omni re„ miſſione, exſoluere vbique teneantur. — Dat. Bu„ dae, in feſto annunciat. B. M. V. A. D. MCDLXVII." Nouum item loco *lucri camerae* tributum *fiſci regalis* in iisdem comitiis eſt inſtitutum, *ita videlicet*, vt ipſe Mathias explicat, (*d*) *vt ſuper ſingulis*

5. *portis*

(*a*) Hiſt. Cr. T. XV. p. 178—202. (*b*) Cod. Dipl. P. III. p. 398. (*c*) Ap. Wagn. Dipl. Saroſ. p. 236. (*d*) Ap. Pray Prior. Aur. p. 52.

5. *portis non plus, nisi vnus florenus tantum semel in anno vbique exigatur. — Dat. Budae, fer. IV. prox. post fest. resurrect. domini, anno eiusd. MCDLXVII.* Orta hinc quaestione de nobilibus praedialibus ecclesiae Zagrabiensis, an illi non tantum titulo, sed etiam priuilegio nobilium gauderent; Mathias Sclauoniae proceribus et nobilibus, tunc Crisii comitiorum caussa congregatis, praecepit, vt ab iis edoceretur, (*a*) an praedialium nobilium *fassiones et iuramenta tanti roboris fuissent, velut ipsorum nobilium regni. — Dat. Budae, in festo B. Margaritae V. A. D. MCDLXVII.* Responderunt illi, rem ita se habere. *Dat. Crisii, sexto die octauarum festi S. Iacobi ap. anno dom.* 1467. Regiis prouentibus auctis, Mathias facilius arma seu Turcis, seu Bohemis inferre potuit; neutris tamen anno hoc intulit. Nam quod de Iaitzensium deditione Dufrenius ad hunc annum refert, (*b*) quatuor abhinc annis prius contigisse tam ex veterum testimoniis, quam ex ipsius Mathiae regis epistolis, ad annos 1463. et 1464. productis, certum est. Turcis ex eo tempore quiescentibus, otium academiam Istropolitanam inaugurandi fuit, cui fundamenta duobus abhinc annis iacta fuisse vidimus. Nam figura caeli, quam Vitezius his verbis expressit: *Hora institutionis vniuersitatis Histropolitanae anno dom.* 1467. *in Iunio*, non initium, sed inaugurationem respicit. (*c*)

CCLXXIV. Litterarias Mathiae curas, anno iam vergente, geminum bellum interpellauit; alterum Transsiluanicum, Moldauicum alterum; vtrumque

(*a*) Ap. Kerchel. H. E. Z. p. 48. (*b*) Illyr. V. et N. cap. IX. p. 124. (*c*) Hist. Cr. T. XV. p. 203.—223.

que mira celeritate, licet nonnihil dispari felicitate, confectum. Primum Turotzius ita describit: (*a*) *Tandem vniuersis partium regni Transsiluanarum nobilibus omnique vulgo suum regium contra culmen rebellione moto, dum sibi nouum principem elegissent, multaque conuoluti in aginina, — regiae maiestatis introitum prohibere niterentur; mox D. rex ex aduerso, — suis ferratis cum aciebus, — irruit super illos: Illi quidem, manibus minime consertis, terrore nimio percussi, — fugerunt.* Bonfinius haec verbosius narrat, (*b*) auctoremque seditionis Benedictum Rufum facit, qui Ioannem, comitem a S. Georgio, vaiuodam, oblata dignitate regia, suas in partes pertraxerit. Quamuis autem illum *inuitum* regem salutatum esse dicat, supplicemque facile veniam impetrasse; non ita tamen innocentem illum fuisse, sicut ipse vult; apparet inde, quod exauctoratus, ad publica munia deinceps admotus non fuerit. Quod tamen de venia, rebellibus data, scribit; id etiam hae Mathiae litterae confirmant: (*c*) „ — Nos de „ benignitate nostra, qua delinquentibus veniam — „ solemus impertiri, — nobilibus et alterius cu„ iusuis status possessionatis hominibus, — super „ nota infidelitatis eorum, quam ipsi ex eo, quod, „ quum nouissime nobiles et incolae harum par„ tium Transsiluanarum regni nostri a fidelitate, „ nobis iureiurando praestita, in eo defecissent, quod „ *pariter cum Ioanne Groff*, quem ad honorem „ vaiuodatus earumdem partium extuleramus, dum „ easdem partes regni nostri Transsiluanas intrassemus

(*a*) Chron. P. IV. cap. 66. (*b*) Dec. IV. Libr. I. p. 566. (*c*) Ap. Pray An. P. IV. p. 34.

„ femus, contra nos exercitualiter infurrexiffent; tum
„ quoque praefati vniuerfi nobiles et poffeffionati ho-
„ mines — contra nos animo nocendi et hoftiliter
„ infurrexerant, ex lege regni noftri incurrerunt,
„ gratiam et mifericordiam duximus faciendam. —
„ Dat. in Thorda, fabbato prox. poft feft. B. Mi-
„ chaelis arch. A. D. MCDLXVII." Ianus quo-
que Pannonius reum fuiffe vaiuodam, indicat hoc
verfu: *Afpice, quam ftultum ftulta fequare ducem.* (*a*)

CCLXXV. Tranffiluanis ad officium reuocatis, in Stephanum, Moldauiae principem, itidem cum fuis rebellem, Mathias exercitum promouit. *Abhinc*, pergit Turotzius, *milite quiete minime recreato, Moldauiam verfus, puta regionem facrae coronae regni Hung. fubiectam, tum rebellem, fuorum flexit habenas equorum. Dum igitur, alpibus tranfitis, magnam terrae eiusdem partem in forti manu peragraffet, et in quodam regionis eiusdem oppido, Banya vocato, cuncta fua cum gente hofpitium accepiffet; Stephanus vaiuoda, earumdem partium dominus, magna vi populi fui coadunata, noctis in conticinio regium irruit fuper exercitum, fuccenditque oppidum; et Hungaros, tum fomno, tum vino occupatos, ad arma excitauit. Elegerat enim Stephanus vaiuoda nocturna fub vmbra regium adoriri exercitum, vt, fi in praelio deficeret, faltem temporis obfcuritas illi auxilio fieret. Fefellit tamen eum fua opinio. Nam fubito rex, cuncto fuo exercitu in tympanorum tubarumque fono conuocato, et tum luna, tum vero dicti oppidi incendiis radiantibus, furibundo cum impetu, irruit fuper illius agmina; ac poft multam vtriusque partis decertationem, poftque maximam in Valachis factam ftragem, Stephanus vaiuoda terga dare eft coactus. Quapropter* rex

(*a*) Hift. Cr. T. XV. p. 224.—232.

rex triumphum praeclarum atque memorabilem obtinuit. Vnde et vexilla plurima in signum inclitae victoriae suae Budam vsque adduxit, quae magna cum celebritate in parochiali gloriosissimae V. M. ecclesia locata cernuntur etiam hodie. Testimonio tam luculento de victoria Mathiae regis, pondus addit haec inscriptio Coronensis: (*a*) „Mathias rex pro- „ficiscitur in Moldauiam post festum Martini: at- „que eam Hungariae subiicit.“ Victor igitur fuit; si Moldauiam Hungariae subiecit. Stephanum certe Mathiae iuribus obnoxium fuisse, haec istius ad illum verba testantur: (*b*) „Nos parati sumus— „tibi complacere; dummodo videamus in expe- „rientia oblatum nobis et coronae obsequium no- „strae tuum.“ Quare non est, cur Dlugossum, Mathiae regi iam alias quoque saepius iniurium, operose refellamus, qui Stephanum vaiuodam de Mathia victoriam retulisse, caesisque 10. millibus Hungarorum, aliquot signa militaria Casimiro, Poloniae regi, tamquam suo principi, per nuncios in signum victoriae transmisisse scribit. (*c*) Et hic quidem auctor pugnam hanc ad 15. Decemb. anni 1467. defigit; Bonfinius vero, festo D. Catharinae versus Moldauiam mouisse Mathiam asserit, (*d*) qui simul addit, Mathiam a quodam Siculo praemonitum fuisse, *Valachorum XIII. millia haud procul hinc* abesse, *qui Hungaros prima vigilia noctis incautos adorirentur trucidarentque.* Si hoc tuto credi posset; illud Turotzianum falsum esset: *Hungaros, tum somno, tum vino occupatos, ad arma excitauit.* Sic enim praemoniti nec somno, nec vino dediti fuissent. Sed enim incredibile videtur,

(*a*) Ap. Schwandt. T. I. p. 886. (*b*) Ep Coru. P. IV. p. 146.
(*c*) Libr. XIII. col. 418. (*d*) Dec. IV. Libr. I. p. 570.

rusticum tam accuratum numerum hostium desi-gnare potuisse. Mathias ante reditum *prouincias Fogaras*, *Omlus et Redna*, regii iuris esse, quae numquam abalienari possint, declarauit. (*a*)

A. C. 1468. *Math.* 11. *Ind.* 1. *P.* 17. *A.*

CCLXXVI. Mathiam et iustam belli, Moldauis inferendi, caussam habuisse, et victoriam inde reportasse, praeter argumenta cetera, hoc etiam eiusdem responsum, ad Poloniae proceres hoc anno datum, satis superque probat: (*b*) Duo sunt, „ *inquit*, quae nobis per litteras vestras imputa-„ tis: inuasionem Moldauiae, tamquam ad regnum „ vestrum pertinentis terrae; et damna, nec non „ iniurias, vobis et vestris ex Hungaria per nostros „ illatas: ac requiritis nos ad veterum vtrimque „ foederum obseruationem, et communi arbitrio „ perpetrata committi postulatis. Primum, quod ad „ Moldauiam attinet; nos quidem, nullo instigan-„ te, eam inuasimus, nisi Stephano ipso, regionis „ illius tyranno: qui quum sua nobis promissa „ minime obseruaret; et exsules nostros foueret; „ ac e regno nostro instar Turcorum continuas re-„ rum et hominum praedas abigeret; nec requisi-„ tus, malefacta emendare vellet; nonne digne a „ nobis meruit castigari? Pro quibus certe cui-„ cumque, etiam alieno, bellum indicere satis le-„ gitime potuissemus. Sed nos eum nostrum esse „ subditum, ipsius confessione scimus. Quodsi et „ vobis eodem nomine adulatur; more suo facit. „ Nam et Turcis, et Tartaris se itidem exhibet. Ad

„ hoc

(*a*) Ep. Coru. P. III. p. 11. Hist. Cr. T. XV. p. 233.—243.
(*b*) Ep. Coru. P. III. n. 28. p. 56.

„ hoc videlicet, vt inter tot dominos perfidia eius
„ diutius maneat impunita. Terram vero illam
„ nostri iuris esse, antiquissimus et continuatissi-
„ mus praedecessorum nostrorum, regum Hung. ti-
„ tulus declarat, non quidem inanis, sed possessio-
„ ne, numquam interrupta, munitus. Nam, vt
„ vetustiora nunc omittamus; post memoriam ho-
„ minum vaiuodae Moldauienses semper regibus
„ Pannonicis seruierunt; et prouincia illa nullum
„ habuit praesidem, nisi hinc approbatum, vel im-
„ missum, vsque eo, vt genitor noster, qui tan-
„ tum gubernator erat, plures illic successiue ad
„ libitum et sine contradictione praefecerit vai-
„ uodas. — Ceterum de damnis et iniuriis multa
„ et vera etiam nos queri possemus: sed, postquam
„ opportune per vos communis arbitrii mentio in-
„ ducta est; libenter huiusmodi examen assumimus.
„ — Anno 1468." Proceres quoque Hungariae simile responsum illis reddiderunt. (*a*) Eodem fere tempore per Protasium, Olomucensem episcopum, Mathias Heduigem, Casimiri filiam seniorem, ad connubii foedus exposcebat. Negatae sponsae caussam inter alias hanc Dlugossus commemorat: (*b*) quod, *feudalem regionem regni Poloniae et eius principem Stephanum Moldauiae, diffidatione non praemissa, bello et incendiis affecerit.* Sed iam vidimus, vanum hunc obtentum fuisse, quum ipse Stephanus vaiuoda Hungariae ius in Moldauiam agnouerit. (*c*)

CCLXXVII. Quum hae legationes et responsiones fiebant; Mathias iam bellum Bohemicum gerebat.

(*a*) Ibid. n. 32. p. 63. (*b*) Libr. XIII. col. 423. (*c*) Ep. Corn. P. IV. n. 59. p. 146. Hist. Cr. T. XV. p. 244.—153.

bat. Quum ex bello Moldauico rediret; non tantum Emericum de Zapolya, sed etiam nobilem Paullum Varjú, familiarem eius, in gratiam recepit, (a) *in Nadudvar* (prope Coloczam) *in festo B. Scholasticae V. A. D.* 1468. Sub initium autem Maii iam illum expeditionem Bohemicam suscepisse, colligitur ex Hungari cuiusdam antistitis ad Protasium Olomucensem hac epistola: (b) „ Vehementer placuit D. nostro Regi et opera vestra, et „ epistola. — Scribere ad illum regem vsque ad „ aduentum vestrum regia M. distulit, etiam ex „ eo, quod his diebus fuit hic nuncius praelatorum et baronum Poloniae cum litteris, certa „ vtriusque negotia continentibus: cui D. rex, „ vna nobiscum, tam verbis, quam scriptis humaniter et amice respondit: ac istud sufficere ad „ praesens putat. Vbi vero vos comparueritis; „ faciet, quicquid consuletis." *In descensu campestri prope oppidum Law*, 3. *Maii*, 1468. Priusquam Mathias istuc cum exercitu venisset; Agriae, si Bonfinio credimus, (c) comitia celebrauit, et cum SS. et OO. de bello Bohemico deliberauit. Budam inde profectus, *vix octo hic dies exegerat, quum Georgio regi per fecialem bellum indixit; et motis hinc castris, Posonium contendit.* Quum hinc caussas belli suis litteris per Europam vulgasset; aiebat inter cetera: (d) „ Non ambitio vlla, nec „ aliquod temporale commodum nos illexit; sed „ iniquissime oppressorum miseratio, et apost. sedis reuerentia, et sincerae fidei zelus animauit. „ — Dat. Posonii, 8. die Apr. anno 1468." Ibidem

(a) Ap. Wagn. Dipl. Saros p. 389. (b) Ep. Coru. P. III. n. 29. p. 59. (c) Dec. IV. Libr. I. p. 572. (d) Ep. Coru. P. III. n. 45. p. 88.

dem eadem die Bohemos ipsos de sua protectione securos reddidit. (a) Id vero speciatim Olomucensibus propter episcopum Protasium promisit. (b) Quidam vero regis aulicus cautam Mathiae moderationem ita Romam perscripsit: (c) „ D rex suscepit „ nomen et officium protectoris dumtaxat, non „ principis; nec vult suscipere vllo modo titulum „ regium; — quia per hoc rex Poloniae exacer„ baretur. — Nos rem, vt videtis, incepimus; „ sed, vt persistamus in bello, stat potissimum in „ pontifice. — Imperator est frigidus: rex Poloniae „ pauper: Teutonici otiosae lasciuiae deditti. Facite saltem, vt pro ceteris incalescat papa. — Po„ sonio, 10. Aprilis, 1468.“ Non solum Podie„ brado, sed etiam eius filio, Victorino, bellum Mathias ita denunciauit: (d) „ Fastidire vos anim„ aduertimus quietis consilia et communem cum „ vicinis concordiam pati non posse. — Nihil vos „ maiori diligentia prosequi videmus, quam vt „ ex bellis bella serendo, iniiciatis incendia finiti„ mis. — Inter caussas igitur adfert et bellum, Fri„ derico caesari, foederato suo, denunciatum; et „ iniurias, Hungaris toties illatas; et orthodoxo„ rum Bohemorum oppressionem. Bello sic indicto, Mathias exercitum eodem Aprili mense Lauam promouit; sic enim epistolam, qua Ioannem episcopum Varad. renunciauit, ad pontificem datam, clausit: Datum in castris campestribus, intra fines Morauiae, prope oppidum Law, vltimo die Aprilis, anno 1468.“ (e)

 CCLXXVII.

(a) Ibid. n. 44. p. 87. (b) Ibid. n. 18. p. 42. (c) Ibid. n. 17. p. 39. (d) Ibid. n. 8. p. 14. (e) Ibid. n. 11. p. 23. (f) Hist. Cr. T. XV. p. 253—305.

CCLXXVIII. Quid ad Lauam, in Austriae finibus ad Morauam fl. sitam, actum fuerit, Bonfinius ita describit: (*a*) *Ad ripam Vngarus castra locat; e conspectu rex Boemiae metatus est. Mensis hic teritur. Nulla, collatis vtrimque signis, pugna conseritur; praeter simulacra quaedam praelii.— Pares vtrimque vires: par vtrisque metus, audacia, numerus ac robur: ducibus quoque par virtus et prudentia; sed impar aetas; quando septimum vix Mathias et vigesimum claudebat annum; quum Georgius sexagenarius fortasse fuerat. Veteranus tironis, et tiro veterani ingenium, fortunam vterque verebatur. Quin et oberta vltro citroque pristinae suauissimaeque affinitatis quandoque memoria pugnae studium remittere.— Interuentu etiam procerum vtriusque de induciis et pace agitatum.* Pacis innouatio his conditionibus tentata fuit: (*b*) „ *I.* quod D. rex Hung. „ intimet sedi apost. bonam intentionem Bohemo„ rum circa vnionem, et ad petitionem eius pon„ tifex mittat legatos suos —" sed haec, quae hic fusius exponuntur, breuius exhibet epistola cuiusdam aulici ministri, qui res hactenus actas ad Mathiae regis in aula pontificia legatum ita perscripsit: (*c*) „ — Dum castra metati essemus prope „ oppidum Law, et Georgius de Podiebrad in op„ posito nostri quasi per vnum milliarium; fiebant „ quotidie pugnae particulares et rapinae, in qui„ bus omnibus semper nostri fuere superiores.— „ Orta interim est pacis mentio. Articuli seu po„ stulata nostra fuerunt:" I. *Vt ipsi, abdicata haeresi, communionem sedis apost. simpliciter reciperent.*

(*a*) Dec. IV. Libr. II. p. 578. (*b*) Ep. Corn. P. III. n. 36. p. 67. (*c*) Ibid. n. 38. p. 70.

rent. II. *Vt catholicis ablata statim restituerent.* III. *Vt imperatori bellum non inferrent.* — IV. *Vt damna et iniurias, regi et regnicolis Hungariae illatas, reformarent, et deinceps numquam inferrent; expensas etiam belli praesentis refunderent.* Vltimo, *vt ad haec omnia obseruanda non solum verbis et litteris — se firmiter adstringerent; sed insuper obsidibus vel pignoribus, ad manus communes traditis.*
„ Multa de his hinc inde agitata sunt. — Apparebat, Bohemos dare nobis pulchra verba. — Quapropter ab his tractatibus desitum est, et pugnatum praeliis particularibus per duos dies acrius, quam vmquam antea. Postea Georgius rex — cum exercitu suo retrocessit. Caussae retrocessionis suae — fuerunt, primum inopia victualium, quae nec in loco illo sibi abundabant; nec a tergo seu a lateribus adduci poterant propter continuas infestationes nostrorum. Deinde, vt intelligeret, quo nos interim tenderemus. — Interim regia maiestas ad ciuitatem Znoymam mouit exercitum. — Postero die Georgius ad nos se reflexit. — In aurora sequenti noster rex, cum toto equitatu, et parte aliqua peditatus statuit eum ex occasione per insidias lacessere. Verum ille — longius abiit. — Quaeritis tamen forte, cur tanto tempore non sit facta pugna generalis? Ratio fuit ista, quod neutra pars voluit facile vltimam tentare fortunam, et ponere ad aleam totum statum. Praeterea nos praeualemus longe equitatu; hostis autem numero peditum et *munimentis curruum*; quae oppugnari temerium fuisset. — Imperator est multum frigidus, more suo; et Australes sui nos quotidie deserunt; immo magis spoliant a tergo, quam iuuant. In rege Poloniae spes modica est; quia

pauper

„ non eſt dubium, quod pater ducem et primogenitum ſuum nullatenus derelinquet; — hortamur vos diligentiſſime, — vt, miſſis aliis rebus, quanto celerius poteſtis, ad nos cum omni potentia veſtra feſtinetis. — " Annus quidem 1468. ſed dies et menſis nullus eſt ſubſcriptus. Trebitzium, iuxta Bonfinium, 26. *Maii* fuit incenſum; ex arce vero, ſecundum Dlugoſſum, 5. *Iunii* Victorinus erupit. Ceterum Mathias Romam litteras ante 26. Maii iam dedit, cum hoc epilogo: (*a*) *Dat. in obſidione caſtri Trebicenſis, XI. kal. Iunii,* 1468. Poſtridie ſuum affinem, quem obſidebat, ſuauiter obiurgauit, (*b*) qui tandem, auxiliis a patre ſubmiſſis, teſte Dlugoſſo, (*c*) *nocte, diem pentecoſtes antecedente, — obſidentium manus euadens, — magna ſui ſpe Hung. regem — feſellit.* Parcius nempe catholici, quam par erat, ad ſuos hoſtes impugnandos concurrerunt; vnde Mathias merito queſtus eſt, datis ad Protaſium Olomucenſem hisce litteris: (*d*) „ — Quum nos pro DEO et fide recta piam catholici populi protectionem ſuſcepiſſemus; *duobus fere iam exactis menſibus*, magnis noſtris et noſtrorum laboribus ac impenſis id negotium continuauimus, totam belli molem quaſi humeris noſtris ſuſtinendo; quum interim nulla aut minima eorum, pro quibus praecipue haec agimus, auxilia nobis praeſto eſſe videamus. — Datum in obſidione Trebicenſi, die 1. menſis Maii, 1468." Certum eſt, Maio Iunium eſſe ſufficiendum; Mathias enim, quem 8. menſis Apr. Poſonii vidimus, duos belli menſes ad 1. Maii non exegit. (*e*)

CCLXXX.

(*a*) Ibid. n. 40. 41. p. 80. 82. (*b*) Ibid. n. 10. p. 21. (*c*) Libr. XIII. col. 422. (*d*) Ibid. n. 20. p. 45. (*e*) Hiſt. Cr. T. XV. p. 318.—337.

CCLXXX. Mathias, Trebitzio post fugam Victorini dedito, versus Brunam castra mouit, ac 23. Iunii iam Spielbergam obsidione cinxit. *Mox castellum*, inquit Bonfinius, (*a*) *vrbi prominens, obsedit, quod a valido haereticorum praesidio tenebatur. Id octauo die post corporis Christi sollemnia obsessum est, quod vix nouem mensium obsidione capere potuit. — Quum in expugnando conatus omnes elidi intelligeret; — Magyarum Blasium cum Paullo* (Kinisio) *in obsidione dimisit; ipse vero ad Olomucium, vrbem Morauiae praestantissimam, castra mouit. — Quum Olomucio appropinquasset; ciues continuo obuiam prodiere. — Arx tantum extra vrbem erat munitissima, haereticorum praesidio obfirmata. Citra moram hanc obsidet; ac paucis post diebus vi expugnata potitur.* Mathias adhuc 28. *Iunii* Brunae; (*b*) sed 11. *Iulii* iam Olomucii litteras dedit. (*c*) Pluribus indidem litteris ad diuersos, vt auxilia contra Podiebradum accelerarentur, datis, (*d*) ostendit, quanto studio hoc bellum complexus fuerit; quomodo tandem, auxiliis promissis destitutus, solus paene totam belli molem sustinere debuerit. Olomucii commoratus, in fauorem Carthusianorum tam 11. *Iulii*, quam 1. *Septembris* diplomata confecit. (*e*) Intra hos dies non semper illum Olomucii haesisse, patet ex ipsius litteris, ad Podiebradii legatos ex castris ante Brodam Hungaricam *IX. kal. Aug.* datis, vbi haec inter cetera scribit: (*f*) „Vidit nos nostrumque exercitum rex Georgius; et „cessit

(*a*) Dec. IV. Libr. II. p. 579. (*b*) Ep. Corn. P. III. n. 33. p. 64. (*c*) Ibid. n. 21. p. 47. (*d*) Ib. n. 23. 24. 25. 27. 28. 29. p. 50.—80. (*e*) Ap. B. Pez. Cod. Dipl. P. III. p. 222. (*f*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 49.

„ cessit mihi: fortasse erit tempus; quando etiam „ fugiet." Contra Podiebradius gloriatur, Mathiam oblatum a se praelium recusasse, ac prope Lauam, castris positis, fossis et vallis se se communiuisse. Hoc sane laudi, non vitio Mathiae dandum est, quod castra sua contra vicinos hostes communiuerit: quod Podiebradius improuide neglexit, suosque Hungarorum vexationibus et caedibus imprudenter exposuit. Vterque sibi metum exprobrat; vter rectius, effecta docent. Mathias, autumno iam appropinquante, quum reditum in Hungariam adornasset; per Viennensem agrum et vrbem rediturus credebatur. Ne quid tamen Friderico suspicionis iniiceret; iter alio vertit, et sub medium Septembris Posonium tenuit, vt patet ex litteris, ad Ferdinandum Neapolitanum datis, (*a*) *ex Histropoli, 15. Septembris*, 1468. Excitis istuc Hungariae statibus et ordinibus, necessitatem continuandi belli, neruique pro hoc feliciter conficiendo conferendi, prolixe proposuit. Consentientes status regni habuit, ea tamen adiecta conditione, ne hoc in legem et exemplum abiret, optimates vt pro rege cauerent. „ Dum, *inquit Mathias*, (*b*) reuer-
„ teremur de Morauia; per totam hanc aestatem
„ in eadem Morauia et Bohemia contra haereticos,
„ — graui bello — fatigati, rediissemus in hanc ci-
„ uitatem nostram Posoniensem; et — declararemus,
„ — quod necessarium esset eos compescere, vel
„ exstirpare, qui antea sanguinem nostrum sine
„ intermissione sitiebant; iidem — certum subsidium
„ pecuniae ad prosequendum vlterius hoc contra
„ dictos haereticos negotium, vltro nobis obtule-

rant. —

(*a*) Ep. Coru. P. III. n. 43. p. 86. (*b*) Ex MSS. Bibl. Quinquesccles.

„ rant. — Dat. Hyſtropoli ſiue Piſonii, 28. die Se-
„ ptembris, an. dom. MCDLXVIII. — Et nos Ste-
„ phanus card. eccleſ. Coloc. et Bach. Ioannes Stri-
„ gon. A. S. L. natus, archiepiſcopi; — — — "(a)

A. C. 1469. *Math.* 12. *Ind.* 2. *P.* 2. *A.*

CCLXXXI. Apparatis rebus ad proſequendum bellum neceſſariis, Mathias, *idibus Februariis*, inquit Bonfinius, (b) *in prouinciam rediturus, iter iniuit. — In regis aduentu Spielbergum, a Magyare Blaſio obſeſſum, deditionem continuo fecit.* Quod Mathias illico cum Hungaris ita communicauit: (c)
„ — Caſtrum capitale totius marchionatus Mora-
„ uiae, Spilberg nuncupatum, ſupra ciuitatem Bru-
„ nenſem ſituatum, vna cum aliis ciuitatibus et
„ caſtris, proxima dominica, — manu potenti et
„ valida occupauimus. — Dat. Brunae, feria 2.
„ prox. ante Ramis palmarum, anno dom. 1469."
Spilberga 19. Martii capta, Kuttenbergenſem viciniam euaſtauit. Haud longe Podiebradius abfuit; *congredi tamen, ne vna dimicatione conflictus, perpetua cum ſuis omnibus obrueretur clade, non auſus eſt aperto Marte*, vt Dlugoſſus, licet Mathiae non amicus, teſtatur. (d) *Barones autem*, ait ſcriptor ſynchronus, (e) *videntes tot et tanta beneficia, in eos collata; conſiderantes labores dicti regis Hung. et periculum perſonae et ſtatus ac dominiorum, in quo ſe ob defenſionem eorum conſtitueret; volentes bonum pro bono, eumdem Mathiam in regem proprium elegerunt et acclamarunt: apud eum maximis inſti-*

(a) Hiſt. Cr. T. XV. p. 337.—360. (b) Dec. IV. L. II. p. 578. (c) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 124. (d) Libr. XIII. col. 439. (e) Ap. Kapr. H. D. P. II. p. 592.

institerunt precibus, vt electioni consentiret; illam acceptaret, eorumque protectionem denuo, vt rex et dominus, suscipere vellet. Electionem hanc, 3. Maii factam, vt Mathias acceptaret, *maximis precibus* rogari debuit, quam eadem die Hungariae comitatibus et ciuitatibus ita significauit: (*a*) „ — Conuenientibus in hac ciuitate Olomucensi in vnum „ omnibus fere maioribus proceribus Christianis „ Bohemiae, Slesiae, Lusatiae et Morauiae, sub „ obedientia S. R. ecclesiae exsistentibus, quia ne„ cessitas rerum fidei et etiam multae aliae caussae „ ita vrgebant, ipsi hodie nos vno voto omnes „ in regem Bohemiae elegerunt. Cui quidem ele„ ctioni, *eorum precibus inducti*, de consilio RR. „ DD. apost. sedis legatorum, ex caussis rationa„ bilibus consensimus, sperantes, inde tum regno „ nostro Hungariae, tum rebus fidei euenire bo„ num non mediocre. — Datum in Olomucz, in „ festo inuentionis S. Crucis, A. D. MCDLXIX.“ Hymnus igitur Turotzianus, librariorum errore corruptus, ita restituendus est: (*b*) *Maximo cultu venerandа* quinto *egimus* nonas *Maii iocunde festa victricis crucis et beatae digna repente.* (*c*)

CCLXXXII. Honorem istum, a catholicis Mathiae delatum, Podiebradius otiosis oculis spectare minime potuit. Vt igitur aegre riuali suo faceret; pro legendo sibi successore comitia Pragam indixit: ad quae paucos admodum comparuisse, Dubrauius perhibet. (*d*) A paucis illis Podiebradius haud difficulter obtinuit, vt Wladislaus, Casimiri P. R. filius sibi successor destinaretur. Interea Mathias Silesiam

et

(*a*) Ibid. P. I. p. 480. (*b*) Chron. P IV. cap. 66. (*c*) Hist. Cr. T. XV. p. 368.—383. (*d*) Libr. XXX. p. 289.

et Lusatiam in fidem recipiebat, quem vt inde Podiebradius abstraheret, Victorinum filium ad eas Morauiae partes, quae nouo regi fidem iurarunt, vastandas cum exercitu misit. Mathias, re cognita, mense Iulio Morauiam repetiit, et Victorinum, in oppido Vezele conclusum, obsedit, fugamque meditantem intercepit. Quorum id opera factum sit, ex his litteris, anno sequente datis, apparet: (*a*) „ Nos Mathias, D. gr. rex Hung. Bohemiae, — „ memoriae commendamus, quod nos, considera- „ tis fidelitate et seruitiis fidelium nostrorum nobi- „ lium, Ladislai de Madach et Caspari de Ianosi, „ per eos, — praesertim in Bohemia et Morauia „ nobiscum contra Bohemos haereticos exercituan- „ tes, exhibitis, qui et Victorinum, filium Geor- „ gii de Podiebrad, captum nobis adsignarunt.—" Victorino 27. Iulii capto, plura Mathias agere potuisset; si neruo belli destitutus non fuisset. Ad hunc igitur colligendum, teste Bonfinio, (*b*) *Michaelem, lectorem Strigoniensem, ea tempestate ab epistolis illi seruientem, paullo ante, quam Bratislauiam intraret, pecuniarum gratia Viennam miserat, vt, quod in ea expeditione promiserat imperator, re ipsa praestaret. Cuncta vnius anni Austriae vectigalia; praeterea e nobilitatis ordine* 1000. *equites caesar obtulerat. Nobiles equites* 1000. *ex compacto miserat. Remiserat illos Mathias, caussatus ineptum militiae genus hominum. Stipendia* 1000. *equitum, quam equites, habere maluit. Quod Australes quoque nobiles facere non recusarunt. Promissa ab imperatore*

(*a*) Ap. Bel. Not. H. T. I. p. 168. (*b*) Dec. IV. Libr. II. p. 582.

tore stipendia non soluta.— Ex quo discordiarum, quae Mathiae cum caesare intercesserunt, vnde Australe bellum obortum est, semina profluxere. Hic agente Mathia, Turcae Zagrabiensibus periculum intentabant: quod quia canonici feliciter auerterunt; ciues, depositis veteribus odiis, pacem cum illis composuerunt. (*a*) *feria* 3. *prox. post fest. S. Hieronymi*,— *A. D.* 1469. Tum vero Mathias canonicis, vt ad arcendas Turcarum incursiones vrbem capitularem munire possent, concessit, (*b*) *Budae, feria* 6. *prox. ante fest. B. Elisabeth viduae*, *A. D.* 1469. Ad eiusdem Mathiae preces Paullus II. concessit, vt Posoniensis praepositus, Istropolitanae academiae procancellarius, pontificalibus ornamentis vti possit, (*c*) *an. inc. dom.* 1469. *idibus Aug. pont. an.* 5. Erat praepositus ille Georgius de Schomberg, in quem Vitezius vices suas in dioecesis illa parte regenda transtulit. (*d*)

A. C. 1470. *Math.* 13. *Ind.* 3. *P.* 22. *A.*

CCLXXXIII. Adducto Budam Victorino, Mathias ibidem comitia celebrauit, expositaque belli gerendi necessitate, tam promtos ad neruum belli conferendum status et ordines regni habuit, vt „ obtulerint vltro de singulis portis per totum re„ gnum singulos 100. denarios, siue vnum flore„ num auri. — Et quia, *subiicit*, (*e*) etiam pro„ missioni nostrae, Posonii factae, contrarium non „ videbatur, quando vltro offertur; — acceptaui„ mus: — nihilominusque eis pro futuro promitti- mus,

(*a*) Ap. Farlat. T. V. p. 491. (*b*) Ibid. p. 492. (*c*) Ap. Péterf. Conc. P. II. p. 16. (*d*) Hist. Cr. T. XV. p. 385. —414. (*e*) Ap. Pray An. P. IV. p. 61.

„ mus, quod numquam aliquod ſubſidium aut ali-
„ quam taxam extraordinariam ad quascumque ne-
„ ceſſitates regni ab eis, contra eorum volunta-
„ tem, exigere faciemus. — Datum Budae, 25. die
„ conuentionis praenotatae, A. D. MCDLXX. re-
„ gni noſtri anno XII coronationis vero VI." Menſis quidem expreſſus non eſt; vltra tamen Ianuarium, poſt quem Mathias annum regni non XII. ſed XIII. agere coepit, differri tempus editi diplomatis non poteſt. In eo vero diplomate, quo Budenſi ciuitati praedium Saſſad confert, (*a*) nec annus eſt adſcriptus; quia tamen titulum *regis Bohemiae* praefert, ante ſuperiorem annum collocari non poteſt. Mathias, comitiis Budae concluſis, mox ad alia cum Friderico celebranda Viennam conceſſit, de quibus ita Dlugoſſus ſcribit: (*b*) *Conuentu perſonali pro die purificationis S. M. V. in Vienna facto, in quo amicitia ipſa per filiam imperatoris Cunegundim, in vxorem Hungariae regi dandam, debebat ſtabiliri: et in quo Hung. regi ceſſionem iuris regni Hung. et tituli — petebat; adeo vtriusque animi irritati et offenſi ſunt, vt Mathias H. R. inſalutato caeſare, ex Vienna tumultuarie, mane per Danubium vectus, disceſſerit.* Nondum 17. Februarii Mathiam Vienna diſceſſiſſe, patet ex litteris, quibus eadem die pro ſubmiſſis leonibus gratias Florentinis egit. „Agimus, *inquit*, (*c*) vobis gra-
„ tias haud vulgares, cum ob earum ferarum
„ miſſionem, quae profecto et perrarae ſunt, no-
„ ſtris praeſertim in locis, et habent certam, vel-
„ ut ipſi etiam attigiſtis, — cum regibus ſimili-
„ tudinem; tum vero longe magis ob id, quod

 tali

(*a*) Ap. Kapr. P. I. p. 479. (*b*) Libr. XIII. col. 445. (*c*) Ep. Coru. P. III. n. 46. p. 91.

„ tali munere significare voluistis, totam remp. ve-
„ stram in hoc suo vetusto insigni nobis esse obla-
„ tam. — Ex Vienna, 17. Febr. 1470." *Fortem fortia dona decent.* Ita Ianus Pannonius lusit. *Quid quod idem ducibus clarum est insigne Bohemis! Grande noui sceptri scilicet omen habes.* Immo 7. Martii Mathiam adhuc Viennae fuisse, Kerchelichius indicat testimonio litterarum, hoc anno *die cinerum Viennae datarum.* (*a*) Sed 27. *Martii* priuilegia praedialistarum Zagrabien. ecclesiae iam Budae confirmauit. (*b*) Ibidem 6. *mensis Aprilis* in fauorem Rozgoniorum diploma dedit; (*c*) eiusdem vero mensis *die* 23. Trenchinii Ioannem Ernst prouinciae Turotziensi praefecit. (*d*) Sed inde Budam reuersus, septem montanas ciuitates a communibus oneribus et tributis exemit, *in festo inuent. S. Crucis, anno dom.* 1470. (*e*)

CCLXXXIV. Dum ita Mathias in communem populorum suorum vtilitatem intentus erat; grauis in illum tempestas, vnde minime debebat, excitata fuit. Fridericus nempe caesar, quum iam antea prouentus Austriae, quos in Mathiae subsidium addixerat, negasset; nunc nouam in eius caput fabam cum Casimiro, Poloniae rege, cudebat. Postquam Alexander Forliuiensis, orator apostolicus, Casimirum adhortatus fuisset: (*f*) „ vt in
„ Georgium Posdziebraczki, haereticum et ecclesiae
„ Rom. rebellem, consurgeret; — vt cum Mathia
„ H. R. foedus et affinitatem per filiam iungeret —;
„ *orator caesareus contra monuit illum:* quatenus

„ rex

(*a*) Hist. Eccl. Zagr. p. 186. (*b*) Ibid. p. 48. (*c*) MSS. Heuenes. (*d*) Ap. Bel. Not. H. T. II. p. 307. (*e*) Hist. Cr. T. XV. p. 418.—445. (*f*) Dlugoss. L. XIII. col. 454.

„ rex Poloniae caueret ſibi a rege Hung. Mathia; „ et periculo ſuo caeſareo attento, numquam in „ foedus et fidem ſecum veniret; dolis, aſtutiis, „ ingeniis, ſi ſecus ageret, illaqueandus.“ *Auditus eſt caeſareus is nuncius benigne, et liberalibus donis onuſtus remiſſus.* Fingit deinde Mathiam a Bohemis fugatum; *nec eo anno, aerarii obſtante defectu, exercitum comparare potuiſſe.* Sed enim, ſi haec vera forent; non potuiſſet pontifex Mathiae gratulari de victoria hunc in modum: (a) „— Non „ ſine ingenti gaudio nos et ven. fratres noſtri, „ S. R. E. cardinales, intelleximus felicem illam „ victoriam, quam celſitudo tua, diuino tibi aſſi„ ſtente praeſidio, contra perfidos illos haereticos „ *nuper* adepta eſt. — Romae apud S. Petrum, an. „ MCDLXX. pontificatus noſtri anno VII.“ Quia Paullus pont. annum VII. poſt Auguſtum menſem inchoauit; hac epiſtola, ſub finem anni huius ſcripta, non de ſuperioris, ſed de huius anni victoria, *nuper* relata, gratulatus eſt. Hoc item anno Podiebradius Mathiam ad duellum prouocauit, vt ex eius legatorum litteris apparet, (b) *datis in caſtris ad Cremſirium, die dominico, in feſto S. M. Magdalenae, anno MCDLXX.* Id Dubrauius anno 1469. Bonfinius 1468. factum fuiſſe ſcribit, et hic hoc Mathiae reſponſum ſubiicit: (c) „ Principes „ armati in campo decertant: proinde ſi verus „ princeps es; eia age, nunc equeſtri certamine de„ pugnemus.“ Certe duello cauſſa belli tolli non potuiſſet. Dlugoſſus geminae hoc anno Turcarum in Croatiam irruptionis meminit; et priorem quidem

(a) Ap. Rayn. ad an. 1470. (b) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 66. (c) Dec. IV. Libr. II. p. 580.

dem *ad XI. Octobris* figit, (*a*) qua 10. *millia captiuorum* abducta fuerint; alteram *circa festum natiuitatis Christi* collocat, *nullo opem miseris ferente, quamuis Pannonicus rex, Mathias, sub diebus ipsis, quibus haec gerebantur, praesens fuerit.* Vitio nempe dat Mathiae, quod, Turcis ad Sauum ex improuiso procurrentibus, non illico, licet hibernum tempus esset, instar auium Buda cum copiis illuc aduolauerit. (*b*)

A. C. 1471. *Math.* 14. *Ind.* 4. *P.* 14. *A.*

CCLXXXV. Paullus pontifex, de victoria Mathiae regi gratulatus, non multo post mysticum ensis ac pilei munus, rarum id temporis pontificum amoris in illos, qui de religione Christiana bene meriti fuissent, pignus, eidem transmisit, cum his litteris: (*c*) „ — Suscipiat dextera tua, carissime „ fili, munus apostolicum, caelesti benedictione „ praeditum. — Dat. Romae ad S. Petrum, die XIV. Ian. MCDLXXI. pont. VII." Adiecit 18. millia, secundum Spondanum 100. millia, numum aureorum, plura pollicitus. „ Gratias agens, *re*„ *spondit Mathias*, (*d*) quas possum, inprimis „ DEO nostro, qui per Christum suum respexit „ humilitatem meam; deinde clementiae S. V. cu„ ius praeclarissimi muneris tam re, quam signifi„ catione confortatus sum ad prosequendam curam „ et sollicitudinem de propaganda fide. — " Mathias, pontificio dono hunc in modum excitatus, nihil antiquius habuit, quam vt oppressos in Bohemia

(*a*) Libr. XIII. col. 461. (*b*) Hist. Cr. T. XV. p. 446.—466. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1471. (*d*) Ep. Coru. P. II. n. 30. p. 87.

mia catholicos aduerſus Podiebradium tueretur. Collectis igitur militum ſupplementis, *Morauiam repetere coepit*, vt Bonfinius ſcribit. (*a*) *Quum Iaurinum veniſſet; nuncii extemplo varii occurrere, qui Georgium, Boemiae regem, humanis exceſſiſſe dicerent.* Addit, Mathiam ad Iglouiam cum exercitu ſubſtitiſſe; Cuthnam ad comitia Nicolaum Chupor, vaiuodam Tranſſiluaniae, miſſum fuiſſe; vix hunc a Bohemis auditum eſſe; hos demum in Wladislaum Polonum, cuius, dum haec ſcriberet, ſuperſtitis laudes ſupra fidem extollit, conſenſiſſe. Mortem ille Podiebradii male figit ad annum ſuperiorem; melius ad 22. Martii huius anni Dlugoſſus, (*b*) qui plerorumque Bohemorum ſuffragiis Wladislaum 27. Maii regem acclamatum eſſe tradit. Nocuit Mathiae, quod valido cum exercitu Brunam veniſſe diceretur; quod Wladislaus indulgentior haereticis futurus putaretur; quod apoſtolici legati pro Mathia ſententiam vim eſſe proceres interpretarentur. (*c*)

CCLXXXVI. Bohemi, hanc vim peroſi, vel ideo Mathiam reiiciendum eſſe cenſuerunt, quod is cum 15. millibus equitum Brunae iam eſſet. Et erat ille quidem Brunae, ſed cum tribus dumtaxat millibus; vnde litteris ad Bartfenſes datis, 500 ab illis aureos exegit, (*d*) *fer. 3. prox. poſt feſt. paſchae.* Quae res, toties aliis item imperata, Mathiam in odium ſuorum adduxit. Violento hoc agendi modo Strigonienſi metropolitae 7000. florenorum auri, praeter decimas, extorſit. Quam ille iacturam tam impatienter tulit, vt, qui praecipuus adiutor Mathiae regis in adipiſcenda Hungariae

 corona

(*a*) Dec. IV. Libr. II. p. 559. (*b*) Libr. XIII. col. 465. (*c*) Hiſt. Cr. T. XV. p. 466.—494. (*d*) Ap. Wagn. Dipl. Saroſ. p. 125.

corona fuerat, praecipuus auctor eidem abrogandae regiae dignitatis euaderet. Animis igitur multorum ita iam irritatis, *pontifices*, inquit Bonfinius, (*a*) *et proceres Hung. in Mathiam maxima ex parte coniurarunt: Casimirum II. Casimiri R. P. filium, introducere decreuere.— Coniuratio ita vehemens et fecunda fuit, vt in vlteriore Vngaria praeter Gabrielem, arch. Colocensem, Michaelem palatinum, cum paucis optimatibus, nemo superfuerit, qui a regia fide ad Polonum non defecerit. E septuaginta circiter quinque conuentibus, quos comitatus — appellant, tanta coniuratio fuit, vt vix nouem superfuerint, qui Mathiae parerent.* Mathias, *a nonnullis praelatis et canonicis Strigonienfibus*, teste Dlugosso, (*b*) *de periculis singulis in eum comparatis*, certior redditus, *ex Berna celeriter mouens*, *Budam venit. Et maiori periculo, quam rebatur, cognito, omnium suarum gentium ex Bohemia et Morauia copias ad se accersiit. Conuentus etiam aliquot in Buda indicit, in quorum vno per plures corruptelas ac promissiones plerosque de maioribus sibi infestos ad se pertraxit.* Nullum efficacius medium adhibere Mathias ad conciliandos sibi Hungaros potuit his comitiis, in quibus articuli 31. conditi sunt hac serie: (*c*) „*Art. I.* Comitia singulis annis celebrentur.
„ *II.* Nobiles regni nemo capiat; nisi quis sit factor,
„ et, seruitio non completo, aufugiat. *III.* In
„ decimando seruetur modus praecedentis *decreti*.
„ *IV.* Sal regis teneatur in locis priscis. *V.* Iu-
„ dicium generale sublatum. *VI.* Castra — Hunga-
„ ris conseruanda assignentur. *VII.* Exercituandi
„ modus Mathiae regis similis Sigismundi. *VIII.*

„ Sigilla

(*a*) Dec. IV. Libr. III. p. 564. (*b*) Libr. XIII. col. 471. (*c*) Corp. Iur. Hung. P. I. p. 221.

„ Sigilla regis quinque. *IX*. Damna inferentes ec-
„ clesiasticis personis euocentur. — *X*. Bona nullius
„ — rex occupare potest. *XI*. Dicam nullam exi-
„ get rex. — *XII*. Rex processum iuris non impe-
„ diat. — *XIII*. Beneficia duo vni personae non
„ conferantur. *XIV*. Iudices caussas iudicent. —
„ *XV*. Honorem comitatus nobilis accipiat. *XVI*.
„ Migratio colonorum fiat, vt tempore Sigismun-
„ di imp. *XVII*. De foro spirituali. — *XVIII*.
„ De monasteriis, quae sigillorum vsum habent.
„ *XIX*. Romam conquestum nemo vadat; sed
„ caussam coram suo dioecesano inchoet; hinc per
„ viam appellationis Romam deducat. — *XX*. Re-
„ gis factores nihil a quoquam sine pecuniis aufe-
„ rant. *XXI*. Milites regii damna nemini inferant.
„ *XXII*. Redemtiones litterarum — fiant secundum
„ decretum Sigismundi. *XXIII*. Bona, perperam
„ occupata, suis dominis restituantur. *XXIV*. Ec-
„ clesiasticae personae non dicentur; sed tamen one-
„ ra expeditionum ferant. *XXV*. Tributa in suis
„ locis exigantur. *XXVI*. Fassio, inuite per ali-
„ quem facta, nullius sit vigoris. *XXVII*. Bona,
„ a tempore coronationis suae occupata, intra dies
„ 30. restituantur. — *XXVIII*. Homicidiorum in
„ caussa breuis processus. — *XXIX*. Castella demo-
„ liantur sub poena perpetuae infidelitatis. *XXX*.
„ Tributum in Chorgo — distrahi passum. *XXXI*.
„ Decretum praesens ab omnibus obseruetur. — —
„ Datum Budae, feria IV. prox. ante festum B.
„ Matthaei ap. et euang. A. D. MCDLXXI. (*a*)

CCLXXXVII. E salutaribus hisce legibus appa-
ret; quibus potissimum malis hoc tempore Hunga-
ria

(*a*) Hist. Cr. T. XV. p. 495—534.

ria laborauerit; quaeue remedia Mathias iis efficaciter curandis et tollendis adhibuerit. His multorum animos lucratus, complures a Casimiri partibus ad suas pertraxit: qui priusquam Cracouia cum 12. millibus armatorum in Hungariam mouisset; duobus post haec comitia diebus, aequitatem profectionis suae manifestam reddere conatus, litteras in regnum sibi delatum praemisit, quarum argumentum hic titulus exhaurit: (a) „ Casimirus, D. gr. „ ser. principis et domini, D. Casimiri, ead. gr. re„ gis Polon. — natus, regni Hung. naturalis do„ minus et heres etc. domino Mathiae de Huniad, „ Hung. regi intruso et occupatori eiusdem violen„ to, salutem iuxta currentis temporis qualitatem. „ —— Datum Cracouiae, feria VI. in vigilia Mat„ thaei apost. anno dom. MCDLXXI. " Mouit ille Cracouia 2. mensis Octobris, iamque 29. mensis eiusdem ad Sarosinum in fauorem Cibiniensium litteras dedit, (b) *in statiuis circa Scharis, feria III. prox. post fest. Simonis et Iudae apost. A. D. MCDLXXI.* Cassouiam non admissus, per Szikszouiam et Agriam profectus, 8. Nouembris Hatuanini castra posuit. *Abinde mouens;* inquit Dlugossus, (c) *in Nitriam venit, et tam in arcem, quam in ciuitatem iussu Ioannis, archiepiscopi Strigonien. qui Nitriensem episcopatum habebat in commenda, susceptus est; vbi primum Ioannes, Quinqueecclesien. episcopus, ad eum venit in 200. equis, et paucis diebus commoratus, Strigonium, vnde venerat, rediit. — Nemo ex baronibus Hung. ad Casimirum principem venit; nemo ei se coniunxit; — sed omnes fide variata, Mathiae regi ferebant auxilia: qui ne meticulose*

(a) Ap. Dogiel Tom. I. p. 61. (b) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 187. (c) Libr. XIII. col. 471.

meticulose apud Budam — videretur delitescere; exercitum et ipse suum, — ad 16. millia aestimatum, — eduxit. Sed inprimis Vitezium sibi conciliandum ratus, Gabrielem, arch. Colocensem; Ioannem, ep. Agriensem; Michaelem palatinum et Emericum Zapolyam ad illum misit, quum ad Strigonium ipse castra posuisset. Horum opera Vitezius Mathiae conciliatus, promisit, *omnibus conatibus suis se laboraturum pro recuperatione castri et ciuitatis Nitriensis;* Mathias itidem archiepiscopo spopondit, se prouentus illius non intercepturum, ac 7000. *florenorum auri, quibus* eidem obligabatur, primo quoque tempore depensurum, tabulis confectis, (*a*) *Strigonii, fer. 5. prox. ante fest. B. Thomae ap. an.* 1471. Octauo post conciliatam hanc concordiam die, Casimirus, a praecipuo factionis auctore destitutus, celeri fuga sibi consuluit, Nitriaque 26. Decembris egressus, post duorum fere mensium in Hungaria commorationem, Poloniam repetiit. (*b*)

A. C. 1472. *Math.* 15. *Ind.* 5. *P.* 29. *M.*

CCLXXXVIII. Casimirus, relictis in arce Nitriensi 4000. suorum, in superioribus Hungariae partibus apud Petrum Komorovszkium, natione Polonum, qui partes illas latrociniis diu multumque vexauerat, initio huius anni Rosembergae tantisper se detinuit; tum in Poloniam reuersus, vt Dlugossus scribit, (*c*) *patre ordinante, in castro Dobczicze consedit.* Atque hic castissimus adolescens, qui subinde maluit vitae, quam pudicitiae iacturam pati, nouos animos concepit, vt, postquam terrestre

(*a*) Ex MSS. Heuenes. T. R. p. 33. (*b*) Hist. Cr. T. XV. p. 496.—519. (*c*) Libr. XIII. col. 477.

ſtre regnum aſſequi non potuit, caeleſte maiori contentione quaereret. Hoc aetatis anno 24. Chriſti 1484. 4. Martii ſuit aſſequutus, a Leone X. ſollemni ritu ſanctis adſcriptus anno 1521. Quam teneros in DEIparam amoris igniculos fouerit, teſtatur notus ille hymnus, ab illo concinnatus: *Omni die dic MARIAE mea laudes anima.* Quatuor millibus ab eo Nitriae relictis, teſte Bonfinio, (*a*) *hac conditione dimiſſio data:* „Vt, ſaluis corporibus et „ impedimentis, abirent:, nullum regno nocumen-„ tum inferrent: nihil in faciendo itinere hoſtile „ inferrent — —" *At illi, haud ſecus ac a carceribus elapſi, — paullo licentius per vicos et agros cibaria quandoque ſurripiunt. — Quum Poloniae finibus appropinquarent; palantes et effuſi, a ruſticis circumuenti, ſpoliantur. — Poloni igitur, qui, duce Caſimiro, kal. Nouembris* (citius) *Vngariam inuaſere, quarto poſt menſe eiecti ſunt. — Poſtquam, eiectis hoſtibus propulſatisque periculis, rex Budam ſe recepit; ad vltionem iniuriarum animum reuocauit. — Ab archiepiſcopo Strigon. facit initium.* Budam ille, *ſub grauiſſimi colloquii praetextu*, primum euocatus, deinde captus ac Viſegradum *clam translatus, in arce menſibus aliquot a cuſtodibus regis obſeruatur. Vicit deinde Mathiam ingentium memoria beneficiorum, ingenita pietas et datae fidei recordatio. — Pertaeſus igitur iracundiae ſuae, hunc carceribus emiſit: in Strigonienſem arcem cum dignitate reſtituit: adhibuit quosdam milites cuſtodiae, nequid in ipſum vltra moliri poſſet;* conditionibus concordiae conſcriptis, (*b*) *Budae, fer. 4. prox. poſt feſt. reſurrect. dom. anno eiusd.* 1472. Vitezius, ignominiae tantae

(*a*) Dec. IV. Libr. III. p. 591. (*b*) Ex MSS. Heuenet. T. T. R. p. 34.

tae non diu superstes, *aestatem eam*, pergit Bonfinius, *vix claudere potuit. Nam V. idus Aug. et pridie diei, quo D. Laurentii sollemnia celebrantur, diem obiit.* Geminus lapis, erutus e ruderibus veteris ecclesiae Strigoniensis; Vitezium non V. sed *VI. id. Aug.* 1472. decessisse testatur. *Ioannes*, verba sunt eiusdem Bonfinii, *Quinqueecclesien. antistes, et e sorore nepos, qui inuitum auunculum in coniurationem adtraxerat, audita eius captiuitate, Zagrabiam fugam rapuit. — At, postquam de metropolitae morte nunciatum est; paucis post mensibus superuixit. — Quum ob regis iracundiam is, quasi hostis reip. haberetur; — sacerdotes clam eius corpus in sacellum Quinqueecclesiense retulere, idque picato scrinio diu reconditum habuere. Quum multo post tempore Mathias forte vrbem illam et basilicam inuiseret; — indoluit tanti viri casum: falsam eorum opinionem ac metum increpuit: et, — honestissimas mox exsequias edixit.* (a)

CCLXXXIX. Mathias, ad concordiam cum statibus et ordinibus regni magis stabiliendam, kalendis Maii comitia Budae celebrauit, articulis 15. conditis ita praefatus: (b) „ Nos Mathias, D. gr. „ rex Hung. et Boh. — memoriae commendamus, „ — quod, quum — post factam repulsionem Ka„ zimiri, filii alterius Kazimiri, R. P. qui grandi „ cum potentia et exercitu valido medium regni „ nostri vsque penetrarat, ad hanc ciuitatem no„ stram Budensem bona cum victoria, et triumpho „ DEO nobis propitio, redissemus; — " Agitur hic de castris aliis restituendis, aliis destruendis ad festum vsque natiuitatis B. Ioannis

(a) Hist. Cr. T. XV. p. 546.—561. (b) Ex MSS. Cornidel.

nis Baptistae; de praelatis *ad omnia loca capitularia seu conuentualia* constituendis; de celebrandis octauis; de militum licentia coercenda; de salium prouentu; de nobilibus *vnius sessionis* non dicandis; de comitiis nonnisi post biennium celebrandis; de facto decreto tempore coronationis obseruando. „ Datum Budae, in festo BB. Philippi et Iacobi „ ap. A. D. MCDLXXII. regni nostri anno XV. „ coron. vero IX. Et item, quod nos de cetero „ in medium regnicolarum nostrorum aliquam ta- „ xam, ipsis inuitis, non imponemus." Postremus hic articulus, extra seriem reliquorum additus, indicat, praecipuam Hungarorum quorumdam a Mathia defectionis caussam imperata tributa fuisse, horumque metum hac appendice Mathiam ex eorum animis tollere voluisse. Priusquam has leges ad animos fortius sibi deuinciendos pertulisset; de Bohemiae regno sollicitus, Sixtum IV. anno superiore 9. mensis Augusti Paullo II. suffectum, interpellauerat, vt ad Bohemiae regnum, sibi secundum promissa decessoris asserendum, opem ferret. Sixtus igitur primum quidem Fridericum imp. vt in re Bohemica Mathiae regi faueret, his litteris admonuit. (*a*) „ — Oppugnabatur impiis armis hae- „ reticorum celsitudo tua; et Victorinus — insolen- „ tissime tuo nomini insultabat; quum cariss. in C. „ filius noster, Mathias, H. R. illustris, pro tua „ defensione fideique puritate arma suscepit; tuam- „ que iniuriam vltus, Victorinum, iuueniliter ex- „ sultantem, repressit, seque bello diuturno diffi- „ cilique implicuit. Hic igitur, nunc ob has caus- „ sas in periculo constitutus et bello magno vexa- „ tus, deserendus non est. — Dat. Romae — MCD- „ LXXII.

(*a*) Indidem.

„ LXXII. nonis Martii." Eadem die Casimirum acrius ita redarguit: (*a*) „ Sapientiae tuae esset, „ carissime fili, considerare, quam bellum hoc, „ contra cariss. in C. F. N. Mathiam, H. R. I. pro „ Bohemis susceptum, non decet puritatem fidei „ tuam. —" Sex ante diebus, edicto per orbem Christianum vulgato, Mathiam legitimum Bohemiae regem declarauit. *Romae*, — *kal. Mart.* Eadem die tam Bohemis, quam Silesitis et Morauis sub grauissimis censurae poenis praecepit, vt, Wladislao relicto, qui prius a catholicis electus et vocatus, vt regnum Podiebradii tyrannide liberaret, venire recusauerat, Mathiam regem reciperent, eique fidem et obedientiam iurarent. (*b*)

CCXC. Sixtus, ad pacem inter principes Christianos sanciendam intentus, vt, vnitis viribus, bellum in Turcas geri posset; opera legati sui, Laurentii Ferrariensis, effecit, vt inter Fridericum imp. et Mathiam regem pax coalesceret. In ea tamen, inter eumdem Mathiam et Casimirum conciliianda, non perinde felix erat. Hungari cum rege Mathia Polonis admodum faciles pacis vel induciarum conditiones proposuerunt, (*c*) *Budae, tertia die resurrectionis domini, A. D. MCDLXXII.* Poloni quidem ipsas inducias, a kalendis Maiis ad finem anni duraturas, non item conditiones ceteras, admiserunt; *Cracouiae, fer.* 4. *prox. ante dom.* Cantate, *anno* 1472. Interea Marcus, card. Aquileiensis, 22. Febr. Roma profectus, ad Mathiam venit, quem iste, transiturum in Poloniam, omnibus

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1472. (*b*) Hist. Cr. T. XV. p. 561.—577. (*c*) Ap. Dogiel. Tom. I. p. 635.

bus officiis excolendum, Bartfensibus commendauit, (a) *Budae, fer. 2. post fest. SS. corporis Christi, A. D.* 1472. Ne quam occasionem carpendi Mathiam Dlugossus praetermitteret; quum inducias, ad celebrandum pro conficienda pace conuentum necessarias, Casimirus ad nutum Marci card. admisisset; *at*, subiicit, (b) Mathias, — *morte Ioannis, arch. Strigoniensis; Ioannis, Quinqueecclesien. episcopi, — qui partes Casimiri P. R. enixissime prosequebantur, quos ferebatur veneno sustulisse, — insolentior factus, inducias, quas alias magnopere petiuerat, abnuebat; quas tandem sumere persuasus* est. Quam putida haec calumnia sit, inde patet, quod, quum de paciscendis primum induciis ageretur, neuter adhuc Ioannes mortem obierit. Quum nouos Marco card. stimulos pontifex admouisset, vt omnem operam ad conciliandam inter diffidentes principes amicitiam impenderet; ille Kortzinum ad Casimirum regem 13. Septembris profectus, collatis cum eo consiliis, *in Sandecz diuertit*, vt Dlugossus prosequitur, *nouis studiis et laboribus aequam pacem inter Hung. et Poloniae reges confecturus.* Hic ille nouum oratoribus regum pro 2. Febr. conuentum Nissam indixit. (c) *Dat. in Sandecz, sub anno a natiuitate domini* 1472. 13. *kal. Nou.* Mathias, in tantis prouinciarum rerumque bellicarum curis ordinis Seraphici non oblitus, quum meminisset, illorum potissimum opera, reliquias Cumanorum, quos antea Philistaeos, seu Balistaeos, a balistarum et sagittarum tractandarum peritia, dicebant, nunc vulgo Iazyges appellamus, ad Christi religionem traductas fuisse, lubens annuit, vt in metropoli celeberrimae

(a) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 107. (b) Libr. XIII. col. 479. (c) Ap. Dogiel Tom. I. p. 65.

berrimae huius gentis nouum illis domicilium excitaretur. Regiae voluntati Sixtus pontifex robur addidit. (*a*) *Romae — XV. kal. Iun. pont. an. I.* Secundum pontificatus annum agebat, quum hoc eodem anno Christi praepositis Scepusiensibus vsum mitrae baculique pastoralis concessit, (*b*) *XI. kal. Decembris.* (*c*).

A. C. 1473. *Math.* 16. *Ind.* 6. *P.* 18. *A.*

CCXCI. Cardinalis Marcus, apost. sedis legatus, multa pro conciliandis principibus, sed incassum omnia, tentauit. Primus conatus irritus Nissae fuit, quo conuentum in secundam Febr. partibus indixerat. Dlugossus, in Mathiam more suo dicax, scribit, (*d*) illum *arrogantius se gessisse, successibus felicibus eleuatum, — neque praelatos et barones Hung. — praelatis et baronibus Poloniae — numero et conditione pares, — mittere disposuisse. —* Hinc *diaetam Nisnensem Casimirum — detrectasse.* Tametsi friuolae hae caussae conuentum detrectandi fuerint; Marcus tamen cardinalis omnem conatum adhibuit, vt alterum ibidem conuentum legatorum regi Casimiro persuaderet. Atque huc grauissimos oratores Mathias, ne quid obtendere Poloni possent, destinauit, archiepiscopum Colocensem cum duobus episcopis, palatinum, iudicem curiae, cet. Ne porro mutua hostilitas pacis tractatum sufflaminaret; card. Marcus inducias ad festum

(*a*) Ap. Fridrich. P. II. p. 175. (*b*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 344. (*c*) Hist. Cr. T. XV. p. 577.—621. (*d*) Libr. XIII. col. 485.

ſtum aſcenſionis ſeu 28. Maii prorogauit, transmiſſis ad reges litteris, (*a*) *datis Niſſae, ſub anno a natiuitate dom. MCDLXXIII. XVIII. kal. Maii.* Quis demum effectus alterius Niſſenſis conuentus fuerit, Dlugoſſus ita refert: (*b*) *Menſe prope vno cum dimidio apud Niſſam exacto, dum et tempus in altercationibus et iurgiis fruſtra tereretur, et pars vtraque, iuri ſuo innixa, nullatenus ſe de iure regni Bohemiae aſſereret ceſſuram; apoſtolicus legatus, card. Marcus, nunc obſecrationibus, nunc precibus, nunc lacrimis partes omnes ad pacem inclinare ſatagebat, ne, regibus bello ciuili occupatis, nudum Hungariae, Italiae et Dalmatiae latus Turcorum rabies ampliori feritate laceraret.* Sed his omnibus aliud non impetrauit, quam vt nouus Opauiae conuentus ad feſtum aſſumtionis B. V. haberetur. Hic jam Dlugoſſus calumnias in Mathiam iacere non contentus, ipſum quoque card. legatum carpit, quod *in partem Mathiae H. R. ſtudio propenſiori duceretur.* Cur Marcus in partem Mathiae procliuior fuerit, patet ex hoc pontificis ad Caſimirum nuncio per eumdem legatum transmiſſo: (*c*) „Rege catholico indignum eſt, vt Bohemiae regnum, „ad quod capeſſendum a ſede apoſtolica tanto „tempore inuitatus fuerat, adeo pertinaciter ac„ceptare recuſaſſet; nunc vero filium ſuum hae„reticis petentibus in regem concedere non ab„horreret." Mathias per ſuos oratores has in hoc conuentu pacis conditiones propoſuit: (*d*) „*I.* Vt — nonniſi morte Mathiae regis ſine libe„ris ſequuta, Wladislaus plenarie regno Bohemiae „poti-

(*a*) Ap. Dogiel. T. I. p. 67. (*b*) Libr. XIII. col. 490. (*c*) Ap. Cont. Fleur. T. XXVI. p. 407. (*d*) Dlug. L. XIII. col. 496.

„ potiretur. *II.* Vt medietas ſumtuum, in bel-
„ lum Bohemicum per ipſum impenſorum, qui ſe
„ aſſerebat tres milliones in illud effudiſſe, 15. vi-
„ delicet centena millia, ſibi per Wladislaum —
„ ſoluerentur. — *III.* Vt Mathiae R. H. filia Caſi-
„ miri R. P. Heduigis deſponſaretur." His conditionibus a Caſimiro reiectis, grauiſſimum inter reges bellum exarſit. (*a*)

A. C. 1474. *Math.* 17. *Ind.* 7. *P.* 10. *A.*

CCXCII. Prius tamen, quam ad arma ventum fuiſſet; Mathias, pacis, quam belli ſtudioſior, rurſus legatos ſuos, Gabrielem, Tranſſiluanienſem; Oswaldum, Zagrabien. epiſcopos; Emericum Zapolyam, Ioannem Pongratzium, cum duobus praepoſitis, ad nouum conuentum, cum Polonis inſtituendum, cum plena rerum agendarum poteſtate miſit, (*b*) litteris datis *in Eperies*, *fer.* 4. *inter octauas feſti epiphaniarum domini*, *anno eiusdem* 1474. Foedus quidem illi cum Polonis concluſerunt, (*c*) tabulis confectis *in antiqua villa*, *fer.* 2. *prox. ante feſtum cathedrae B. Petri ap. A. D.* 1474. quas etiam Mathias ſeptimo poſt die ratas habuit, (*d*) *Bartſae, die dom. prox. poſt feſt. B. Mathiae ap. A. D.* 1474. Proceres etiam Hungariae, Budenſibus in comitiis congregati, deſiderio pacis, easdem conditiones confirmarunt, (*e*) inter quos primus occurrit *Nicolaus, D. gr. rex Boznae. — Datum Budae in conuentione noſtra generali ſuper die feſti B. Georgii M. ibidem habita, anno*

Gg 2 *dom.*

(*a*) Hiſt.Cr. T. XV. p. 644.—661. (*b*) Ap. Dogiel. T. I. p. 68. (*c*) Ibid. p. 69. (*d*) Ibid. p. 71. (*e*) Ibid. p. 73.

dom. 1474. Nihil vltra vel a Mathia rege, vel a regni proceribus ad firmitatem foederis praestari potuit; infractum tamen illud hoc eodem anno fuit, et perpetua pax, vix sancita, mox in acerrimum bellum transiit. Cuius id culpa factum fuerit, dubitare nos non sinit foedus, quod Casimirus cum Friderico contra Mathiam interhecinum 13. Martii percussit. (*a*) „ Nos, *inquit*, rex Casi-
„ mirus ad proximum festum S. Ioannis B. — ad-
„ uersus praefatum regem Mathiam procedemus, —
„ et in exercitu et castris personaliter contra eum
„ manebimus vsque ad festum S. Iacobi proxime
„ futurum. Pro quo quidem festo S. Iacobi nos
„ Fridericus, R. I. — in regnum Hung. — aduer-
„ sus eumdem regem Mathiam — intrabimus. —
„ Dat. in ciuitate Nurembergensi, die 13. mensis
„ Martii 1474." Ita Casimirus per alios legatos cum Mathia pacem *perpetuam* 21. *Febr.* conclusit; per alios contra Mathiam clamdestinum foedus 13. *Martii* percussit. Si Mathias ita se varium, ne dicam vafrum et fraudulentum, aduersus Casimirum exhibuisset, quantis clamoribus perfidiam illius Dlugossus accusasset? Magna profecto Mathiae virtus et felicitas esse debuit, quod tot vndique hostibus, in eius perniciem conspirantibus, non tantum non succubuerit, sed etiam superior omnibus euaserit. Summa scilicet vsus celeritate, dum hostes de copiis cogendis deliberabant; ipse Friderici ditiones Augustam vsque iam eradebat, ac in alia parte Colinum ad deditionem coegerat. Colinenses, infidelitatis a se suspicionem amoliturі, litteris ad Wladislaum datis, se purgarunt. (*b*) Wladislaiani Bohemi,

(*a*) Ibid p. 164. (*b*) Ap. Dobner. Mon. T. II. p. 430.

Bohemi, quibus Mathias suum. in Bohemiam ius multis argumentis exposuit, eadem modestissime refellere conabantur. (*a*)

CCXCIII. Maioris belli praeludiis in Austria Bohemiaque factis, Mathias exercitum suum, 6. vel 8. millibus definitum, nam Dlugossus variat, in Silesiam traducere coactus est, cui Casimirus cum ingentibus copiis, ex pluribus populis, ipsis etiam Tartaris, conflatis, imminebat. Hic, vt idem Dlugossus perhibet, (*b*) 26. *mensis Septembris*, *exercitum suum*, — *ad* 60. *millia pugnatorum aestimatum*, *in terras hostiles permouit.* — Praemissis velitationibus, (*c*) 24. *mensis Octobris* — *Wladislaus*, *Bohemiae rex*, — *aduenit*, — *ad* 20. *millia armatorum habere aestimatus.* Mathias pro moenibus Wratislauiae castra sua locauerat, ne circumfundi posset a multitudine copiarum hostilium, *quarum brachio*, *si illas sibi habere contigisset*, *facile se aiebat totum orbem sub suum iugum missurum.* Fatetur ipse Dlugossus, (*d*) ab excurrentibus Mathiae militibus tantam multitudinem pabulatorum interceptam fuisse, *vt omnes turres et omnia ergastula Wratislauiensia captiuis Polonorum impleta fuerint.* Fidem igitur merentur ea, quae Bonfinius de bello hoc ita narrat: (*e*) *Rex numero inferior*, *a callido ingenio opem exposcit*; *incautum semper hostem aggreditur*: *non collatis signis*, *non indicto pugnae die*, *res agitur*: — *modo noctu*, *modo interdiu* — *manum cum hoste conserit*: *multum laedere*, *parum ipse laedi potest.* — *Pro moenibus temporaria theatra*

(*a*) Ibid. p. 431. Hist. Cr. T. XV. p. 562.—700. (*b*) Libr. XIII. col. 517. (*c*) Ibid. col. 519. (*d*) Ibid. col. 520. (*e*) Dec. IV. L. III. p. 571.

exstruit, quae ab hoste prospectari queant. Assiduas ibi matronarum virorumque choreas agi iubet, quo Polonos Boemosque proceres ad saltandum saepius inuitat. — Frumentum non pluris in fine, quam a principio veniit. Contra vero hostes omnium sensim rerum egestas incesserat. His consimilia Turotzius scribit, additque, (*a*) missum interea Stephanum de Zapolya cum parte copiarum *in Poloniam, tunc militis custodia orbatam, in illa maximas vastitates — edidisse; —* hisque malis circumuentum Casimirum *pacem potius, quam bellum expetiisse.* Mathias igitur, virtute sua suorumque circiter octo millium, de hostium octoginta millibus victor, necessitatem tam potentibus regibus imposuit, a se pacem aut inducias emendicandi. Induciis in sesquiannum conclusis, et 8000. captiuorum Polonorum dimissis; Gabriel Rangonius, Albensis episcopus, in abeuntes ita lusit: (*b*)

„ Bruma venit: nix alta ruit: migrate Poloni,
„ O fugite ad proprios, algida turba, lares." (*c*)

CCXCIV. Eodem hoc anno, quo Mathias ad Septemtriones, licet exercitum multis partibus inferiorem habuisset, hostes suos fregit, ac ad receptum coegit; ad meridiem a Turcis, in omnem nocendi Hungaris occasionem intentis, non leue damnum accepit. Barbarorum rabies vsque Varadinum pertigit, vt inscriptio Coronensis notat paucis hisce verbis: (*d*) *Desolatio Varadini per Turcas.* Mathias, de Turcis coercendis sollicitus, ante bellum

(*a*) Chron. P. IV. cap. 67. (*b*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 96. (*c*) Hist. Cr. T. XV. p. 700.—725. (*d*) Timon Epit. Chron. p. 162.

ium Polonicum in mensem Octobrem comitia Budam indixerat; sed bello hoc praeter opinionem auocatus, deliberationibus SS. et OO. interesse non potuit. Ita quidem editor harum constitutionum monet; ceterum exstat in bibliotheca Quinqueecclesiensi Mathiae regis epistola, *data Budae, die dom. prox. ante fest. B. Francisci conf. anno dom.* 1474. *regnorum anno Hung.* — 17. *Bohemiae vero* 6. Quo die decretum etiam illud editum dicitur. Quum igitur nondum tunc ad bellum profectus fuerit; nihil obstat, quominus interfuisse dicatur; dum hi 16. articuli conderentur: (*a*) „*Art. I.* Subsidium „ vnius floreni. *II.* Sales omnibus persoluantur. „ *III.* Eligantur duo nobiles ad distribuendos sales „ regios in portas. *IV.* Duo dicatores in singulis „ comitatibus eligantur. *V.* Dicatores stipendium „ a rege accipiant. *VI.* Lucrum camerae 2. an„ nis relaxatum. *VII.* Regnicolae intra annum in „ expeditionem, nisi contra Turcas, ire non tenean„ tur. *VIII.* Subsidium hoc contra Turcas expen„ datur. *IX.* Denarii 25. soluti computentur ad „ hoc subsidium. *X.* Iudicia non celebrentur. „ *XI.* Bona occupata restituantur. *XII.* Locum„ tenens regis iudicet casus et actus maiores. *XIII.* „ Subsidium per connumerationem salium amplius „ non fiat. *XIV.* Migratio colonis vsque ad an„ num interdicta. *XV.* Milites in expensis suis „ viuant. *XVI.* Decimae exigentur more veteri, „ secundum colonorum iuramentum." (*b*)

(*a*) Corp. Iuris Hung. T. I. p. 45. (*b*) Hist. Cr. T. XV. p. 725.—748.

A. C. 1475. *Math.* 18. *Ind.* 8. *P.* 26. *M.*

CCXCV. Mathias, bello Bohemico Polonicoque defunctus, nouam in Turcas expeditionem meditatus, antequam ex Moravia discessisset, in festum S. Georgii comitia Budam iterum indixit, (*a*) *Brunae*, *fer.* 4. *prox. ante festum resurrectionis dom. anno eiusdem* 1475. Ipse tamen diutius ibi detentus, plures indidem epistolas 14. Mensis Aprilis dedit. (*b*) Sed 20. Maii iam in comitiis Budensibus in fauorem cruciferorum Albentium litteras confecit. (*c*) Quumque sub initium anni huius, missis Stephano, vaiuodae Moldauiae, copiis auxiliaribus, magnum pondus ad illustrem de Turcis victoriam addidisset, vt ipse pontifex agnoscit; (*d*) *tandem*, inquit Turoczius, (*e*) *castrum Turcorum*, *Sabacz denominatum*, *ad litus fluminis Zaue per eosdem ex lignis terraque — perforti opere praeparatum*, *turribusque ac fossatis et vallibus*, *nec non milite non minus munitum*, *diro hiemis sub rigore obsedit et expugnauit.* Etsi vero Dlugossus hoc aliaque Mathiae facinora multum eleuet, contra cuius calumnias Martium hunc regem in historia fusiore tueri saepe coacti sumus; quanti tamen momenti haec munitio, Turcis erepta, fuerit; Bonfinius fuse describit, (*f*) ac addit, tam Sixtum pontificem, quam Venetiarum ducem per legatos, *qui faustam salutaremque victoriam regi congratularentnr*, *pecunias in huiusce belli sumtus erogandas*, misisse, *tria et nonaginta aureum nummum millia.* (*g*)

A. C.

(*a*) Ap. Kapr. P. I. p. 309. (*b*) Ap. B. Pez. P. III. p. 223. (*c*) MSS. Heuenes T. D. (*d*) Ep. Corn. P. IV. n. 8. p. 15. (*e*) Chron. P. IV. cap. 67. (*f*) Dec. IV. Libr. III. p. 602. (*g*) Hist. Cr. T. XV. p. 749.—789.

A. C. 1476. *Math.* 19. *Ind.* 9. *P.* 14. *A.*

CCXCVI. Mahometes, acceptis duabus anno superiore cladibus, primum Moldauicam vlturus, ingentem exercitum conscripsit. Vulgato Turcicae huius expeditionis rumore, quantus Europam metus corripuerit; ex hac Papiensis ad Mantuanum cardinalem epistola patet: (*a*) „ Amplior multo „ animi sollicitudo de Turcorum in Moldauos de- „ scensu est suscipienda. Tanta 500. millium mul- „ titudo, tamque immanis, quem iuste non terreat? „ — Numquam — moueri in Hungaros haec ar- „ ma intelligo, vt non totus mente concutiar, „ atque ante oculos versetur futura sors nostra. „ Diuino munere datum id regnum Christianis „ reliquis est, vt pro omnibus pugnet, petentes- „ que nos tempestates virtute sua sustineat. Si se- „ mel, quod DEVS sanctique prohibeant! cedat, „ plagamque accipiat; — quid clausi interim est, „ vt non illico increduli nos atque ad praesidium „ seri iugulum gladio praebeamus! — " Omnis hic Mahometis ingens apparatus et conatus in irritum cecidit; postquam Mathiam contra se venire cum armatis copiis intellexit. *Nec aliquando Mahumetes ille magnus*, inquit Turotzius, (*b*) *cuius framea pepercit nulli, vires regis huius campestrali certamine tentare ausus fuit; quum et de sub castro Iaycza, — deque Moldauia eiusdem ante gladium fugerit vehementer; expersque sui voti, suam redierit in trrram.* Dlugossus quidem ait Mahometem fugisse non Mathiae, sed Casimiri metu; *reuersionem autem*, inquit, (*c*) *Turcae Mathias H. R. in suam laudem tra-*

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1476. (*b*) Chron. P. IV. cap. 67.
(*c*) Libr. XIII. col. 548.

traducens, metu processus sui illum scriptis suis vulgauit non reuertisse, sed fugisse. Quapropter et papa IV. Sixtus, et Ferdinandus, Napuliae rex, et omnes principes et communitates Italiae, — collatione facta, 200. millia aureorum ad conterendum Turcum sibi transmittunt. Vter magis, Mathias, an Casimirus, Mahometi formidandus fuerit, antecedentes victoriae docent. Pontifex profecto Mathiae virtuti hanc fugam Turcarum his litteris adscripsit: (*a*) „ — Accepimus litteras celsitudinis „ tuae, et illis acclusum exemplum litterarum cu- „ iusdam ductoris copiarum tuarum, ex quibus „ optatissima intelleximus, perfidum scilicet tyran- „ num Turcorum, qui dilecto filio — Stephano, „ vaiuodae Moldauiae, crudelissimum bellum intu- „ lerat, et iam loca eius graui obsidione pre- „ mebat, nondum armis conspectis, sed solo „ terrore nominis tui, obsidionem reliquisse, „ terga vertisse, ac turpissimam fugam arri- „ puisse. — Quod ad nos spectat, noctes et dies „ in hac cogitatione transigemus, vt tibi sperata „ mittantur subsidia. Ad quam rem, DEO fauen- „ te, omnes Italiae potentatus promtos efficimus; „ prout videre iam potuisti ex parte, et in dies „ videbis.« Eo promtiores Italiae principes ad praebendum Mathiae subsidium pontifex habuit; quo maior illos antea Turcarum metus, vt ex card. Papiensis epistola vidimus, peruasit. Quis autem sibi persuadeat, tot principes, Mathiae litteris, vt Dlugossus calumniatur, deceptos, in rei notitiam alia via venire non potuisse, tantamque pecuniae summam ad incertum rei nuncium illi transmisisse? Certe Mathias ipsas ducis sui testes litteras,

(*a*) Ep. Corn. P. IV. n. 6. p. 10.

ras, ſuis incluſas, ad pontificem transmiſit. Exſtat etiam eius epiſtola, qua Michaeli Fantſio demandauit, (a) vt *cum* 300. *Siculis ad Stephanum, vaiuodam Moldauienſem, fidelem ſuum, proficiſceretur.* (b)

CCXCVII. Vaiuodam Moldauiae *fidelem* ſuum Mathias non vocaſſet; niſi ius in Moldauiam habuiſſet, quod incaſſum Dlugoſſus diſputat. Nouo belli neruo propter depulſum ex Moldauia hoſtem adiutus Mathias, teſte Bonfinio, (c) *magnam in Danubio claſſem molitur, quacum ſecundo amne deſcendat*, ad Szendrouiam oppugnandam. Vt igitur hae naues Ratisbona ſine vectigalibus transmitterentur, his litteris Fridericum imp. interpellauit: (d) „ Ser. princeps, pater noſter cariſſime. Ad „ repellendos continuos Turcarum inſultus et ad „ neceſſariam fidei Chriſtianae defenſionem contra „ Turcas, — diuerſarum rerum indigentiam et „ neceſſitatem habemus, quas interdum opus eſt, „ propter carentiam, de terris et dominiis M. ve„ ſtrae pretio comparare. Quum itaque in prae„ ſenti neceſſarium ſit, et in rem noſtram pro de„ fenſione fidei contra Turcas maxime opportu„ num; nonnullas res ex Ratisbona, 4. ſcilicet et „ 20. naues, certamque telorum copiam, nonnul„ las pyxides et quaedam alia, ad expeditionem „ neceſſaria, pecuniis noſtris adduci nobis iuſſimus; „ rogamus igitur M. V. — vt — libere et absque „ alicuius tributi et vectigalis exactione deferri „ permittantur. — " Refert deinde Bonfinius *victoriam recentem, quae Auguſtis idibus interceſſerat. — Quum Emericus Niſor et Ceplanus praefecturam Albae-*

(a) Ibid. n. 75. p. 18. (b) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 5.—15. (c) Dec. IV. Libr. IV. p. 604. (d) Ep. Corn. P. IV. n. 17. p. 31.

Albae-Graecae — forte gererent; ab exploratoribus acceperunt, Alibegum cum 4000. equitum expeditissimorum, traiecto Danubio, ad Temesuariensem vsque agrum omnia late incursare; praemonitis vicinis militum praefectis, Belgrado profecti, iunctis viribus, Turcas ad internecionem ceciderunt, captiuisque liberatis, nullus fuit, *quin vnum equum insideret; alterum, praeda onustum, dextera traheret. — Haec quinque fere mensibus ante nuptias gesta sunt.* Mathias, hac victoria recreatus, *postquam trinis Sinderouiam castris, quae circum erexerat, — obsedit; iam de capienda ciuitate cogitabat. Obstabant consiliis nuptiae, quae imminebant, et maxima coepta inhibebant.* Vt dignos pro his apparatus faceret; optima parte huius anni Budae se detinuit, vt ex diplomatibus ibidem datis mensibus Aprili, Maio, Iunio, Iulio, patet. (*a*)

CCXCVIII. Tertius iam annus circumagebatur, ex quo negotium nuptiarum Mathiae cum Beatrice, Ferdinandi, regis Neapolitani, filia, tractabatur. *Quum*, inquit Bonfinius, (*b*) *nuptiae ad Bradislauiam prius in castris honorificentissime per praeconem publicatae fuissent; celebritas in hunc annum, qui tertius ex eo publicationis tempore agebatur, edicto regis translata fuerat.* Sicut autem iam antea Colocensem archiepiscopum et Nicolaum Banfium pro petenda sponsa praemiserat, ita nunc pro deducenda Ioannem Varadien. et Rudolphum Wratislauien. episcopos destinauit; quorum alterum de faciendis apparatibus ita praemonuit: (*c*) — „Cum „ 25. equitibus P. vestra rem taliter disponat et ordinet,

(*a*) Hist. Cr. T. XVI. p. 16.—36. (*b*) Dec. IV. Libr. IV. p. 604. (*c*) Ep. Coru. P. IV. n. 12. p. 22.

„ ordinet, vt tam honori maiestatis nostrae, quam „ etiam P. vestrae conueniat. — " Bonfinius Beatricem *forma habituque Venerem*, *Dianam pudicitia*, *et sapientia eloquentiaque Palladem* vocat. (*a*) Palatini comitis legatus, praesens his rebus, indicat, (*b*) Beatricem Albamregalem 10. *Decembris* adductam, 12. mensis eiusdem coronatam, 15. Budam deductam, 22. *Decembr.* inter missarum sollemnia sacris cerimoniis cum Mathia copulatam fuisse. Dlugossus igitur errat; dum Beatricis aduentum *in diem S. Lucae*; nuptias autem *in diem dominicum sequentem*, seu 20. Octobris, collocat. (*c*) Ad eas certe condecorandas vno mense tardius Bartfenses inuitati sunt, litteris datis (*d*) *Budae*, *in festo S. Clementis papae*, *A. D.* 1476. Haec hilaria tam obitus Pongratzii, vaiuodae Transsiluani, quam Turcarum in Seruiam et Daciam irruptio turbauit ac funestauit. *Tota fere Hungaria*, scribit Bonfinius, (*e*) *ad regalium nuptiarum celebritatem sane conuenerat: quod quum Turcus aperte sensisset; tempus consilio suo nactus idoneum*, 40. *clam hominum millia ex Europa mira celeritate coegit: et dum regem cum tota Pannonia nuptiis occupatum esse intelligit; extemplo tria castella, quae ad Sinderouiam Mathias erexerat, rigente bruma, circumuenit. Quum saeuitia frigoris non modo fossae, aqua completae, sed Danubius quoque constitisset; incenso vallo, moenibusque ligneis, sine magno negotio imposita Pannonum praesidia oppugnauit. Illi, desperata salute, deditionem fecere; et saluis corporibus et impedimentis ab hoste dimissi sunt. — Quum dirus hostis*

(*a*) Dec. IV. Libr. IV. p. 607. (*b*) Ap. Schwandt. T. I. p. 519. (*c*) Libr. XIII. col. 549. (*d*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 129. (*e*) Dec. IV. Libr. IV. p. 608.

ſtis ſtratum adhuc glacie Danubium conſpicaretur, et Tranſſiluanos Valachosque ad nuptias quoque confluxiſſe per exploratores intelligeret; cum expeditiſſimo 30. millium equitatu Daciam inuadit: et longe lateque vagatus; mox populata incenſaque prouincia ex omni aetate ac vtroque ſexu 40. hominum millia hinc abegit. (*a*)

A. C. 1477. *Math.* 20. *Ind.* 10. *P.* 6. *A.*

CCXCIX. Non in ea Daciae parte, quae Tranſſiluaniae, ſed quae Moldauiae reſpondet, haec acta fuiſſe, patet ex iis Mathiae litteris, quibus Stephanum Bathorium; contra hos Turcas, quum *ſollemnitatem nuptiarum celebraſſet*, miſſum, remuneratur. „ Turcorum imperator, *inquit*, (*b*) qui „ Chriſtiano ſanguine ſatiari nequit, noſtram ſen„ tiens occupationem, —— prouinciam noſtram „ Moldauiae, cum ope et adiutorio perfidi Boza„ rad, vaiuodae partium Tranſſalpinarum regni no„ ſtri, — ſubintrauit, et totam eam ferme pro„ uinciam ditioni ſuae ſubiugauit: cui quum pro„ pter praefatas curas et occupationes noſtras ſub„ ito perſonaliter occurrere et obuiare non pote„ ramus; — ipſum C. Stephanum — elegimus, — „ qui — praefatum Turcorum imperatorem in tur„ pem fugam conuertit, prouinciamque ipſam li„ beram et nobis pacatam reliquit. Tandem vero, „ fugato et expulſo de Moldauia ipſo Turcorum „ imperatore; de noſtra commiſſione et ſpeciali „ mandato, ſe et gentes ſuas aduerſus praedictum „ perfidum Bozarad vaiuodam et prouinciam Trans„ alpinam

(*a*) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 39.—71. (*b*) Ap. Pray Diſſ. VII. p. 148.

„ alpinam conuertit, ibique ipſum Bozarad — pro-
„ fligauit; — et alterum vaiuodam, quem nos
„ elegeramus, in eadem prouincia fideliter reliquit.“
Haec oſtendunt, Mathiam poſt taedas nuptiales armorum ſtudium non exſtinxiſſe; neque Martium et heroicum animum Turcas perſequendi poſuiſſe; quamuis, quod alibi belli faces accenſae ſint, minus eos armis laceſſere, quam voluiſſet et debuiſſet, potuerit. Cur autem a Turcarum imperatore bellum ad Romanorum imperatorem transtulerit; Bonfinius tribus fere philyris per coniecturam proponit. (*a*) At ipſe Mathias in litteris, vt vocant, *diffidatoriis*, has potiſſimum cauſſas exprimit: (*b*) *I.* quod contra conditiones induciarum, „ nobiles,
„ *inquit*, ſub protectione noſtra exſiſtentes, qui
„ in illis ipſis treugis incluſi fuerunt, durante treu-
„ ga, inuaſit.— *II.* In regno noſtro Hung. per
„ gentes ſuas hoſtilem direptionem fecit.— *III.*
„ Quum omnibus — manifeſtum ſit, nos — con-
„ tra Turcas pro defenſione fidei arma ſuſcepiſſe;
„ — ipſe D. imperator— onus tam ſanctum et
„ publicum, quod nos humeris noſtris ſuſcepimus,
„ iniuriis— nos laceſſendo, intermittere compellit.
„ Super quibus omnibus nos — proteſtamur, —
„ vt, ſiquid nos, iniquo iniuſtoque bello laceſſiti,
„ — pro noſtra et regni noſtri defenſione, inter-
„ miſſo fidei negotio, facere cogimur; non nobis,
„ qui pacem potius, quam diſcordiam ſemper ama-
„ uimus; ſed illis, qui nos laceſſunt, coram DEO
„ et hominibus imputetur.“ (*c*)

CCC.

(*a*) Dec. IV. Libr. IV. p. 608. (*b*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 107. (*c*) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 71.—91.

CCC. Pluribus iam literis Mathias antea testatus fuit, ad bellum aduersus imperatorem inuitum se trahi. Quum anno superiore querelas Nicolai Zech et Ladislai de Kanisa Friderico perscripsisset, propter iniurias, ab Austriacis illatas; „ etiam, *subiicit*, (*a*) regni nostri nobiles in captiuitatem abduxerunt: castrum Köszögh et alia loca ex comitatu occuparunt: — trecentos, qui ad pecuniam, pro defensione regni per vniuersos praelatos et barones nobis decretaliter colligendam, missi fuerant, — interceperunt cum multis millibus aureorum. — — Nos equidem nollemus profecto M. vestram — offendere; — verum, si M. vestra illas enormitates ad plenum rectificare, vel suos deinceps a talibus prohibere non curaret; sola bene considerare posset, si tot et tantas nobis et subditis nostris *illatas* iniurias — possumus de cetero cum opprobrio nostro sine compensatione tolerare. " Non leuis quoque belli caussa fuit Ioannes Alemannus, Strigonien. archiepiscopus, quem perhibet Bonfinius, (*b*) *aut ab imperatore seductum, aut regis metu, in cuius suspicionem inciderat, corrasa supellectili ac multo auri pondere, in Austriam ad caesarem effugisse; ibique Salzburgensi archiepiscopatu a caesare donatum esse.* Hic, vt Dlugossius scribit, (*c*) *Poloniae regi Casimiro per Andream Oporovszki, episcopum Varmiensem, intimauit*: — „ aequissimo animo, si Hungariam Poloniae rex a tergo inuaderet, proceres Hung. laturos. " Alium Varmiensem episcopum, Nicolaum Thungen, foederibus inclusum, a Casimiro tamen, quod Mathiae fauisset, sede motum,

Mathias

(*a*) Ep. Corn. P. IV. p. 33. (*b*) Dec. IV. Libr. IV. p. 604.
(*c*) Libr. XIII. col. 549.

Mathias in suam rursus protectionem recepit, (*a*) *indictione* 10. *die vero mensis Martii* 12. *anno dom.* 1477. Sicut autem Casimirus Thungenium, ita Fridericus quosdam Austriacos, Mathiae partibus addictos, licet eius foederibus inclusos, inuasit, ac ex Austria bonis multatos exegit. De hac iniuria questus Mathias, litteris ad Austriacos, ad Fridericum ac ad imperii principes datis, vlterius belli caussas exposuit, quas Fridericus refellere conatus est, (*b*) *Viennae*, 26. *die mensis Iunii, anno* 1477. Retorquet nempe criminationes in Mathiam, quod rebelles Austriacos fouerit; in tractatibus numquam sinceram mentem et constantem animum habuerit; a pactis initis ipse numquam Hungariae bellum intulerit; ad auxilia contra Turcas ferenda paratus fuisset; *si ipse fructuose aduersus eos arma et potentiam suam conuertisset. — Tempore sui regiminis paene dimidium regni — ab infidelibus sibi ademtum est, atque amisit.* An id verum sit, cuiuis patet. (*c*)

CCCI. Nullum haec apud Hungaros pondus habebant, quod non ignorarent, Fridericum suspicionibus suis multum indulsisse, resque leuiculas nimium exaggerasse, quum in Mathiam belli caussam transferre conabatur; nec idoneis excusationibus vsum fuisse, cur Bohemiae titulum Mathiae negasset. Mathias, non ignarus, Bohemiae Poloniaeque reges arma contra se pro Friderico sumturos; ne quid a tergo timendum esset, quum in Austria bellum gesturus erat; et cruciferos Polonis hostes

(*a*) Ap. Dogiel T. I. p. 75. (*b*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 109. (*c*) Hist. Cr. T. XVI. p. 93.—104.

hostes opposuit, et in ipsa Polonia, praeter Nicolaum Komorovszkium, alterum etiam Nicolaum, Varmiensem episcopum, in suas partes pertraxit. (*a*) Qua de re quum postea Casimirus per oratores suos ita questus fuisset: (*b*) „ Male fecisse regem „ Mathiam, quum episcopos Poloniae aduersus „ regem concitauerit pecuniaque iuuerit; *Respon-* „ *dit:* Honestus est error magnos duces sequenti- „ bus. — Iunior ego seniorem Poloniae regem, vt „ magistrum, sequutus hac in re sum: — *qui* — „ praelatos potentissimos regni mei non modo ad- „ uersum me inanimauit; sed maximo iuuit exer- „ citu. " Mathias igitur, prouide bellum auspicatus, castris Iaurino motis, postquam exercitum 17. millium in Austriam infudisset; teste Bonfinio, qui prae Dlugosso conuiciatore hic audiri meretur, (*c*) *vno die* 14. *oppida, quae in Viennensi agro sita, vrbem in coronae speciem circumstant, vltro sese regi dedidere. — Et haec facta deditio ita Viennensibus commeatus inhibuit, vt ad extremam famem perbreui redactura videretur.* Hinc iam prius imperator Crembsium se contulit, vt anonymus synchronus ait, (*d*) 2. *fer. prox. post Iacobi anno* 1477. Hic auctor, post Neoburgi, Tulnae castrorumque 72. deditionem, ait, ipsum Crembsium, vnde Fridericus iterum fugere debuit, ab Hungaris obsessum fuisse. Sub hac obsidione Paullus Kinisius abbatem Zuetlensem ad praestandum Mathiae fidei sacramentum idemtidem adhortatus est. (*e*) *Datum in loco campestri circa expugnationem ciuitatis Crembs, anno dom.* 1477. *fer.* 6. *ante fest. Simonis et Iudae.*

Item

(*a*) Dlug. L. XIII. col. 555. (*b*) Ap. Galeot. Mart. cap. IV. p. 250. (*c*) Dec. IV. Libr. V. p. 616. (*d*) Ap. Linck Ann. T. II. p. 250. (*e*) Ibid. p. 252.

Item *fer. 6. post Leonhardi*, seu 7. Nouembris. Huius obsidionis et Bonfinius meminit ac subiicit: (*a*) *Paullus ac ceteri vexillationum praefecti expeditos equites finitimos late infestare iubet. — Diri belli rumor per Germaniam repente diffunditur: caesaris omnes auaritiam, morositatem et pertinaciam incusant; exsecrantur negligentiam.* Neque Dlugossus hanc armorum Mathiae felicitatem negat. *Omnem*, inquit, (*b*) *Austriam a montibus Pannonicis vsque ad montes Bauariae peruagatus, omnia fere castra, oppidula et pagos — suae ditionis fecit.* Aliquam tamen Mathiae notam inusturus, ait, a Viennensibus, in obsidentes Hungaros erumpentibus, tot interceptos fuisse, *vt, maximo numero eorum vndis suffocato, aut fame exstincto, ergastulorum illos latitudo non caperet.* Quasi vero Mathias tanto numero copiarum Viennam, quanto Casimirus Wratislauiam, obsedisset; tantusque hic numerus, quantus illic, obsidentium intercipi potuisset. Frustra socium illius ignominiae Mathiam facere hac arte conatur. (*c*)

CCCII. Fridericus, tot vndique cladibus acceptus, opem inter alios etiam Poloniae regis implorabat; sed prouidentia Mathiae regis, inde cruciferos, hinc Thungenios et Komorovszkios eidem opponentis, illum domi fixit. Fridericus igitur pacem cum Mathia facere coactus est, *sub turpibus his conditionibus*, vt Dlugossus refert: (*d*) „ Vt „ Fredericus caesar a iure et titulo regni Hungariae „ perpetuo cedat et se abdicet: altera regalia super „ regno Bohemiae Mathiae regi det: et 180. flo- „ renorum millia eidem soluat: et Hung. rex Ma-

(*a*) Dec. IV. Libr. V. (*b*) Libr. XIII. col. 562. (*c*) Hist. Cr. T. XVI. p. 104.—123. (*d*) Libr. XIII. col. 563.

„ thias interim castra et ciuitates, in Austria con-
„ quisitas, teneat. — " *Et licet Fredericus caesar duas conditiones impleuisset, a iure et titulo regni Hung. recedendo, et dando altera regni Bohemiae regalia; centum tamen octoginta millium solutionem — implere non potuit.* Tam Bonfinius, quam Gerardus de Roo 150. millia numum aureorum a Friderico Mathiae dependenda fuisse scribunt. Tabulae tamen pacis, a Mathia confectae (*a*) *in Corneuburg, die prima Decembris, anno MCDLXXVII.* 100. millium florenorum dumtaxat meminerunt: sed quia lacunis illo loco scatent; incertum est, an non 50. millia sint illic oblitterata. Quia vero mancum est hoc instrumentum, nec satis constat, quid in eo sit omissum; erroris inde Dlugossus redargui non potest, quod illic non innuatur, quod ipse testatur, *Fridericum caesarem a iure et titulo regis Hung. recessisse.* Quod quidem non tantum alii scriptores Polonici, Michouius et Cromerus, sed etiam Austriacus, Gerardus de Roo, confirmant. Mathiam Corneuburgi longiores moras traxisse, discimus ex eiusdem litteris, 22. Decembris ad Hungariae SS. et OO. datis, quibus in 14. Febr. comitia Budam sic edixit: (*b*) „ — Intelligere potuit
„ fidelitas vestra, quanta ser. D. imperator, vna
„ cum primogenito regis Poloniae, — contra re-
„ gnum nostrum moliebatur. — Propter quod nos,
„ tantis iniuriis et periculis imminentibus prouoca-
„ ti, etsi prius omnes conditiones pacis obtuleri-
„ mus, non vltro, sed coacti, ipsis occurrimus;
„ et, DEO opitulante, ac vestris subsidiis inter-
„ teruenientibus, ea, quae hostis noster in terra
„ nostra

(*a*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 114. (*b*) Ap. Kaprin. P. I. p. 306.

„ noſtra agere volebat, in terris ſuis perfecimus „ et ipſum ſer. imperatorem — ad tales articulos „ pacis deduximus, vt amodo in poſterum regnum „ noſtrum ex iſto latere ſit perpetuam pacem ha„ biturum. — Quia autem, his peractis, adhuc ſu„ perſit differentia regni Bohemiae; — ſtatuimus „ etiam illi rei ita prouidere, — vt poſt tot labo„ res et impenſas etiam de ſtatu illius regni aliquid „ concludatur. — Quare fidelitates VV. — duos ex „ vobis — Budam ad feſtum B. Valentini — trans„ mittere debeatis. — Datum in Korneuburg, fer. „ 2. prox. ante feſt. natiuitatis domini, anno eius„ dem 1477." Ibidem ſexto poſt die prioratum Auranae, quem Nicolaus Ujlakius, rex Bosniae, prius obtinuerat, poſt eius obitum Bartholomaeo de Sz. György contulit. (*a*)

A. C. 1478. *Math.* 21. *Ind.* 11. *P.* 22. *M.*

CCCIII. Comitiis Budae celebratis, perlati ſunt articuli XV. hoc ordine: (*b*) „ *I.* Subſidium vnius „ floreni a ſingulis portis offertur. *II.* Subſidium „ floreni offertur in ſubſequentes annos 5. *III.* In„ tra 5. annos regnicolae in expeditionem ire non „ teneantur. *IV.* A contributione qui eximantur. „ *V.* Nobilis ex comitatu dicatori adiungatur. *VI.* „ A militibus nobiles et pauperes coloni non op„ primantur. *VII.* Iudicia generalia non celebren„ tur, niſi in certis comitatibus. *VIII.* Occupato„ res bonorum euocentur. — *IX.* Rex ad ſimplicem „ querelam nullius bona occupari permittat. *X.* Rex „ neminem ſine conſilio ſuorum conſiliariorum ca-

(*a*) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 123—139. (*b*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 227.

„ ptiuet. — *XI.* Iudicia octaualia in sede banatus
„ Machouiensis non celebrentur. *XII.* Euocatio-
„ nes breues. — *XIII.* Quater in anno iudicia
„ celebrentur. *XV.* In decimando seruetur antiquus
„ mos. — Datum Budae, — in dominica *Quasi mo-*
„ *do geniti* (29. *Martii*) an. dom. 1478." Mathias, bellorum iam satur, pacis consilia cum Wladislao tractabat, missis Brunam 15. Martii legatis. *Pax*, inquit Dlugossus, (*a*) — *primum ad festum S. Iacobi ap. et exinde ad festum S. Michaelis arch. stabilita est.* — *Quae tandem conclusa et litteris vtriusque regis firmata est, sub his conditionibus :* „ Vt vter-
„ que se Bohemiae regem scribat: apud Wladislaum
„ vniuersa Bohemia integre et electoratus; — apud
„ Mathiam vero Morauia, Slesia et Lusatia et sex
„ ciuitates remaneant: si prius Mathias diem ob-
„ ierit; Wladislaus teneatur regno Hung. 400. mil-
„ lia flor. soluere, et Morauiam, Slesiam, Lusatiam
„ rehabere: — Si vero, pignore non suscepto, ex-
„ cesserit; Mathias in regnum Bohemiae succedet,
„ et regnum Boh. erit liberum a 400. millium flor.
„ solutione." Pacis tabulas, nonnihil interpolatas, Raynaldus ad hunc annum plenius exhibet, quas anno sequente reges fusius exponent. Quominus pax, cum imp. Friderico regeque Wladislao iam composita, cum Casimiro, Poloniae rege, coalesceret, impedimento fuerunt foederati Mathiae, Thungenius et cruciferi Prussiae, quos, a Casimiro lacessitos, Mathias destituere noluit, induciis tandem ad festum vsque purificationis conclusis. Interea Veneti, dum Mathias Austriaco bello distineretur, a Turcis ita premebantur, vt ignominiosam cum illis pacem confecerint. De hac Mathias certior redditus

(*a*) Libr. XIII. col. 569.

redditus, datis ad Ioannem Arragonium cardinalem, Beatricis fratrem, litteris, acerbe questus est (*a*) Grauiter etiam de tributo pendendo Quinqueecclesiense capitulum admonuit. (*b*) Nihil autem iuris amisit ex vltimis tabulis Catharinae reginae, Stephani Thomae, Bosniae regis, viduae, quae non anno 1458. sed 1478. mortua, Bosniam ecclesiae Romanae transscripsit; nec enim illa fiduciario iuri, quo reges Hungariae Bosniam obtinebant, derogare potuit. (*c*)

A. C. 1479. *Math.* 22. *Ind.* 12. *P.* 11. *A.*

CCCIV. Mathias, in bellum Turcicum intentus, ne cum pluribus hostibus eodem tempore certare viresque suasque distrahere cogeretur, pacem, cum Bohemis inchoatam, stabilire, nouam cum Polonis sancire constituit. Primum igitur effecit, vt Siradiensis conuentus festo pentecostes, seu 30. Maii, haberetur, ad quem tam Mathias duos legatos mitteret, quam magister cruciferorum et Nicolaus Thungen comparerent. Induciarum, interim conclusarum, tabulas exhibet Dogielius, (*d*) a Mathia confectas *Budae*, *fer.* 6. *ante dom.* Ramis palmarum, *anno dom.* 1479. Conuentu hoc ad festum S. Bartholomaei dilato, Mathias alium interim Olomucii cum Wladislao celebrauit, pacemque, cuius fundamenta iam anno superiore iacta sunt, confirmauit, ac latius explicuit. Adduxit illuc secum 2. Iulii Beatricem coniugem ac Ferdinandum, eius fratrem, iunctisque cum Wladislao dextris, lautis-

(*a*) Ep. Coru. P. IV. n. 29. p. 62. (*b*) Ibid. P. III. n. 50. p. 97. (*c*) Hist. Cr. T. XVI. p. 139.—183. (*d*) Cod. Dipl. T. I. p. 77.

ſima tam illi, quam eius comitibus conuiuia 15.
diebus exhibuit. De magnifico Coruinianae ſupellectilis apparatu conuiuiique ſplendore non tantum Bonfinius, (*a*) et Turotzius, (*b*) ſed etiam Dlugoſſus, licet alias eidem infeſtus, teſtimonium ita perhibet: (*c*) *Diſceſſit autem vterque rex die Veneris, penultima menſis Iulii, ex Olomucz ad propria, datis inter ſe muneribus magnificis. Sub quo quidem vniuerſo tempore Wladislaus B. R. et ſui omnes ſplendide, opipare et abundanter in ſingulis fuerunt prouiſi et tractati Hungariae regis Mathiae munificentia et liberalitate.* Prolixas foederis ſtabiliti tabulas Dobnerus exhibet, (*d*) *datas in ciuitate Olomucenſi*, 21. *die menſis Iulii*, *anno dom.* 1479. Recitat ſimul Wladislai litteras, quibus praeteritorum perpetuam obliuionem ac plenam amneſtiam conſtituit. (*e*) Praecipua compoſitae cum Wladislao pacis cauſſa ſic illic exprimitur: „Vt, ſcilicet eo „liberius Wladislaus et ipſe Mathias, mutuis diſ„ſenſionibus et hoſtilitatibus liberati, rebus Chri„ſtianis intendere valeant.“ Maiores enim in dies progreſſiones Turcae contra Chriſtianos faciebant; dum mutuis odiis et armis Chriſtiani principes inter ſe decertabant. (*f*)

CCCV. Hoſtis barbarus, Olomucenſi quoque conuentu ſuam in rem vſus, *ingentem*, vt Bonfinius ſcribit, (*g*) *expeditiſſimumque exercitum in Vngariam excurſare iubet. — Transmiſſo iam Sauo,*
30.

(*a*) Dec. IV. Libr. V. p. 627. (*b*) Chron. P. IV. cap. 67.
(*c*) Libr. XIII. col. 583. (*d*) Monum. T. IV. p. 449.
(*e*) Ibid. p. 456. (*f*) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 184—220.
(*g*) Dec. IV. Libr. V. p. 629.

30. *Turcorum millia in Draui repente ripa consedere: — ad castrum vsque ferreum et ad Stiriam Rachorspurgumque decursant:* 30. *hominum millia cum ingenti praeda secum abducunt.* Mathias, praemissis quibusdam praefectis, ipse cum exercitu sequutus, vltra Iaitzam castra posuit. *Hinc expeditissima* 16. *hominum millia sunt emissa, quae Turcos cum praeda persequerentur.* Hi quidem oppressis repente Turcis praedam excusserunt; sed ab iis rursus inuasi, ne praedas amitterent, segnius pugnarunt, cladem accepturi, ni 300. Croatae succurrissent, vnitisque viribus Turcas in fugam egissent. Aliud eodem anno praelium multo felicius cum Turcis in Transsiluania commissum est, quod male Bonfinius in annum sequentem differt. Mellicense chronicon paucis eiusdem ita meminit: (*a*) *MCDLXXIX. septem castrenses prosternunt Turcorum fere* 32. *millia in festo S. Colomani.* Inscriptio Coronensis idem tempus his verbis assignat: (*b*) 1479. *Stephanus Bathor, vaiuoda Transsiluaniae,* 65. *millia Turcarum in campo Roinyer* (Kenyér) *prostrauit in festo Colomani.* Dlugossus vna die tardius, 14. *mensis Octobris*, inquit, (*c*) *Turcorum exercitus maximus, ad* 100. *millia aestimatus, — in terram septem castrensium — ingressus,* 5. *capitaneos — habebat.* Hanc pugnam Bonfinius in plures paginas diducit, Mathiaeque prouidentia Turcis, quos Alibegus ductabat, Stephanum Bathorium et Paullum Kinisium oppositum esse scribit. (*d*) Consertis in Kenyér - mező manibus, Bathorio iam 6. vulneribus sauciato, Kinisius accurrit, pugnamque feruere conspicatus, *edito*

(*a*) Ap. H. Pez. T. I. col. 267. (*b*) Ap. Schwandt. T. I. p. 886. (*c*) Libr. XIII. col. 586. (*d*) Dec. IV. Libr. VI. p. 635.

edito ingenti clamore, vna cum tubarum clangore coniuncto, in Turcos irruit, — duplici accinctus gladio, veluti leo rugiens, multo cruore vsquequaque grassatur. — Tum *geminatis viribus animisque intonuit.* „ — Vbi, Bathor es, *inquit,* „ vbi castae castitatis specimen? — Si viuis „ adhuc; responde. — Sum Paullus pro te, „ pro patriae salute, ad vtramque fortunam expe- „ ditissimus. — Adsum, *inquit,* mi Paulle, adsum: „ adhuc viuitur." Mox igitur Kinisius *collegae turmam praesenti morte liberat. — Turci, quum fronte tergoque se occlusos intellexere, — diffugiunt. — Alibechus, habitum linguamque iuxta mentitus, — in parua casula ea nocte delituit. At vbi illuxit, conscenso equo,* „ abi, pastor, *inquit,* ad vaiuodam, „ et te Alibechi hospitem fuisse, nunciato." — Victoribus super cadauera hostium coenantibus, *Paullus, saltare iussus, — medium sublimemque caesum hostem, humo porrectum, dentibus sine vllo manuum adminiculo plane corripuit: mox in orbem, admirantibus potius, quam ridentibus spectatoribus, numerose saltauit. — Ex Vngaris* 8000. *desiderata; ex Turcis* 30. *circiter millia caesa; quin et per accliuia montium loca passim caesorum ossa spectantur.* Hanc victoriam etiam Mathias ad Sixtum pontificem perscripsit, (a) *Budae*, 22. *die mensis Octobris;* litteris aliis ad card. Gabrielem, episcopum Agriensem, datis, questus de maiore pontificis in Venetos, quam in se studio. Quam criminationem cardinales diluerunt; (b) testati, *nullum principem Christianum tenerius et dulcius ab ipsa sua sanctitate diligi*, quam ipsum Mathiam, qui tamen querelam

relam

(a) Steph. Balluz. Misc. T. I. p. 502. (b) Ep. Corn. P. IV. n. 26. p. 47.

relam repetiit propter ius patronatus a pontifice turbatum. (*a*)

A. C. 1480. *Math.* 23. *Ind.* 13. *P.* 2. *A.*

CCCVI. Eodem tempore, quo Bathorius illustrem de Turcis victoriam in Transsiluania reportauit; Mathias inter Polonos et cruciferos opera suorum legatorum pacem conciliauit. Ad septemtriones igitur ab hostibus liber, vires omnes in Turcarum imperatorem conuertere potuisset: nisi Romanorum imperator his eius conatibus obicem posuisset, ac in se bellum hoc auertisset, cuius caussas ita Bonfinius refert: (*b*) *Romanorum imperatorem crebris litteris ac multis legationibus orauerat:* „ vt „ pacta praestaret; promissa persolueret; 150. au„ reum millia, iam diu exacto tempore, pende„ ret. Viennenses, *audiuerat*, 100. millia caesari, „ collata stipe, dedisse: illum, auaritia peruicacia„ que correptum, nihil esse soluturum. “ *Quare, veluti cum eo sibi conuentum fuerat, pactionum iure abnegatas bello pecunias repetere omnino censebat oportere.* Pactionum enim tabulae hanc cautionem habent: „ Quod si dicta summa — non solueretur; „ libera sit regia maiestas illam quocumque modo „ requirere cum omni damno et interesse. “ *Hoc*, inquit Bonfinius, (*c*) *octuagesimo anno, ductu auspiciisue Coruini, vbique prospere pugnatum est. Nam in Stiria, Februario mense, Petouia, Regede et pleraque oppida caesaris expugnata. Petouia Iacobi Zekel astu et copiis — in regis ditionem venit. Nec minore quidem calliditate C. Stephanus — Rakosburgum*

(*a*) Ibid. p. 52. Hist. Cr. T. XVI. p. 221.—252. (*b*) Dec. IV. Libr. V. p. 630. (*c*) Ibid. Libr. VI. p. 633.

kosburgum occupauit. Hanc vrbem 6. Martii iam obsessam fuisse, patet ex his litteris, a Linkio relatis: (*a*) „Exercitus Vngaricus quamdam in Stiria „caesaream obsedit ciuitatem, nomine Rakospuruam; „caesar vero in Neapoli sua moratur. — Dat. Vien- „nae, anno dom. 1480. fer. 2. post *Oculi.*" Fridericus, Neostadio Viennam profectus, litteris ad imperii principes et ad diuersa loca datis 20. et 23. Martii, querelis contra Mathiam, quasi foedera prior rupisset, Germaniam impleuit. Mathias ad has illius criminationes ita respondit: (*b*) „Certi- „ficati sumus, caesaream M. nouis rursum crimina- „tionibus apud vos et S. R. I. principes nos im- „petere, quasi nos inscriptionibus mutuis contra- „uenissemus, — quod nuper oppidum Rakospur- „gum, nulla prorsus diffidatione maiestati suae „praemissa, fecimus expugnari. — Respondemus, „nobis non licuisse M. suam diffidare. Nam, si „id fecissemus; directe contrauenissemus inscriptio- „nibus mutuis, quibus cauetur: *vt, quandocum-* „*que caesarea M. promissa sua de solutione, nobis* „*debita, non compleret; liceret nobis nostra quo-* „*cumque modo requirere, cum omni damno et in-* „*teresse, sine vlla initae pacis et concordiae offen-* „*sione; et propter hoc mutua inter nos amicitia* „*solui non deberet.* Quum igitur nos frequenter „et saepius M. suam monuerimus de solutione, „nobis facienda; ipsa vero pertinaciter id facere „neglexerit; nos post debitum solutionis terminum „vltra annum et longe amplius M. suam exspe- „ctantes, — diffidare noluimus, ne primi daremus „occasionem amicitiae, inter nos violandae. Ve- „rum denunciauimus saepius per litteras et nun-

„cium

(*a*) Annal. Clar. T. II. p. 260. (*b*) Ex MSS. Wagnerianis.

„ ctum maiestati suae, quod nobis oporteret, iuxta formam inscriptionis, nostra, quibuscumque possemus modis, requirere. — Dat. Budae, 13. die „ mensis Apr. anno dom. 1480." Lentius tamen hoc anno bellum Mathias contra Fridericum gessit; quod partem copiarum ad occupandam Vegliam, a Martino Frangepanio, liberis orbato, sibi legatam, contra Venetos miserit, qui tamen eam eripuerunt; partem autem in auxilium soceri contra Turcas, qui Hydruntum occuparunt, destinauerit. (*a*)

A. C. 1481. *Math.* 24. *Ind.* 14. *P.* 22. *A.*

CCCVII. Antequam Mathias de Hydrunto capto certior factus fuisset; a Venetis, qui probrosam cum Turcis pacem composuerant, destitutus, imperii principes in communem armorum contra Turcas societatem inuitauit, (*b*) *de Turcorum ingenti potentia, de illorum insatiabili cupidine Christi fidelibus dominandi, deque prouidendi, ne talia eueniant, celeri necessitate*, per suos oratores illos edocendo. Non exspectatis horum auxiliis, audita Hydrunti iactura, 700. milites ad focerum contra Turcas iuuandum, duce Blasio Magyar, se mittere, Francisco Fontanae per litteras significauit. (*c*) Interim ab ipso socero rogatus, vt 1200. leuioris armaturae milites ad se transmitteret; respondit, se iam 700. praemisisse, pluresque dehinc missurum esse, si necesse fuerit. (*d*) Ex his ad card. Agriensem scripsit fuisse (*e*) 400. *pedites*, 300. *equites*; *ex quibus* 100. *erant armigeri*, 200. *vero huszarones.*

(*a*) Hist. Cr. T. XVI. p. 260.—292. (*b*) Ap. Freher. ad an. 1481. (*c*) Ep. Coru. P. IV. n. 40. p. 99. (*d*) Ibid. n. 44. p. 111. (*e*) Ibid. n. 95. p. 262.

nii prorogatae ſunt. Licet autem induciarum infractarum praecipuus auctor profugus ille metropolita fuerit; illi tamen Mathias, intuitu pontificis, Iaurinenſem epiſcopatum cum titulo metropolitae Strigonienſis obtulit, datis ad Aſculanum ea de re litteris. (*a*) Numquam tamen illum ad priorem dignitatem reponendum his verbis declarauit: „Nos „ nequaquam volumus habere ſerpentem in gre„ mio; neque viperam ad latus noſtrum retinere." Ioannem igitur Arragonium, Beatricis reginae germanum, ad metropolim Strigonienſem eius loco deſtinauit; (*b*) cui Petri, Colocenſis epiſcopi, confirmationem vrgendam, tum etiam archiepiſcopo Patracenſi, (*c*) hunc autem pro cardinalicia dignitate pontifici commendauit. (*d*) Quia Mathias Simeonem iſtum, Patracenſem archiepiſcopum, ſuum in curia Romana fautorem fore ſperabat; ad eum promouendum opem etiam expetiit cardinalis S. S. Petri ad vincula, (*e*) nepotisque pontificis, C. Hieronymi. (*f*) Tantam eorum, quorum virtutem et dexteritatem perſpexit, promouendorum curam Mathias habuit. (*g*)

CCCIX. Mathias, a ſacris bellicisque curis ad politicas tantisper conuerſus, ordinibus regni comitia Budam indixit, ibique decretum, ordine quintum, XVII. articulos complexum, qui potiſſimum de decimis agunt, condidit, e quibus ita habet, (*h*) „ *Art. I.* Decimae de quibus rebus exigantur. „ *II.* Ad nobiles — propter ruſticos, decimas ſol„ uere

(*a*) Ibid. n. 55. p. 135. (*b*) Ibid. n. 39. p. 96. (*c*) Ibid. n. 41. p. 103. (*d*) Ibid. n. 51. p. 126. (*e*) Ibid. n. 76. p. 190. (*f*) Ibid. n. 74. p. 187. (*g*) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 321.—349. (*h*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 230.

„ uere non curantes, ecclesiasticum interdictum non „ imponatur. *III.* Rasciani ad decimas soluendas „ non tenentur. — *IV.* Christiani, societatem cum „ Rascianis contrahentes, ex portione tantum sua „ decimam soluant. *V.* Quod pro vno aureo 100. „ denarii, et 14. capeciis vnus aureus exigatur. *VI.* „ Pro capitibus dicarum nihil exigatur. *VII.* De- „ cimatores vbi condescendere — debeant. *VIII.* „ Quod nullus praelatorum decimas suas arendare „ valeat. — *IX.* Interdictum ecclesiasticum ratione „ decimarum vsque festum purificationis non impo- „ natur. *X.* De modo dicationis decimarum. *XI.* „ Decimae cum grauaminibus consuetis exigantur. „ *XII.* Decimae secundum ordinationem, quam „ vnusquisque habet cum praelato, exigantur. „ *XIII.* Poena iniuste conquerentium regiae maie- „ stati ratione decimarum. *XIV.* Generale iudi- „ cium vsque ad festum S. Martini non celebre- „ tur. *XV.* De donationibus iurium possessionario- „ rum. — *XVI.* Capitulorum et conuentuum de „ testimoniis. — *XVII.* Citationes et monitiones „ non generales — dentur ab ecclesiasticis iudici- „ bus. — Dat. Budae, in festo diuisionis apostolo- „ rum, anno dom. 1481." Regio fauore Silesitas quoque complexus, quum intellexisset, Wratisla- uienses in Hungaria nimiis vectigalibus onerari; co- mitiis Budensibus absolutis, eorum indemnitati con- suluit; (a) *Budae, sabb. prox. post fest. B. Annae, matris MARIAE, an. dom.* 1481. Ex quadrage- nis Mathiae litteris, quas in critica historia recita- mus, magnam quidem lucem res huius temporis accipiunt; maiorem tamen accepturae, si certas tem-

(a) Ex MSS. Cornidesianis.

temporis notas vel adſcriptas, vel melius conſignatas haberent. His enim omiſſis, certus ex iis ordo rerum geſtarum erui non poteſt. Omnes tamen praeferunt magnum Mathiae ſtudium Turcarum potius, quam Romanorum imperatorem armis inuadendi. Spem bonam ad id agendum obtulit, quod, poſtquam Mahometes, ſub initium Maii mortuus, magno metu Chriſtianos abſoluiſſet; eius filii, Baiazetes et Zizimus, pro principatu mutuis armis inter ſe decertauerint. Sed enim optimam hanc occaſionem Turcarum potentiam euertendi, qua Mathias vſus per Kiniſium magnas iis clades intulit, mutuis et ipſi Chriſtiani diſſenſionibus corruperunt. In comitiis certe Norimbergenſibus, agente Friderico, non contra Turcas, ſed contra Mathiam auxilia decreta ſunt. (*a*)

A. C. 1482. *Math.* 25. *Ind.* 15. *P.* 7. *A.*

CCCX. Etſi Spondanus cum aliis quibusdam opinetur et criminetur, Mathiam aduerſus Fridericum non tam aequitatis et neceſſitatis cauſſa, quam *ambitionis impotentia* bellum excitaſſe; ſi tamen tot eius epiſtolis expreſſa ſenſa conſideremus; dubitare non poſſumus, illum ad tuenda ſua iura vimque propulſandam arma corripuiſſe. Tantam certe fiduciam iuſtiſſimae ſuae cauſſae habuit, vt iudicio pontificis omnem hanc controuerſiam ſubmiſerit. „ Mallem, *inquit*, (*b*) — vires meas, hoc praeſertim tempore, — quum DEVS ex alto viam „ rebus Chriſtianis aperuit, ad publicam Chriſtianitatis ſalutem conuertere. Sciat igitur S. V. numquam

(*a*) Hiſt. Crit. T. XVI. p. 350.—436. (*b*) Ep. Coru. P. IV. n. 78. p. 203.

„ quam in me fuisse defectum, — quominus mo„ nitis et exhortationibus S. V. quas ego, prout „ obediens filius, semper cum omni deuotione „ suscipio, paruissem; si alii quoque idem facere „ curassent: — me a iusto et honesto numquam „ retraxisse; immo et prius obtulisse me, — et nunc „ offerre pariturum iudicio S. V. quandocumque „ voluerit differentiarum caussas ex vtraque parte „ cognoscere, et iustitiae meae sententiam exaudi„ re." — Quatuor millibus sub initium anni huius in Austriam immissis, cum exercitu toto, contra Turcas comparato, non prius Friderici prouincias inuadere voluit, quam certum ab illo responsum accepisset, quod per episcopum Theaniensen vrgebat. (*a*) Postquam expertus omnia, nihil profecisset; non iam velitationibus, sed totis viribus rem acturus, Friderico bellum aperte denunciauit. (*b*) Tantam autem animi moderationem praesetulit, vt etiam a bello iam indicto desistere se velle Theaniensi significauerit: (*c*) modo Fredericus arbitrio pontificis acquiescere velit: nouisque litteris, ad pontificem datis, se potius pacis, quam belli cupidum esse declarauerit. (*d*) Postquam vero iam omnia media componendae cum Friderico pacis exhausisset et consumsisset; ad arma tandem, tamdiu nequicquam suspensa, prouolauit, primumque Hamburgum, quod aditum in Austriam aperit, ad ictum destinauit. Reiectis 10. millibus, quae Fridericus ad soluendam obsidionem miserat, *oppidani tandem*, inquit Bonfinius, (*e*) *ab omni ope destituti, quum extremam reformidarent inediam, et subsidia desperarent*,

(*a*) Ibid. n. 92. p. 252. (*b*) Ibid. n. 93. p. 255. (*c*) Ibid. n. 94. p. 258. (*d*) Ibid. n. 86. p. 237. (*e*) Dec. IV. Libr. VI. p. 641.

rent, se se dedunt. Hamburgum igitur pridie kal. Octobris capitur. — Arx, quamuis dies aliquot propugnari potuisset, a praefecto tamen, acceptis tribus aureum millibus, regi traditur. Serius igitur Sixti litteras, quibus obsidionem Hamburgi dissuadebat, (*a*) 20. *Nou.* 1482. Mathias accepit; in quibus victoriae, de Turcis a Kinisio relatae, mentio rursus occurrit. (*b*)

A. C. 1483. *Math.* 26. *Ind.* 1. *P.* 30. *M.*

CCCXI. Fridericus, Mathiam serio rem agere iam expertus, Alphonsum, Foroliuiensem episcopum, in Hungariam ad pacem sollicitandam misit. Qua de re certior redditus pontifex, vehementer gauisus, imperatorem in concepto pacis studio confirmauit, (*c*) *die* 10. *Ian.* Quia tamen Fridericus ad aequas pacis conditiones adduci non potuit; Mathias armis id extorturus, quod iure non poterat, quamprimum per hiemis inclementiam licuit, Leytaeponto vim admoueri iussit. *Stephanus Dauid*, inquit Bonfinius, (*d*) *cui Házi cognomen erat, a rege cum praetorianis cohortibus delectisque hac equitibus primo tempore mittitur. — Iam quartus ab obsidione mensis agebatur, quum David, non minus ira, quam verecundia percitus, — primus completa fossa, murum conscendit. — Sex circiter horis pugnatum. Vngari tandem ingressi, vrbe potiuntur. — Duodequadragesimo die praefectus arcis, inedia coactus, deditionem facit.* Antequam Leytaepontum se dedidisset; Mathias ad plures imperii principes litteras

(*a*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 158. (*b*) Hist. Cr. T. XVI. p. 456.—460. (*c*) Ap. Rayn. ad an. 1483. (*d*) Dec. IV. Libr. VI. p. 643.

litteras dedit, ac iniurias, a Friderico sibi saepius illatas, exposuit, ac petiit, vt subsidia sibi potius contra Turcas, quam illi contra se, mitterentur; ne destitutus Christianorum auxiliis, cum Turcis pacisci cogeretur. Iam enim Baiazetes, hostibus in Asia profligatis, in S. Sabae ducatum ac alias Christianorum terras arma conuertit. Interea Mathias Viennam, finitimis oppidis quaquauersum occupatis, tamquam membris amputatis, facilius subinde penetraturus, etiam vltra montem Caecium exercitum promouit, vrbemque S. Hippolyti sui iuris fecit. Cardinales, has inimicitias intercepturi, Mathiam ad ineundam cum Friderico concordiam multis argumentis permouere conati sunt. (a) Ad id facilius obtinendum Sixtus pontifex Castellanum episcopum ad vtrumque legatum misit, qui plenas Mathiae laudibus litteras ad illum identidem dedit. (b) „ Est, *inquit*, rex doctus, et cum grauitate et maiestate quadam dicendi. — Hic est rex indefessi animi, Martialis totus, nihil nisi bellicum cogitans. — In rep. Christiana neminem sibi comparandum inuenerit beatitudo V. (*cuius ore rex regum nominabatur*) — confundebar sane arguebarque, a seculari principe in his, quae ad diuinum cultum et animarum aedificationem attinent, superari. — Hunc regem si S. V. videret, quam grauitatem, quam prudentiam praeseferat; quam suaui et graui eloquentia polleat; diceret, hunc Italiae et Latinae linguae semper incubuisse. — Regem hunc carum sibi teneat sanctitas V. In eo armorum praestantia, animi magnitudo et religio singularis. — " His Budae 25.

(a) Ep. Corn. P. III. n. 52. p. 101. (b) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 162.

Octobris datis, postridie Castellanus Visegradum deductus, triste de Hussitis, in Bohemia rursum tumultuantibus, nuncium accepit, ac ad pontificem perscripsit, (*a*) *ex Visegrado, paradiso terrestri, die 25. Oct.* 1483. Pontifex illico Mathiam, quem *malleum infidelium et haereticorum* appellauit, (*b*) vt Bohemiae regnum, *sibi subiectum*, defenderet, maloque huic occurreret, adhortatus est, *IV. Dec. MCDLXXXIII. pont. an. XIII.* (*c*)

CCCXII. Iusto metu perculsus Mathias, ne Bomi haeretici, quorum latrociniis aegre prius maximisque laboribus et sumtibus Hungariam liberauerat, rursus in regnum irrumperent, cuius partes superiores quidam Perenii tunc infestas reddebant, vt his maioribus viribus resistere posset, oblatas a Baiazete quinquennales inducias non inuitus admisit. Caussam oblatarum induciarum ita Baiazetes reddit: (*d*) „ — Rex sultanus, qui tempore patris „ nostri defuncti, nostro subditus erat imperio, „ nunc quoquo ductus motiuo, a nobis se auer- „ tit, quem iterato nostra potentia subdere opor- „ tet. — " Mathias item admissarum induciarum hanc rationem adfert: (*e*) „ — Quum nonnulli fo- „ rent contumaces, qui nostris recusent pare- „ re mandatis, quos etiam nos corrigere opus „ est. — " Qui vero hi *contumaces* fuerint; ex hoc eius ad Cibinienses misso mandato colligi potest: (*f*) „ — Scitis, quales querelas alias non semel „ deposuistis coram M. nostra super illis maleficiis „ et

(*a*) Ibid. p. 169. (*b*) Ibid. p. 171. (*c*) Hist. Cr. T. XVI. p. 475—524. (*d*) Ep. Coru. P. IV. n. 1. p. 1. (*e*) Ibid. n. 2. p. 2. (*f*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 190.

„ et enormitatibus, quae in libera via regni noſtri
„ per quemdam Nicolaum Peren et ſuos — com-
„ mittebantur. — Commiſeramus nuper — caſtrum
„ Ztrupko obſideri et expugnari. Sed quum ad ca-
„ ſtrum Filek hominem noſtrum miſiſſemus, vt il-
„ lud ſimiliter expugnarent, et ſpoliatis ſatisfactio
„ impenderetur, atque via regni noſtri in totum
„ purgaretur; intelleximus, magnificum Stephanum
„ de Peren caſtrum illud ſubintraſſe; atque inde
„ homines noſtros bombardis et aliis machinis bel-
„ licis infeſtare; idque in contemtum maieſtatis
„ noſtrae machinari, vt ad caſtra Újvár et Sáros
„ homines externos atque forenſes introducat. Quod
„ ne fiat — Dat. Budae, feria VI. prox. poſt feſt.
„ B. Bricci (14. *Nou.*) anno dom. 1483." Hoc mandatum etiam ad caſtrum Terebes expugnandum extendit, (a) *Budae, fer.* 4. *prox. poſt feſt. Concept. V. M.* (10. Dec.) *an. dom.* 1483. Interea Caſtellanus epiſcopus, conſumtis apud Fridericum imp. 16. diebus, Budam reuerſus, quinquennalibus induciis cum Baiazete concluſis, omnia mutata reperit, de quibus pontificem edocuit ac addidit: (b)
„ Ita de S. V. loquitur hic rex, vt, ſi filius geni-
„ tus eſſet, non maiore veneratione et amore lo-
„ qui poſſet. — XIII. Decemb. MCCCCLXXXIII. —" Etſi Mathias his induciis non leuem apud Chriſtianos principes inuidiam ſibi conflauerit; aliquam tamen excuſationem propterea meretur, quod per eas ceteris quoque Chriſtianis a Turcarum iniuriis cauerit. Praeterea ſaepe quidem aliorum auxilia contra barbaros ſollicitauit; vix tamen aliquid impetrauit. Vnde Philelphus quoque hoc factum ſic

(a) Ibid. p. 189. (b) Ap. Pray An. P. IV. p. 171

excusat: (a) *Hungari, ferocissimum genus hominum, vbi se audissent a ceteris principibus destitutos, vel ab ipsis potius principibus Christianis oppugnari; a Turcis autem quotidie affligi atque opprimi; ancipiti bello distracti ac vexati, tandem coacti sunt accipere, quam Turci voluerunt, conditionem. Quid enim facerent inopes? —* (b)

A. C. 1484. *Math.* 27. *Ind.* 2. *P.* 18. *A.*

CCCXIII. Induciae quidem illae plurimum sufflaminarunt ineundam cum Friderico concordiam, ad eam tamen conciliandam vltimum arietem Sixtus IV. antequam hoc anno vitam terminasset, admouit, datis ad Mathiam litteris. (c) *X. die Martii MCDLXXXIV.* Precibus tamen eius ac adhortationibus paternis Mathiae regis animus, pluribus caesaris iniuriis irritatus, emolliri flectique non potuit. Ad bellum igitur, in Austriacos prosequendum, aliis aliam pecuniae summam, Bartsensibus 600. aureos imperauit, (d) *Budae, in dominica* Quasi modo (25. *Apr.*) *an. dom.* 1484. Mathias, apparatu longiore distractus, ante Septembrem non videtur expeditionem suscepisse, quum adhuc Budae fuerit, ac in fauorem Ginsiensium litteras dederit, (e) *sabb. prox. ante fest. B. Michaelis arch. an. dom.* 1484. At mense Nouembri iam in Austria Wratislauiensium priuilegia confirmauit, (f) *in Encesdorff, ciuitate nostra Austriae, an. dom.* 1484. *sept. kal. Dec.* Mathias, Clauftro-burgo potitus, opera

(a) Ibid. P. III. p. 264. (b) Hist. Cr. T. XVI. p. 524.—534. (c) Ap. Rayn. ad an. 1484. (d) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 130. (e) Ex MSS. Cornides. (f) Indid.

opera Hazii Corneoburgum obſidendum curauit, qui, repulſis auxiliis a Friderico ſubmiſſis, teſte Bonfinio, (a) *ſub moenibus, dum praelium ciet, glande percuſſus, interiit. — Rex fame vincendum eſſe cenſuit.* Dum Corneoburgenſes cum extrema fame colluctantur; Mathias, Budam reuerſus, ex Valachia triſtes nuncios accipit, Turcas, regionem illam ingreſſos, munita duo caſtra, *Cheliam* (Kiliam) *et Neſtoralbam*, obſidione premere. His non multo poſt expugnatis, Mathias, grauibus litteris ad Baiazetem datis, de violatis iniuriis queſtus eſt. (b) Negauit Baiazethes, inducias a ſe violatas eſſe, remiſſis induciarum tabulis, quibus nec Moldauia, nec Valachia comprehendebatur. Reuaius putat, (c) Petrum, Colocenſem archiepiſcopum, propter hunc errorem et negligentiam in carcerem coniectum; ſed enim Bonfinius veriſimilius ſcribit, (d) id factum eſſe propter linguae libertatem, qua *damnabat inſolentia palam tributa.* Caſtrorum, a Turcis interceptorum, iam menſe Nouembri meminit Innocentius VIII. Sixto IV. die 29. menſis Auguſti ſubrogatus, quum Mathiam ad bellum, in Turcas, leges induciarum transgreſſos, conuertendum, adhortatur, (e) *Romae*, 21. *Nouemb.* 1484. Praecipuum argumentum Innocentius petit ab *expugnationibus oppidorum quorumdam Valachiae ſuper Danubium;* horum igitur expugnationi male Bonfinius hibernum tempus tribuit; nec excurſiones Turcarum in Croatiam, quas potiore iure Baiazeti Mathias obieciſſet; ad hunc annum idem auctor bene figit. (f) *A. C.*

(a) Dec. IV. Libr. VI. p. 644. (b) Ep. Coru. P. IV. n. 3. p. 4. (c) Ap. Schwandt. T. II. p. 683. (d) Dec. IV. Libr. VI. p. 645. (e) Ap. Rayn. ad an. 1484. (f) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 559.—580.

A. C. 1485. *Math.* 28. *Ind.* 3. *P.* 3. *Æ.*

CCCXIV. Postquam Mathias fame Corneoburgum ad deditionem coegisset; eamdem necessitatem Viennensibus impositurus, opera Stephani de Zapolya pontes versus Morauiam occupauit; ipse 25. Ianuarii versus Claustroburgum castra locauit: exactis paschalibus feriis, Laurentium Ujlakium versus Hungariam castra figere iussit. Tribus igitur e castris obsessa Vienna, *nemo* ex vrbe *prodire audet*, inquit Bonfinius, (*a*) *quae* innumera multitudine completa, iam fame saeuissima laborare coeperat. Defectis plebeiae gulae alimentis, ad impura et interdicta descendere necessitas adegit. In macellis et popinis equi carius opinione veniere — (modius farinae 107. florenis vendebatur) — *Interea* rex nunc suburbia, nunc ab insula Danubii moenia tentare: quotidiana ciere praelia: quandoque circumire solus cum accenso moenia; et ciues nonnullos alloqui: mirati milites principis securi*tatem* (vulgo ciuitatem ipsam ingressus cum rota confracta dicitur) — *Viennenses* tandem, ab omni auxilio destituti, exsecrabilique fame adacti, kalendis Iunii Mathiae deditionem, haud sine perpetua caesaris ignominia, fecere. — Capta Vienna, C. Stephanus cum duabus legionibus — Neapolim, Viennensis sane pulchritudinis aemulatricem, obsidere iube*tur*. Turotzius, capta Vienna, hoc carmen editum esse refert: (*b*)

„Discite mortales, nimium non fidere muris:
„Moenia quid valeant; capta Vienna docet.“

Quarto

(*a*) Dec. IV. Libr. VI. p. 645. (*b*) Chron. P. IV. cap. 67.

Quarto post captam Viennam die Mathias, comitia, Vacii celebrata, decreuisse scripsit subsidium vnius floreni, *pro* prouisione opportuna, contra Turcos facienda; et item pro continuatione praesentis victoriae, quam DEVS contra Romanorum caesarem in expugnatione Viennae concesss*it*. — Dat. Viennae, sabbato prox. post fest. SS. corporis Christi, anno dom. 1485. Hinc apparet, Mathiae Baiazetem excusatione de castris duobus expugnatis non satisfecisse; quum reipsa transgressus fuerit hanc induciarum conditionem: „ Vt regnis, fidem nostram „ obseruantibus, nullibi noceatis: et signanter ex „ ista parte maris, exercituantium more, — nullus „ exire audeat." Contra hunc igitur tyrannum nouo subsidio Mathias opus habuit, quum ab ipsis Austriacis, in suam potestatem iam redactis, moderatissimum censum exegerit. (*a*)

CCCXV. Mathias, rebus Viennae compositis, vt Bonfinius refert, (*b*) *cum regina, sine qua nihil domi militiaeque moliebatur, sexto post mense Vienna recessit, Budamque pridie natalis dominici peruenit.* Abfuit igitur ex Hungaria maiore huius anni parte, nec ad palatinalia comitia descendisse videtur, in quibus palatini munus his legibus circumscriptum est: (*c*) „ *Art. I.* Palatinus in electio„ ne regis habet primum votum. *II.* Tutor vel „ curator heredis regni palatinus. *III.* Diaetas in„ dicere, rege non exsistente, potest. *IV.* Est „ capitaneus generalis. *V.* Discordias sopire et „ sedare habet. — *VI.* Differentiam inter re„ gem et regnicolas componere habet. *VII.* Audire

(*a*) Hist. Cr. T. XVI. p. 560.—590. (*b*) Dec. IV. Libr. VI. p. 648. (*c*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 233.

„ dire oratores, rege audire eos nequeunte. *VIII.* „ Querimonias ad aures regis deferre. *IX.* Iudi-„ cum regni maximus. *X.* Absente rege, est lo-„ cumtenens. *XI.* Palatinus iudex Cumanorum, „ et salarium eius. *XII.* Dalmatiae iudex." Secundum has leges, instructus amplissima potestate palatinus, electus est in illis comitiis Emericus de Zapolya, patruus Ioannis Zapolya, qui subinde Hungariae rex euasit. Post electionem Viennam ad regem profectus, litteras, quibus Zagrabienses ad annosam ratione decimarum litem componendam Budam, quo se concessurum ante *festum natalis Christi* promisit, euocauerat, dedit (*a*) *in festo B. Barbarae V. anno dom.* 1485. Vienna digressus, Kesmarkiensibus de motu Polonorum annunciato respondit, (*b*) *ex castro suo Papa*, 2. *die B. Luciae V.* (*c*)

A. C. 1486. *Math.* 29. *Ind.* 4. *P.* 26. *M.*

CCCXVI. Mathias, Hungariam, quorumdam sceleratorum hominum licentia nimium perturbatam, optatae tranquillitati redditurus, sollemnia comitia Budam indixit, legibusque salutaribus, quibus opportune grassantibus malis occurreretur, communi consilio perlatis, decretum VI. *Maius* dictum, condidit: quod quum vltra V. philyras excurrat; ex articulis 78. quibus constat, praecipua dumtaxat capita hic delibabimus. (*d*) Abrogatur art. I. *iudicium generale*; II. *proclamatae congregationes.* Agitur III. *de* 4. *octauis* celebrandis; IV. de *caussis* ibi

(*a*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 354. (*b*) Ap. Wagn. Scep. P. I. p. 69. (*c*) Hist. Cr. T. XVI. p. 602.—510. (*d*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 234.

ibi finiendis; V. de *concordia* aduersariorum; VI. de caussis *potentiarum*; VII. de *prorogationibus*; VIII. de *regiis hominibus*; IX. de *iudicibus nobilium*; X. de *fide dignitatibus capitulorum et conuentuum*; XI. de *abbatiis et praepofituris*; XII. de his per epifcopos *vifitandis*; XIII. de *euocationibus*; XIV. de *communis inquifitionis modo*; XV. de *capitali fententia*; XVI. de *repulfionis poena*; XVII. de trinis *proclamationibus*; XVIII. de *duello*; XIX. de iuribus *poffeffionariis*; XX. de *protonotariis*; XXI. de *exemtionibus*; XXII. de bonis *violenter* occupatis; XXIII. de *donationalibus* litteris; XXIV. de bonis *contra iura* impetratis; XXV. de bonis *pignoraticiis*; XXVIII. de praelatis *litigantibus*; XXIX. de *areftationibus*; XXX. de proficifcentibus *ad bellum*; XXXI. de *militibus*; XXXII. de *Venetis et Polonis*; XXXIII. de *officialibus* dominorum; XXXIV. de *fugitiuis*; XXXV. de *tributorum* locis; XXXVI. de rufticis *vxoratis*; XXXVII. de iure *patronatus*, XXXVIII. de *fure* capto; XXXIX. de *colonorum* abductione; XL. — XLV. de modo *decimarum*; XLVI. de bonis, *occupandis* a rege; XLVII. de regiis *infidelibus*; XLVIII. de *malefactoribus* capiendis; XLIX. de *mineris* auri; L. de comitatu *Zagoriae*; LI. de *homicidis* voluntariis; LII de *birfagiis*; LIII. de *appellationibus* ad curiam regiam; LIV. de *iudicibus et protonotariis* non laedendis; LV. de *capitali* fententia; LVI. de *patris et filii* poena; LVII. de iuribus ecclefiafticorum *poffeffionariis*; LVIII. de violatoribus *fedis iudiciariae*; LIX. de *conuentibus* minoribus; LX. de *comitibus et vicecomitibus*; LXI. de ecclefiarum *violatione*; LXII. de *exercituantium violentia*; LXIII. de *interfectorum* fepultura; LXIV. de *contributione*; LXV. de armis *in fedem comitatus* non inferendis; LXVI. nec *in*

taber-

tabernam; LXVII. de *exsequutionem* impedientibus; LXVIII. de *iudicibus* regni ordinariis; LXIX. de *procuratore*; LXX. de caussis *iam motis*; LXXI. de *priuilegiis* amissis; LXXII. de *secularium et ecclesiasticorum* iudicio; LXXIII. de iudicum ordinariorum *iuramento*; LXXIV. de litterarum *taxa*; LXXV. de pecuniis *depositis*; LXXVI. de *minoris cancellariae* regis taxa; LXXVII. de litteris *exsequutoriis*. LXXVIII. *Confirmatio praesentis decreti*, dati *Budae*, — *anno dom.* 1486. *in festo conuersionis B. Paulli apostoli.* Primus inter antistites subscriptus est Ladislaus Gereb, ep. Transsiluaniensis; non, quod Mathiae consobrinus; sed, quod apost. sedis legatus fuerit. At in alio, huius anni diplomate, quo priuilegia Priuidiensium confirmantur *III. kal. Apr.* primus occurrit Petrus, Coloc. archiepiscopus, licet carcere nondum liberatus; pro quo grauissimis litteris Innocentius Mathiam interpellauit, (*a*) *die* 3. *Martii*; nihil tamen impetrauit. Post Petrum legitur Gabriel, card. Agrien. cui, hoc anno mortuo, Mathias Vrbanum Dotzium, (*b*) *in vigilia festi BB. Simonis et Iudae ap.* huic in Iaurinensi cathedra Thomam Bakatsium suffecit. Hos aliosque praesules Bonfinius et Ranzanus summis laudibus ornant, ex quibus cuius tandem vertici princeps infula Strigoniensis a Mathia destinaretur, exspectatio magna fuit, postquam Ioannes Aragonius, ad conciliandam inter pontificem suumque patrem concordiam, anno superiore Romam profectus, illi renunciauit. Vicit omnium exspectationem Mathias, quum a Beatrice victus, eius ex Eleonora sorore nepotem, nondum decennem, Hippolytum, Strigoniensem archi-

episcopum

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1486. (*b*) Schmitth. Ep. Agr. T. II. p. 125.

episcopum denominauit. Nihil non egit pontifex, partim vt illum ab hoc consilio reuocaret, partim vt ob irritatum socerum conciliaret. (a)

CCCXVII. Mathiam nimis vxorium a plerisque reputatum fuisse, Bonfinius testatur. Vxoris certe gratia has cum pontifice dissensiones habuit; seu quum Hippolytum, quem alii quinquennem, septennem alii, Bonfinius nouennem, faciunt, metropolitam Strigoniensem renunciauit; seu quum iniquam eius patris Ferdinandi caussam propugnauit. Magnas etiam eiusdem vxoris suae gratia mutationes in moribus et inolitis iam consuetudinibus, eodem Bonfinio teste, fecit. (b) Ea tamen de caussa laudem non mediocrem Beatrix meretur, quod inter alia coniugi suo scientiarum amorem inspirauerit, quem ab auo potius Alphonso, quam a patre Ferdinando traxit, vt Galeotus scribit: (c) Magnifica certe bibliotheca, quam insanis sumtibus Mathias erexerat ac instruxerat, multos laudatores nacta fuit, ac inprimis NicolaumOlahum, qui florentem adhuc illam viderat. (d) In scribas et librarios, teste Heltaio, (e) 33. *aureorum florenorum millia quotannis insumsit*, e quibus quatuor Florentiae magnis impendiis aluit, vt Brassicanus asserit. (f) Quum igitur ad 50. millia voluminum bibliothecae Coruinianae numerus extenditur; hic non tam de typo vulgatis, qui pauci tunc erant, quam de manu scriptis accipiendus est. Nullus autem vberius Coruinianae bibliothecae laudes exsequutus est Naldo Naldio, cuius epistolam et IV. libros, versibus scriptos, Belius

(a) Hist. Cr. T. XVI. p. 611.—716. (b) Dec. IV. Libr. VII. p. 652. (c) Cap. XXV. p. 262. (d) Hung. Cap. V. p. 9. (e) p. 168. (f) Ap. Schier Bibl. Coru. p. 14.

Belius edidit. (*a*) Bonfinius vero hoc musarum palatium parce, regum. contra prolixe descripsit, (*b*) inserto hoc epigrammate, cuius auctor ipse fuit:

„ Atria cum statuis, ductis ex aere, foresque
„ Coruini referunt principis ingenium.
„ Mathiam, partos tot post ex hoste triumphos,
„ Virtus, aes, marmor, scripta, perire vetant."

Quum ex Beatrice nullam prolem sustulisset; omnem conatum ad Ioannem filium optimis disciplinis imbuendum et Hungarorum animos illi conciliandos impendit. (*c*) Dignam illi sponsam sociaturus, dum Ioannem, episcopum Varadiensem, in Galliam misisset; eidem inter cetera commisit, vt Blancham Mediolanensis ducis sororem, filio suo desponsaret. (*d*) Pomposam huius legationem Bonfinius suse describit, (*e*) et caussam foederis Gallici, quod per illum Mathias pepigit, praecipuam hanc insinuat, vt Maximilianus, Friderici filius, inde bello pressus, auxilium Austriacis, vt promiserat, ferre non posset. Vt porro Mathias certum sibi neruum pro bello hoc prosequendo compararet; despoto Rasciae certas ditiones 12. millibus aureorum pignori dedit, (*f*) *Budae, fer.* 2. *post dom.* Inuocauit, *an. dom.* 1486. Ad bellum subinde profectus, ad Lauam, egregie munitam, diutius adhaesit; ac Iglauiam inde cum Beatrice digressus, cum Wladislao, Bohemiae rege, ne Friderico suppetias ferret, foedus

(*a*) Not. Hung. T. III. p. 589. (*b*) Dec. IV. Libr. VII. p. 654. (*c*) Bonfin. ibid. p. 656. (*d*) Ap. Dumont. T. III. P. II. p. 175. (*e*) Dec. IV. Libr. VII. p. 659. (*f*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 185.

ctus instaurauit. Hunc congressum sub initium Sept. habitum fuisse, colligimus ex eius litteris, ad conuentum Albensium cruciferorum 6. *Sept.* inde datis. Gerebiis donationem fecit *in obsidione ciuitatis Laua, in festo B. Michaelis arch.* Sed postridie litteras pro decimis Zagrabiensibus iam dedit (*a*) *in ciuitate sua Lawa.* Hac dedita, pluribus castellis potitus, (*b*) Viennam 20. *Dec.* cum triumpho rediit. (*c*)

A. C. 1487. *Math.* 30. *Ind.* 5. *P.* 15. *A.*

CCCXVIII. Mathiae tot victoriarum felicem cursum Neapolis seu Neostadium adhuc morabatur, quod vltra spatium vnius anni Stephanus Zapolius obsidione fatigabat. Mathias igitur, *idibus Ianuariis*, vt Bonfinius perhibet, (*d*) ad vrgendam obsidionem eo profectus, — *nihil ex ingenio et arte remittere, vt validissimam vrbem, qua nihil vsquam gentium obfirmatius visum erat; vbi caesar non modo sibi sedem, sed sepulturam adsciuerat; praeter omnium opinionem expugnaret.* — *Iam ciues, desperatis auxiliis, de deditione, si licuisset, quandoque cogitassent; sed impositi praesidii metus prohibebat. Intellexit id Coruina clementia;* — *ad inediam ergo vrbem redigendam esse censuit. Potuisset quidem, si voluisset, vi eam capere, verum id sine magna caede ac vrbis exitio fieri non posse prospexit. Vt suis parceret, vrbemque a militari saeuitia liberaret;* — *obsidionem prorogauit.* — *Septem in castris*

(*a*) Ap. Kerchel. H. E. Z. p. 186. (*b*) Bonfin. Dec. IV. L. VII. p. 657. (*c*) Hist. Cr. T. XVI. p. 717.—774. (*d*) Dec. IV. Libr. VIII. p. 661.

ſtris menſes egit: temporariam ibi regiam — cum proximo ſacello conſtruxit. — „Idibus Auguſtis, ni „validiſſima mitterentur ab imperatore auxilia, „praefectus vrbem dedere" *pollicetur.* — *Quum accipiendae vrbis dies inſtaret; decedentibus Alemannis, ad praeſtitutum diem haec regi deditur.* Mathias tamen non ita ſemper affixus obſidioni fuit, vt Viennam inde non procurreret, vbi priuilegia monaſterii Clauſtro-Neoburgenſis *menſe Martio* confirmauit; (*a*) comitiaque *menſe Iunio* cum ſtatibus Auſtriae celebrauit; (*b*) quibus ſolitos cenſus multum relaxauit. Obſidione durante, legatum Baiazetes eo miſerat, cuius faſtum quomodo Mathias depreſſerit, Gregoriantzius ita memoriae prodidit. (*c*) *Praeſtituta oratori audientiae hora, progreſſus eſt vna cum illo ſub moenia obſeſſae vrbis, vbi acerrimum tunc inſultum ſub moenia fieri iuſſerat: vbi dum verſarentur inter tela miſſilia; — iuſſit exponi legationem: qua vtcumque expoſita, mox ad omnia reſpondit, dimiſitque oratorem. At ille omnis reſponſi, inter tela et arma dati, oblitus, diſcedere et redire ad ſuum principem non audens, orabat et obſecrabat, ſibi repeti reſponſum: quod nullo vnquam modo obtinere potuit.* Sub eadem obſidione Hippolytus Eſtenſis, archiepiſcopus Strigonienſis, ad Mathiam venit. Innocentius enim, ne Mathiam, cuius enſem nomenque tuendis contra Turcas Chriſtianis neceſſarium videbat, grauius irritaret, in petitionem illius conſenſit. Bonfinius quidem multus eſt in huius Hippolyti laudibus exaggerandis; (*d*) efficere tamen non poteſt, vt hoc Mathiae factum

(*a*) Ap. B. Pez. P. III. p. 425. (*b*) Ap. Linck. P. II. p. 281. (*c*) Ap. Bel. App. Dec. II. p. 114. (*d*) Dec. IV. Libr. VIII. p. 654.

ctum lectores approbent. Genus enim regium, aetate doctrinaque deficiente, gregem dominicum pascere non potest, quod antistitum munus est. (*a*)

CCCXIX. Illustre iam antea Mathiae Coruini nomen, expugnato Neostadio, maius ac illustrius euasit. Disciplinam militarem, qua tantas victorias Mathias adeptus est, operae pretium est e Bonfinio cognoscere. *Ante Neapolim*, inquit, (*b*) *in patentissimo campo legiones omnes explicuit: in aciem digessit: vbi, quaecumque apud veteres legeram de disciplina militari, mihi recognoscere licuit. — Inprimis, vbi inter turmas ille prodiit; silentium indictum non solum viris, sed etiam equis, religiose seruatum. Allata primi agminis in medium signa e manu sua praestantissimo veterano — commissa. Calcaribus ille carere, — ne in maximo conflictu, prae timore, concitato equo, fugeret, suaque fuga reliquorum animos consternaret. — Ita quisque ordinem seruauit, vt, si digito plus alio processisset; imperatoris, quam maxime circumspecti, saeuitiam reformidare cogeretur. — Tantum est vbique silentium, vt non modo, praeter imperatoriam, nulla humana vox, sed ne vllus quidem equorum hinnitus vsquam sit auditus. — Quodque agmen, vbi aliquanto praecesserat, dato signo, ante principis ora belli simulacrum agere, et nunc in cuneum, nunc in orbem, nunc in trigona tetragonaue, aut in forficem et serram, mutata acie, verti. — Nusquam gentium milites spectare licuit caloris et frigoris, item laboris et inediae tolerantiores, qui studiosius imperata faciant; lubentius, dato signo, pugnam ineant; si*

 morti

(*a*) Hist. Cr. T. XVI. p. 774.—794. (*b*) Dec. IV. Libr. VIII. p. 666.

morti promtius exponant; item qui militarem seditionem magis detestentur; in castris quietius honestiusque viuant; — colant auidius temperantiam et castitatem; et ab omni blasphemia, periurio illegitimaque Venere sint magis alieni. Maxima pars equitum — triennium quandoque assiduo militare coacta, numquam coniugii fidem violasse creditur. — Hieme iuxta atque aestate castra frequentantur; et quod meis hisce oculis saepe vidi, sub niuibus ac terra, ne obsidionem deserant institutam, toleranter hibernant; — neque de rigenti algore queruntur. Si quis hodiernam cum veteri hac Hungarorum disciplina militari contendere voluerit; an non illud Ciceronianum exclamare debebit: „O tempora! o mores!" Mathiae, huiusmodi militibus vso, nihil inuium inuictumque fuisse, mirum profecto non est. Hinc tantis ille laudibus non a Bonfinio, Ranzano, Turotzio tantum, sed ab exteris etiam, Cortesio, Galeoto, Philippo Bergomensi, cet. celebratus est. Vergente iam anno, 25. *mensis Nouembris*, tabulae contractus nuptialis inter eius filium Ioannem et Blancham Sfortiam confectae sunt, (*a*) in quibus Ioannes *annorum* 14. *et vltra* dicitur; natus igitur ante 1475. annum innuitur. (*b*)

A. C. 1488. *Math.* 31. *Ind.* 6. *P.* 6. *A.*

CCCXX. Sponsalibus tanta cum solemnitate factis, nihil superesse videbatur, quam vt matrimonium ipsum inter Ioannem et Blancham celebraretur. Bonfinius tamen narrat, (*c*) *Stephanum Crispum* ad Mediolanensem ducem a Mathia missum esse,

(*a*) Ap. Dumont. T. III. P. II. p. 174. (*b*) Hist. Cr. T. XVI. p. 797.—841. (*c*) Dec. IV. L. VIII. p. 670.

esse, *vt Coruini Blancaeque nuptias in proximum annum prorogaret, faustissimamque affinitatem confirmaret. — Id non ab re a rege postulatum. Nam, quum ex legibus affinitatis filium regem ante nuptias praestare aporteret; et Vngariae ipse coronam tuto resignare non posset, veritus Beatricis, acerrime aduersantis, et procerum seditionem; Boemiae regnum, in Lusatiam et Silesiam propagatum, gnato renunciare destinarat.* In tabulis pactorum dotalium comprehendebatur etiam *ducatus et vniuersum dominium illustr. D. ducis de Sagano in Slesia, in praefatum illustr. D. Ioannem ducem — iure etiam successionis peruenturum.* Nam Mathias ea conditione Ioanni, duci Saganensi, ducatum Glagouiensem contulit, vt ab eius obitu ducatus in Ioannem Coruinum deuolueretur. At ille ducatum in filias suas traducturus, eas Henrici, Munsterbergensis principis, filiis collocauit, ac in hos generos suos fidei sacramentum a subditis suis exegit. Iustam igitur caussam Mathias habuit bellum in Silesiam transferendi, pro quo certam pecuniae summam ciuitatibus regiis, Bartfensi 600. aureos, imperauit, (a) *Viennae, sabb. prox. ante festum B. M. V. an. dom.* 1488. Hoc illud bellum est, quod Bonfinius ita describit: (b) *In Silesia cum quodam duce bellum suscitauit, vt amplissimum gnato dominatum traderet. Neque Lusatiam intactam praetermisit. In vtraque prouincia nonnullos regulos ad vendendas vrbes impulit. — Quum igitur in Silesia bellum foret obortum; Trincham, Boemorum equitum praefectum, et Franciscum Aristum cum expeditissima equitatu in prouinciam misit. Vtrique, veluti a rege mandatum erat,* cuius-

(a) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 132. (b) Dec. IV. Libr. VIII. p. 668.

cuiusdam illius ducis munitissimam vrbem obsident, quem a fide regia defecisse dicebant. Ille ad Wladislai regis opem confugit, auxilium implorans. Ob veterem cum Mathia societatem, Ladislaus auxilium abnegat. Aliis deinde Bohemis in auxilium ducis Saganensis accurrentibus, ii quidem repulsi sunt, et ciuitas ad deditionem adacta; dissensiones tamen inter Mathiam et Wladislaum propter suspicionem auxiliorum, duci Saganensi missorum, exortae. (*a*)

CCCXXI. Etsi Bonfinius affirmet, (*b*) Mathiam *regem Viennae duobus annis post captam Neapolim et octo fere mensibus permansisse;* hoc tamen ita non est intelligendum, quasi numquam deinceps Hungariam reuisisset; sed, quod a capto Neostadio duobus annis et octo fere mensibus superstes, plerumque Viennam incoluerit. Nam et plura diplomata, post captum Neostadium ab illo Budae confecta, supersunt, et ipse Bonfinius paullo post ita loquitur: (*c*) *Ingruente vere, Budam rex anno secundo descendit, ab Vngaris diu crebris legationibus repetitus.* Aegre scilicet Hungari ferebant, regem suum, seu deliciis Viennensibus ita captum, seu rebus Austriacis ita distractum esse, vt extra Hungariam potissimum degeret. Nec est dubium, quin eadem occasione Visegradum, locum illum ad omnes delicias excultum, quem Castellanus episcopus *paradisum terrestrem* appellauit, itidem visitauerit. Olahus enim testatur, (*d*) *hoc in loco regem ipsum, verno aestiuoque sole, florentibus floribus, solitum apricari. — Turcarum,* subiicit, *quidam*

(*a*) Hist. Cr. T. XVI. p. 841.—852. (*b*) Dec. IV. Libr. VIII. p. 668. (*c*) Ibid. p. 669. (*d*) Ap. Bel. App. Dec. I. p. 11.

dam legatus, — circumspiciens tantam loci illius amoenitatem splendoremque, et aulicorum tam in inferiore, quam superiore, vbi rex erat, area infinitam multitudinem, serico, argento auroque contextis indumentis — ornatam, tanta subito admiratione stuporeque perculsus est, vt totius suae legationis obliuisceretur: et dum per gradus in conspectum regis ascendisset; propter eius aspectum, qui ob magnos oculos, cruore veluti perfusos, terrorem inspicientibus incutiebat, conceptus iam antea timor ita magis ac magis hominem occupauit, vt post diuturnum silentium nihil aliud proferre potuerit, quam: „caesar salutat! caesar salutat!“ *Quem quum rex interrogaret:* „an quid vltra vellet?“ *ille nihil respondit. — Post multum temporis reuocato significatum a rege:* „Vt domum rediret, nunciaretque domino suo, alium mitteret, qui legatione fungi sciret.“ An id hoc anno factum sit, incertum. Ceterum Bonfinius testatur, hoc *eodem quoque anno Turcorum legatos pro confirmandis saepius induciis in Pannoniam venisse;* plures igitur legationes missas innuit. *Aduentarunt quoque Polonorum oratores, vt Mathiae simultatem, cum Wladislao dudum initam, et suspicionem omnem, quacumque possent arte adimerent. — Vsualdus, Zagrab. episcopus, in Poloniam remissus, e sententia regis mandata peregit.* (*a*)

A. C. 1489. *Math.* 32. *Ind.* 7. *P.* 19. *A.*

CCCXXII. Ineunte hoc anno, Mathias cum podagra colluctabatur, et, vt Bonfinius scribit, (*b*)

 incre-

(*a*) Hist. Cr. T. XVI. p. 852.—872. (*b*) Dec. IV. Libr. VIII. p. 669.

increscente deinde morbo, eius vita vix in duos a medicis annos differri potuit. Hoc anno multi ex vniuerso orbe ad Mathiam oratores confluxere. Eousque nomen eiusdem excreuerat, vt vniuersus eum orbis veneraretur et timeret; et non solum Christiani principes, verum etiam profani, huc missis e remotissimis partibus oratoribus, instarent, et amicitiam anhelarent. Hic deinde legationes anni huius et superioris promiscue recenset. Licet autem Ferdinandus, Mathiae socer, iam anno superiore Petrum Ranzanum, episcopum Lucerinum, qui chronica quaedam, a Beatrice sibi porrecta, meliore stilo deduxerat, in Hungariam oratorem miserit, postquam tamen intellexit, inter Fridericum et Mathiam consilia pacis agitari, salutare hoc negotium efficacius promoturus, vt ibidem Bonfinius narrat, *Franciscum Montanum, ciuem Campanum, in Pannoniam extemplo transmisit. Succurrebat filiae sollicitudini, vt reginae Beatricis officium curaret, et de saluberrima pace ageret. Imperatoris autem oratores — vltro citroque missi, vt in conditiones pacis vtrique consentirent. — Contra rex ad caesarem et Maximilianum filium, qui Lincii moram traxerat, Ioannem, Varad. episcopum, oratorem misit, vt de pace tractaret. — Pax autem confici non poterat. Imperator* „omnia, sibi ademta, gratis reddi, „ immo rerum et personarum damna refici" *postulabat. Contra Mathias,* „ quum legitimum bellum „ gesserit; indemnem se praestari oportere *dicebat,* „ atque septies centena millia numum aureorum „ sibi pro diutissimi belli sumtu" *repetebat. Maximilianus paternam pertinaciam aegre ferre; neque tantam pro belli sumtibus pecuniarum summam a rege peti, aeque tolerare; inter extrema haec mediocritatem appetere. — Contra Mathias; artem arte eludendam*

eludendam esse, censuit: Maximilianum muneribus primum captare coepit: et in Lincio commoranti 400. vini cados totidemque boues et duodena nummum millia dono misit. — Eo obstinatiorem caesar se praestabat; quin et filium, iam ad Mathiae partes declinantem, suspectum habuit. — Ad Septembres, vt aiunt, idus diaeta indicitur, vbi caesaris ac regis concordia, praesenti vtroque principe, transigenda erat. Sed increbrescente Mathiae morbo, res in alterum mensem prorogata. Menstruatim deinde conuentus iste differebatur Rex iniquam valetudinem caussabatur. — Nouembris et Decembris iniquitatem sibi timendam coniectores et astrologi praedicabant; et ne temere quidem, quando his mensibus tertiana febri laborauit. Exactis igitur diui seruatoris nostri natalibus, et captato deteriore horoscopo, cui nimis erat obnoxius, — Viennam contendit. (a)

A. C. 1490. *Math.* 33. *Ind.* 8. *P.* 11. *A.*

CCCXXIII. In ascensu Buda Visegradum diuertit, vbi praefecto salium curam erigendi Claudiopoli monasterii pro patribus Seraphicis commisit, (b) *die dom. post octauas epiph. Christi, anno MCDXC.* Viennam inde profectus, donationem Friderici pro monasterio S. Paulli confirmauit, (c) *die lunae post dom.* Laetare, *anno dom.* 1490. *regni Hung.* 33. *Boh. vero* 22. Quid praeterea Viennae Mathias ante mortem, duabus post hebdomadibus consequutam, egerit, quaue ratione tandem e viuis excesserit; ex nullo melius, quam ex Bonfinio, qui vel morti praesens adfuit, vel a praesentibus omnia disceere

(a) Hist. Cr. T. XVI. p. 872.—888. (b) Ap. Fridu. Reg. Mar. p. 117. (c) Ap. B. Pez. P. III. p. 427.

discere potuit, cognoscere possumus. *Rex autem*, inquit ille, (a) *Viennae, quamuis, ingrauescente in dies aegritudine, sensim extenuaretur; numquam tamen a curandis rebus domi forisque cessare visus est. Ingruente mox Februario et deinde Martio, citatis per humana corpora iam primo tempore humoribus, eo magis labefactari coepit. — In celebratione palmarum — in theatrum temporarium — hexaphoro deuectus est. — Sex circiter horis ibi adfuit incredibili patientia. Peractis ex ordine sacris, — se, quum nihil hactenus ientasset, imminente languore, in penetralia recepit. Distulit per horas tres e stomachi debilitate prandium; nec non et reginam exspectauit, sacro die vrbana templa lustrantem. Dum eam praestolatur; ad languorem declinandum, — Piceenas ficus Petrum promtuarium exposcit. At ille cariosas adtulit et exsoletas: quas quum pergustasset; ita in primo morsu offensus est stolido illius ministerio, vt in iram excanduerit. Ad haec regina reuersa intercessit. Pro ingenii viribus commotum virum sedat placatque. Exorto de prandio sermone, et illa pro gustu ientacula varia subministrante, nihil accepit; caussatur vertiginem capitis et confusa lumina: in cubiculum se referri iubet. Ecce! apoplexia repente corripitur. Dux Coruinus, Petrus et Mathias Gerebi, eius consobrini, extemplo acciti, adfuere; item Vrbanus, pontifex Agrien. et Thomas* (Bakats) *secretarius; C. Stephanus* (de Zapolya) *praefectus vrbis; et Bathor vaiuoda ceterique proceres. Ad pontificum procerumque concursum omnes, qui aderant, animo consternati, sane defecerant. Regem enim omnes conspicabantur grauissimo corporis cruciatu torqueri; et prae vi morbi nihil loqui posse:* Jaj! Jaj!

(a) Dec. IV. Libr. VIII. p. 671.

Jaj! *tantum*, *et* IESV! *exclamare*: *nulla alia verba fingere posse. Ob ingentem igitur principis reuerentiam, nemo ipsum tangere — ausus est, Sola regina, nunc ore, vi adhibita, patefacto, vitae fomenta ingerere: nunc, vt resipisceret, aures, digitos crinesque distrahere: nunc brachia, manus et tibias obligare: — obclamitare ad aures, et inuersos oculos aperire: nullum studium et caritatis officium omittere: nunc medicos, morbi grauitate confusos, consulere et hortari. Contra ille — ingemiscere: rugire leonis more: et cum ipsa morte acerrime colluctari. Tacitus fletus, quicumque aderant, amicos incessit. Dolebant proceres legionumque praefecti, qui — regem e tot bellorum periculis asseruarant, nullam nunc opem contra fati imperium adferre posse. — Ingentes igitur tota nocte mugitus edidit. Ingruente demum aurora, dolor vesanus ille desedit. — Deinde, vesaniente iterum morbo, experrectus, totum illum diem mutus et resupinus insomnem egit. Obfirmato saepe obtutu, modo hunc, modo illum, nunc filium adstantem, nunc reginam intuetur, velut aliquid admoniturus dicturusue. Verba saepe effingere conatus, nunquam tamen proferre potuit. — Tertio vero die, qui a Marte nomen accepit, inter septimam et octauam horam ante meridiem, quum raucos semper gemitus emisisset; variaque ingenitae poenitentiae indicia, veluti diuinam veniam imploraret, edidisset; e profluuio demum capitis, animam efflauit.* (a)

CCCXXIV. *Mathias igitur, princeps inuictissimus, anno salutis nonagesimo supra* 1400. *nonis Aprilis et die Martis, aetatis autem anno* 47. *cum perpetuo sui desiderio diem obiit: et quemadmodum mense*

(a) Hist. Cr. T. XVI. p. 888.—894.

mense Martio natus erat; ita die et hora Martis vita decessit.— Leones quoque, qui Budae detinebantur, omnes eodem, quo rex, die interiere. Dies Martis hoc anno, quo littera dominicalis erat C. non in *nonas*, sed in *VIII. id. April.* incidit. Si Mathias, vt Bonfinius innuit, *mense Martio* lucem primam adspexit, et quidem, vt plerique censent, *anno* 1443. annum aetatis 47. compleuit; regni vero 33. duobus mensibus superauit. Defuncti regis exsequias sincerasque subditorum lacrimas minutim et facunde postea Bonfinius describit: (a) quomodo scilicet Ioannes Coruinus, ad reginae pedes prostratus, eam obsecrauerit, *ne se pupillum desereret;* quomodo *regalia sigilla in medio senatu, praesidente regina Coruinoque diffracta sint;* quomodo tertia die, *succollantibus centurionibus, ad D. Stephani basilicam funus elatum sit;— vbi nemo fuerit, qui pias regis exsequias non veris lacrimis honestarit;* quomodo Budam *vniuersa multitudo cum pullis* 50. *nauibus et lugubri veste Beatricem sequuta fuerit;* quomodo, hac Budae relicta, ceteris Albamregalem profectis, *diui Marci feriarum die*, corpus regium terrae mandatum fuerit, oblatis a Coruino 750. millibus aureorum; optimatibus autem arae 700. aureos imponentibus. Post haec Mathiae corporis animique dotes ita pingit: *Mathiae statura corporis fuit aliquanto maiuscula, quam mediocris, forma eximia, generosus adspectus,— rubens facies et flaua coma,— subnigricantes oculi et sine mendis visus.— Fauorem semper obstinato indicauit obtutu; quem vero limis respexit oculis, infensum sibi esse portendit.— Formosum erat corpus, cui color albus cum rubore fuerat admixtus; ex qua quidem mixtura*

(a) Dec. IV. Libr. VIII. p. 673.

tura mirum quandoque — fragrauit odorem. — Laboriosum huius corpus erat, et frigoris, sudoris et inediae tolerantissimum. — Nec humanis quidem passus est sibi facile interdici voluptatibus (quamdiu nempe iunior et viduus erat). — *Quod amicos inconstanter amarit, et plerosque depresserit; crimine non caruit. — Ex humili genere multos extulit, in quibus se fortunatiorem inuenit. — In bello Boemico sibi defuere pecuniae; verbis ergo et pollicitationibus crastinis alebat exercitum. Quum dies distribuendi stipendium praestitutus instaret; — a praefectis equitum et legatis legionum ad alearum ludum inuitatus, — tam aequas tesseras sortitus est, vt — dena millia aureorum ea nocte ex ludo sibi compararit; quae — militibus dedit, et ex aleae lucro stipendium exsoluit. — Consilium huic ad maxima quaeque facinora promtissimum; neque consilio audacia et industria defuit: quod et fortuna aequissimo comitatu fouit. Quum prope Turcos castra metatus esset; — pagano subornatus amictu, — se cum iumento inter eos, qui commeatus in hostilia castra conferrent, insinuauit. Quum eo peruenisset; toto die pro tabernaculo Turci hordeum vendidit. Ingruente nocte, se incolumem in castra recepit. Scripsit ad hostem:* „Se pridie eius castra „penitus explorasse; vendidisse rustici sub persona „hordeum ad tabernaculum eius. — “ *Quae quum hostis accepisset; timore perculsus, postero die castra soluit.* — Plures id genus vestium mutationes et personae regiae dissimulationes passim narrantur: quae quia fide digno testimonio destituuntur, silentio praetereundae videntur. — *Domestico et mediocri delectatus habitu; nisi quum res postulabat. — Multarum sibi cognitio linguarum; praeter Turcicum et Graecum, omnia Europaea glossemata calluit. — Rei autem bellicae*

(a) Hist. Cr. T. XVI. 894.—924.

bellicae peritiſſimus fuit. — *Itinera incredibili celeritate confecit.* — (*a*)

CCCXXV. Talis tantusque rex, qui Hungariam litteratis impleuit, ſtudiis excoluit, praeſidiis inſtruxit, aedificiis ornauit, praecipuos in ſacra profanaque rep. curarum ſocios et adiutores habuit archiepiſcopos *Strigonienſes.* Dionyſium Szétſium card. mortuum an. 1465. Ioannem Vitezium de Zredna, ab anno 1465. Ioannem Alemannum 1473. Poſt huius fugam an. 1476. Ioannem Aragonium card. Hoc Romam reuerſo 1485. Hippolytum Eſtenſem, deinde cardinalem, 1487. *Colocenſes*: Stephanum de Varda 1457. cardinalibus adſcriptum 1468. Gabrielem 1471. Ludouicum 1475. Georgium 1479. Petrum de Varda 1481. carceri mancipatum 1486. Epiſcopos *Agrienſes*. Ladislaum de Hederuára, mortuum an. 1467. Ioannem Alemannum 1468. Fr. Gabrielem Rangonium 1474. card. creatum 1477. Vrbanum Dotzium 1486. *Bosnenſes*: Fr. Gregorium 1458. Benedictum 1466. Mathiam 1486. Stephanum Criſpum, ſeu Fodor, 1489. *Iaurinenſes:* Auguſtinum ab an. 1455. Demetrium Chupor 1467. Vrbanum Dotzium 1483. Thomam Bakáts 1489. *Nitrienſes*: Albertum de Hangáts 1458. Eliam 1460. Thomam 1464. Fr. Gregorium 1486. *Quinqueeccleſienſes*: Poſt Nicolaum Barri de Barris, Ioannem Geſinge, vulgo Ianum Pannonium 1459. Sigismundum ab Ernuſt 1473. *Sirmienſes*: Vrbanum 1464. Nicolaum de Báthor 1469. Sigismundum 1474. Ioannem Vitezium 1481. *Tranſſiluanienſes:* Matthaeum 1459. Nicolaum de Kapla 1462. Gabrielem Rangonium 1472. Ladislaum Gereb 1476. *Tsanadienſes:*

(*a*) Hiſt. Cr. T. XVI. p. 894.—924.

dienses: Albertum 1458. Ioannem de Zokol 1468. Georgium 1490. *Vacienses*: Vincentium ab anno 1455. Nicolaum de Bathor 1474. *Varadienses*: Ioannem Vitezium ab anno 1445. Ioannem Alemannum 1465. Nicolaum 1470. Ioannem de Pruis 1477. *Vesprimiensem*: Albertum de Vethes 1459.—1489. *Zagrabiensem*, post multas turbas, Osualdum Thuz 1466. Mathias, in his nominandis iure patronatus vsus, quum illud turbari coepisset, collegio cardinalium ita scripsit: (*a*) „Fuit et hoc nobis graue, „quod sua sanctitas ius nobis nostrum, quod in „lectionibus praelatorum regni nostri a praedecessoribus nostris regibus deuolutum est ad nos, „turbare voluit. — Credimus, talia sanctitas sua „non faceret; si sciret, quanti momenti ea res „apud nos Hungaros reputetur. — Quae vt sanctitas sua aperte cognoscat; certa esse debet, duplicatam illam crucem, quae regni nostri insigne „est, gentem Hungaricam libentius triplicare velle, quam in id consentire, vt beneficia et praelaturae, ad ius coronae spectantes, per sedem „apost. conferantur. — Nos quidem sanctae sedi „apost. semper obedientes sumus, et a teneris annis vsque ad hoc tempus semper obsequuti fuimus omni studio; verum exspectaremus, vt nostra iura — non turbarentur apud apost. sedem." Ita fortiter ille, reuerenter tamen, sua iura tuebatur. (*b*)

CCCXXVI. Mathia regnante, palatini munia nouis legibus definita sunt: quod priusquam fieret; *palatinos* ille habuit, post Ladislaum de Gara, Michaelem

(*a*) Ep. Corn. P. IV. p. 54. (*b*) Hist. Cr. T. XVI. p. 926.—927.

chaelem Ország de Guth 1459.—1481. Emericum de Zapolya 1485.—1487. *Iudices curiae:* Ladislaum de Palotz 1458. Stephanum de Báthor 1472. *Vaiuodas Transsilu:* Nicolaum Ujlakium et Stephanum Rozgonium 1458. Sebastianum Rozgonium et Stephanum de Kanisa 1459. Nicolaum de Vizakna, Stephanum Erdelyium 1460. Nicolaum Bodo, Ioannem Pongrátz 1462. Ioannem et Sigismundum de Bozin 1466. Ioannem Pongrátz, Nicolaum Chupor 1468. Stephanum de Bathor 1476. *Banos Dalm. Croat. Sclau.* Emericum de Zapolya 1464. Petrum de Zob et Ladislaum de Disznos 1466. Ioannem de Thuz 1470. Andream Bánfi 1476. Mathiam Gereb 1486. Seorsim *Sclauoniae*, Nicolaum Ujlakium 1460. Ioannem de Thuz 1468. Petrum Botskai 1476. *Machouienses:* Nicolaum Ujlakium 1460. Petrum de Zokol 1466. Mathiam de Maroth 1470. *Seuerinenses:* Ioannem Pongratz 1466. Andream de Zokol et Franciscum de Haraszt 1486. Non comparet inter hos, nec vsquam in historia patriae, Nicolaus Toldius, cuius armorum reliquiae dicuntur, quas e portae Budensis, qua Viennam itur, abside suspensas non semel vidimus. Portentosum hunc pugilem prouinciae Neogradiensi, quae mihi locum natalem praebuit, cum vulgo libenter assererem; siquid vmquam apud scriptores veteres de heroe tanto memoriae proditum fuisset. Petrus Illosuaius acta Toldii prorsus insulsa poesi complexus est anno 1574. Rhythmos eius Hungaricos, Posonii 1746. vulgatos, cum taedio percurri, quibus ille Toldium non ad Mathiae, sed Ludouici tempora refert. Ita fit, vt Toldii nec aetas, nec facinorum probabilitas certo testimonio nitatur. Verisimilius esse videtur, quod Heltaius a Stephano Broderichio, Mathiae postremis annis synchrono,

se

se habere narrat, celeberrimum hunc Hungariae regem augustissimum musis palatium, 40. millibus discentium inseruiturum, infra Budam excitaturum fuisse; nisi praematura mors regias destinationes intercepisset. Amplissimae huius vrbis potius, quam academiae simulacrum idiomate Hungarico Heltaius, Latino Wallaszkius vulgauit. (*a*) Quae quidem stupenda molitio, nisi Mathia Coruino narraretur, incredibilis videri posset. (*b*)

§. XIII.

WLADISLAVS II. REX XXXV.

Coepit A. C. 1490. *desiit A. C.* 1516.

A. C. 1490. *Wlad.* 1. *Ind.* 8. *P.* 11. *A.*

CCCXXVII.

Wladislaus, origine Lithuanus, gente Polonus, regia dignitate Bohemus, auum Wladislaum Iagellonem, Heduigis Hungarae coniugem, patruum Wladislaum I. Hungariae, patrem Casimirum, Poloniae regem, matrem Elisabetham, Alberti, Rom. imperatoris ac Hung. Bohemiaeque regis, filiam, habuit. Tam illustri sanguine natus kal. Mart. 1456 quartum ac tricesimum aetatis annum, quum Mathias obiuisset, iam expleuerat; nondum tamen connubio iunctus erat. Beatrix igitur regina, Mathiae vidua, quum eius coniugium ambiuisset, suis artibus effecit,

---

(*a*) Tentam. Hist. Litt. p. 57. (*b*) Hist. Cr. T. XVI. p. 928. —930.

effecit, vt, reiectis tribus aemulis, ipse potissimum rex ab Hungaris optaretur. Quantae difficultates, vt id perficeretur, feruentibus partium studiis, exsorbendae fuerint, Bonfinius fuse narrat. Ait quidem ille, (a) *ne quid resp. detrimenti pateretur*, Vrbanum Dotzium, Agriensem episcopum, ad campum Pestanum comitia statibus indixisse; litterae tamen, reginae nomine vulgatae, sunt in haec verba: (b) „ Beatrix, D. gr. regina Hung. — Tametsi obi„tum ser. ac gloriosissimi D. N. regis, fel. mem. „vos iam audiuisse non dubitamus; tamen visum „nobis exstitit, vt nos quoque de hoc vos cer„tiores faciamus. Sciatis itaque, quod sua M. „feria 3. prox. post dom. palmarum debitum car„nis, quod dolenter et cum lacrimis referimus, „Viennae persoluit. Ne igitur regnum hoc, prin„cipe sic orbatum, aliquod incommodum aut de„trimentum patiatur; nihil salubrius, nihil etiam „magis necessarium esse hoc tempore existimaui„mus, quam de nouo rege et principe quampri„mum prouidere. Pro cuius electione diaetam „quamdam generalem, a dato praesentium com„putando, ad vnum integrum mensem, in campo, „vulgariter Rakws vocato, — de vetusto regni „more celebrandam instituimus. — Datum in Ko„marom, sabbato prox. ante dom. *Quasi modo*, „anno dom. etc. LXXXXI." Litterae hae nouem sigillis, ipsius nempe Beatricis, episcoporum 5. trium optimatum, erant communitae. Palatini quidem fuisset indicere comitia; sed ea dignitas ab anno 1487. vacabat. Quum autem archiepiscopus Strigoniensis puer, Colocensis nondum liber fuerit; inter

(a) Dec. IV, Libr. IX. p. 677. (b) Ap. Kapr. H. D. P. I. p. 11.

inter praelatos Vrbanus Agrienfis eminebat. Bene vero Bonfinius ait, comitiis idus Maias esse praestitutas; a litteris enim illis, in descensu Comaromii die 17. mensis Aprilis datis, ad idus vsque Maias integer mensis intercedit. *Res*, inquit, *maturanda videbatur, ne maior partium in dies foret accessio.* (*a*)

CCCXXVIII. Quum rebus his Bonfinius interfuerit; nihil consultius agi posse videtur, quam vt ex eo narrationem, resectis quibusdam minus necessariis, petamus. *Vrbanus*, inquit ille, *ad comitia primus stato die cum validissimo cataphractorum et velitum equitatu conuenit.* Aliis item 2500. adducentibus, *e Transsiluania praefectus prouinciae, Stephanus Bathor, — octauo post die, cum ornatissimis procerum nobiliumque* (3500.) *copiis aduenit. — Quum sat frequens iam videretur esse conuentus; — sub amplissima scena de eligendo rege agi coeptum est. — Nondum patrum sententiam quisque dicere rogabatur; quum ex composito quidam — Albertum, Casimiri, Poloniae regis, filium, in concione regem temere proclamarunt. At proclamatio, refragantibus continuo patribus, repressa* quidem; ille tamen, *proclamationis huiusce iure se declaratum regem esse dicebat:* et iam prius, audita Mathiae morte, cum copiis *Vngariae finibus imminebat. — Maximilianus, — in regni spem et amissae Austriae recuperationem adductus, compositis in Gallia rebus, in Noricos continuo rediit. — Ita enim ea tempestate Vngarorum fata tulerunt, vt 5. legationes regalia comitia sollicitarent:* „ inprimis *caesarea*, quae quanto plus au„ ctoritatis et dignitatis habet; tanto maius in re„ gno ius sibi vindicare videbatur, quod in red-

 „ dendo

(*a*) Hist. Cr. T. XVII. p. 1—3.

„ dendo ſacro diademate Mathiae regi ex compa-
„ cto caeſar ſibi comparat: deinde *Bohemica*, cui
„ ſi electionis fortuna faueret; — multo melius,
„ quam ceteris, ſperare licebat: item *Polonica*,
„ quae pro Alberto regnum expoſcebat: et *Arago-*
„ *nia*, quae pro ſeruanda reginae Beatricis digni-
„ tate, vt in regno, ſucceſſori coniugata, ſuccede-
„ ret, tunc agebat: accedebat et *Coruina*, quae
„ pro Ioanne duce, Mathiae regis filio, vti patri
„ ſuccederet, multa moliebatur:“ *cui niſi illegiti-
ma genitura obſtitiſſet; certo ſine controuerſia pa-
tri ſucceſſiſſet. Fauebant cuncti proceres,— quos
omnes Coruina quondam beneficentia promouerat.—
Recentia quoque merita iſtorum ſtudia in Coruinum
intenderant.— Augebat tot fauores et adoleſcentis
ipſa potentia; quippe cui pater— coronam, ſpes,
theſaurum, arces omnes ante legarat. Quin et prae-
fectos omnes et magna ex parte principes in filii iu-
rare manus adegerat. Cui quidem, ni coniuratorum
fides— defuiſſet; parum abſuiſſet, quin hodie regno
potiretur.* (*a*)

CCCXXIX. Datus is honos eſt Mathiae defun-
cti meritis, vt *Coruini oratores, quorum alter Ioan-
nes, Varadienſis; Thomas, Iaurienſis epiſcopus, al-
ter erat, primum admiſſi* fuerint. *Ioannes imprimis*
— „ non ſine lacrimis diui Mathiae geſta comme-
„ morat.“ — *Inſequenti die Alemannorum legatis
facta dicendi poteſtate*, „ ex his vnus— imperioſius
„ Vngariae regnum pro Friderico imp. Maximilia-
„ noue filio— expoſcere viſus eſt, initi quondam
„ foederis conditiones cum Mathia rege — men-
„ tionem offerens. — “ *Secundum Alemannos le-
gati*

(*a*) Hiſt. Cr. T. XVII. p. 3.—6.

gati Polonorum auditi, „ qui multo modestius rem „ agere visi, — vetustissimam suorum cum Vngariae regibus necessitudinem — enarrant. — " *Aragonii postero die introducti*, „ perlectis Ferdinandi regis litteris, Beatricem eius nomine pluribus senatui verbis commendarunt. " *Postremo duo Boemorum oratores exauditi sunt*, *quorum alter — ita disseruit.* „ — A ser. Wladislao missi huc venimus, regemque offerimus non imperiosum, non „ trucem, non adolescentem; sed humanum, clementem, paci belloque maturum. " — *Habita Boemorum oratione*, — *qui de rep. bene sentiebant*, — *tacita Wladislao suffragia reddere cogebantur.* — *Bona deinde — cunctis oratoribus verba data*, *vt imminentia vtrimque bella declinarent. Addebant etiam:* comitia nondum esse frequentissima; nec „ Sigismundum, Quinqueecclesien. episcopum, — „ cum Laurentio duce ceterisque Pannoniae inferioris et Croatiae regulis aduenisse. " *Coruino aperte responsum:* „ regem numquam futurum. " — *Pacta cum eo inita*: „ vti, si regium diadema regiasque arces sponte reddiderit; — Bossenae, Croatiae et Sclauoniae regnum ineat. " — *His tandem conditionibus acquiescere visus est; sed sollicitatus a suis, sibi ipse constare non potuit.* Responsum, Alemannis redditum, non plenum Bonfinius refert. Plenius illud est, quod Carolus Belius recitat, vbi haec inter cetera leguntur: (*a*) „ A pactis, viuente adhuc Mathia rege, Fridericum „ imperatorem discessisse. " — Hinc neque Maximilianus stricto iure regnum ab Hungaris postulabat; dum ad comitia Hungariae litteras Oeniponto

(*a*) Ap. Schwandt. T. II. p. 453.

dedit 19. *Apr. anno* 1490. Qui nisi iuribus suis, iam prius infirmatis, diffidisset, pactis fretus, ad tantas preces et pollicitationes numquam se demisisset. (*a*)

CCCXXX. Bohemis clam optime sperare iussis, Coruinus, occupata regia, Petrum, Colocensem archiepiscopum, litteris ab eodem *ex arce sublimi*, seu Visegrado datis, sub exitum Aprilis interpellatus, (*b*) liberum dimisit, et nouas vires accepit, quum Sigismundus, Quinqueecclesien. episcopus, et Laurentius Ujlakius ad comitia cum 7000. armatorum aduenere. *Primus omnium*, inquit Bonfinius, (*c*) *dux Coruinus, cum metropolita Colociensi, intempesta nocte, profectus ex arce, ad hos venit: et Sigismundum Laurentiumque primus adoritur, quos patri quondam fidissimos esse nouerat.— Sigismundus et Laurentius, cum priore Auranae ceterisque sociis, facta secessione, languentes Coruini partes instaurarunt: cum Colociensi metropolita Budensem arcem clam subiuere: — quin etiam vrbem Budam occupare curabant, quam regni proceres tuebantur.* Quum ciuile bellum tantisper interceptum fuisset; *in D. Sigismundi aedem, quae pro arce est, primates utrimque conuenere.— Colloquium ibidem ter quaterue habitum; nihil tamen de solida pace decerni potuit. In hoc tandem — conuentum est inter eos:* „ vti ad Stephanum, C. Scepusiensem, cui „ Austriae praefectura — commissa fuerat, — ora„ tores mitterentur; eiusque voluntatem et consi„ lium explorarent; vt, quemcumque regem opta„ ret, is ab omnibus aliis approbaretur." — *Dum Buda*

(*a*) Hist. Cr. T. XVII. p. 6.—15. (*b*) Ap. Wagner Ep. Vard. p. 49. (*c*) Dec. IV. Libr. IX. p. 683.

Buda profecti, mandata curant; Stephanum inueniunt potius Boemiae regi, quam cuiuis alii studentem. „ — Nam siquis ex tribus externis rex eligatur; „ tertia ex parte inimicorum numerum nunciabat „ esse futurum: sin vero Coruinus; — ex omni „ parte finitima futura bella." — *Intellecta Stephani mente, Varadiensis mox, veteranorum exercitum, in Morauia aestiuantem, — datis* 100. *millibus aureorum numum, regni nomine inauctorauit. — Nunciata Stephani mente, integerrimi viri sententia a cunctis patribus admodum approbata: — contra Coruini amici consternati: quippe qui, si nigrorum hunc exercitum inauctorare potuissent; satis exploratum habebant:* „ se, inuitis etiam patribus, regnum oc„ cupaturos." — *Euocantur ex arce iterum proceres; — numquam tamen Sigismundus et Laurentius adduci potuere, vt ab adolescentis commiseratione et a graui viri officio deficerent. — Quum nihil de communi concordia decerni posset; Coruinus — in sua et amicorum oppida se cum impedimentis et exercitu recipere statuit.* Coniunctis cum Sigismundo Laurentioque copiis, *carris et nauibus oneratis, aqua terraque Quinqueecclesias versus — circiter kal. Iulias iter facere coepit. — Datur Stephano Bathori et Kinisi Paullo negocium,* vt fugientes insequerentur, quos ad Sarviz inuaserunt. Coruiniani *vix* 40. *militibus desideratis et* 70. *captis, terga dedere. — Victores — in carros et impedimenta, relicto hoste, se converterant. — Diripiuntur per tot annos congesti magna ex parte thesauri, et pro velitum libidine diuiduntur. — Proinde maxima Coruino iactura eo die illata; quin plusquam centies mille numum aureum amisit. — Sigismundus in sua omnes ciuitate fugientes excepit. — Laurentius in patrium inferioris Pannoniae dominatum se recepit: ceteri in*

sua quisque oppida rediere: dux, traiecto Drauo, in Sclauoniae prouinciam, ditioni suae praedestinatam, concessit. — Quinto idus Iulias Stephanus Bathor et Paullus Kinisius — Budam rediere. Captiui circiter 70. ducti, quorum prior Auranae et Georgius Kanisai principes erant. (a)

CCCXXXI. Factiosos, qui Wladislai regis electionem morabantur, hac ratione dispersos, Vrbanus Dotzius ad concordiam reuocare clamdestinis quotidie nunciis conabatur, vt Bonfinius refert. *Nec spe sua frustratus est. — Itaque rem haud vltra differendam esse ratus, ne procerum et populorum studia magis magisque mutarent; quarto die post ducum reditum* (15. Iulii) *pro D. Georgii templo, habita frequentissima concione* „Wladislaum, Bohemiae regem inclitum, Vngariae principem, ex omnium patrum procerumque consulto" *declarauit; declaratumque omnes — cum ingenti plausu approbarunt. — Tanta mox populi acclamatio cum ingenti plausu oborta est, vt eo die tota Buda nil aliud, quam faustissimum Wladislai nomen resonaret. —* (b) *Post haec patrum et optimatum omnes ingenii nerui, quum regni salus et imminentia vndique pericula exposcebant, adiuuante summo studio regina, vt paribus declarato regi auspiciis coniugaretur; ad reconciliationem Coruinianarum partium et publicam concordiam intenduntur.* Rebus huc adductis, *haud difficulter Mathiae filius ad concordiam reuocatus est; quandoquidem facile intelligebat adolescens, se,* iam a plerisque *destitutum, omnem operam elusurum. — Legati, — senatus consulto decreti, —*

(a) Hist. Cr. T. XVII. p. 15.—37. (b) Bonfin. Dec. IV. Libr. IX. p. 687.

ti, — — *quibus adducendi honorificentissime regis data prouincia*. — *Wladislaus*, *prius litteris optimatum admonitus*: „ Vngariae se regem omnino futurum, " *cum delecto Boemorum* (15. millium) *exercitu finibus appropinquarat*. — *Antistites et optimates Vngariae confestim occurrere*. Hic omnium nomine Ioannes, Varadinensis episcopus, conditiones, quibus rex Hungariae declaratus est, proposuit. Agunt illae de veteribus Hungarorum libertatibus conseruandis; de magistratibus exterorum nulli conferendis; de prouinciis Austria, Morauia, Silesia, Lusatia, non alienandis; de sede regia constanter in regno Hungariae figenda. Has conditiones Wladislaus, descriptas etiam in codice iuris patrii, (*a*) ratas habuit *in castris exercitus sui*, *prope villam Farkashida*, *sabbato ante festum ad vincula S. Petri ap. anno dom.* 1490. Reliquum iter Bonfinius ita describit: *Edito ibi plausu ac ingenti acclamatione*, *rex cum oratoribus et Boemiae Pannoniaeque proceribus in Schempte oppidum venit*, *a Ladislao Rosgonio*, *loci domino*, *ad coenam inuitatus*. — *Duo millia peditum extemplo praemittit*, *qui* Visegradum *obsideant*, *vti coronam habeant*, *antequam Budam ipse perueniat*. — *Blasius*, *qui arcem cum praesidio tenebat*, — *non inconsulto inuitoque Coruino*, *coronam arcemque reddidit*. — *Rex interea* — *Budae tandem vrbi appropinquat*: — *tota ciuitas* — *in occursum effunditur*: *in arcem demum regiamque ducitur*, *a Blasio procuratore redditam*. (*b*)

CCCXXXII. Wladislaus, 9. mensis Augusti Budam ingressus, tertio post die coronationi suae diem 14. Septembris praestituit, ac ad eam Cassouienses alios-

(*a*) Tom. I. p. 255. (*b*) Hist. Cr. T. XVII. p. 37—62.

aliosque, datis litteris (*a*) *in castro Budensi, fer. 5. prox. ante festum assumtionis B. M. V.* inuitauit. Eo magis inauguratio fuit acceleranda, quo plus eam hinc Albertus, inde Maximilianus impedire conabantur. Wladislaus igitur, ad sollemnia coronationis Albam regiam concessurus, Bartfenses ad constantiam adhortatus, promisit illis post inaugurationem auxilia contra fratrem se laturum, (*b*) *Budae, fer. 2. prox. ante fest. exaltationis S. Crucis.* Albam eadem die profectus, frustra per legatos tentata cum Maximiliano pace, (*c*) *tale spectaculum exhibuit, quod vbique gentium dignissimum foret habitum. — XI. kal. Octobris — rite coronatur. — Ioannes Coruinus, elatis manibus, sacrum diadema praetulit. — Osualdo Zagrabiensi, veluti metropolitano, sacrorum operatio commendata; quum Hippolytus, Strigon. metropolita, cuius hoc sacrum munus erat, ob immaturam adhuc aetatem non adesset. — Dum sacris insignibus initiabatur; numquam se lacrimis abstinere potuit. — Relatus in aulam, cum eodem habitu in medio suorum principum coronatus accubuit. — — —* (*d*) *Vixdum Wladislaus rex, Albae coronatus, Budam se cum vniuerso pontificum procerumque comitatu receperat; quum varii ex omni regni parte tumultus et graues bellorum metus emergunt.* Vt tot vndique hostibus occurrere facilius posset; Ioanne Coruino per Sigismundum Quinqueecclesiensem in fide confirmato, Beatrici, *nuptias in dies acrius flagitanti, easque, nisi assequatur, exitium prope regno Hung. minitanti*, respondit: „ spondere se, reginam ex antistitum procerumque „ volun-

(*a*) Ap. Kaprin. P. I. p. 292. (*b*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 337. (*c*) Bonfin. Dec. IV. Libr. X. p. 695. (*d*) Id. Dec. V. Libr. I. p. 702.

„ voluntate ducturum." Illa sibi hoc promisso „ conciliata, minus felix in Alberto fratre con„ ciliando fuit. Id primum per oratores tentauit, qui Szechenium ad eius castra *VI. id. Aug. peruenere.* (*a*) Ille, his nihil proficientibus, suos itidem oratores ad Wladislaum destinauit, *qui aperte regi significarunt*: „ eum, Vngariae regem primo vo„ catum, numquam temere vocationem istam de„ serturum." Wladislao Budam ingresso, quum ille cum 8000. Polonorum in Pestano campo pridie consedisset, mittitur ad illum primo Ioannes, Varad. antistes; tum Wladislaus ipse transit: *fratris pertinaciam et impietatem — incusat*: „ eum neque „ legitime declaratum, neque ab optimatibus ad„ missum." — *Re tandem infecta, colloquium diremit.* Postridie Varadinensis et Stephanus Bathorius, ad eum missi, pacem aliquam cum eo fecerunt; sed hanc ille non multo post abrupit, agrumque Varadiensem et Agriensem depopulatus, Cassouiam obsidione cinxit, aduentu fratris anno sequente soluenda. (*b*)

CCCXXXIII. Quominus Wladislaus hoc anno Cassouiensibus obsessis ac superiori Hungariae succurrere potuerit; Maximilianus, alter aemulus, qui non Austriam dumtaxat, sed ipsam quoque Hungariam sibi vindicare volebat, impedimento fuit. Aduersus eius molitiones Stephanus de Zapolya, nondum, vt quidam scribunt, palatinus, Austriam cum imperio sortitus, non ea, quam Hungari sibi despondebant, animi fortitudine prouinciam, suae fidei virtutique creditam, propugnauit. Initio quidem magnam tuendae huius ditionis curam prae se

(*a*) Id. Dec. IV. Libr. X. p. 690. (*b*) Hist. Cr. T. XVII. p. 62.—101.

se ferebat, vt ex litteris, ad Bartfenses datis, (a) *fer. 4. prox. ante fest. B. Georgii M.* item (b) *fer. 3. post Arnoldi*, 1490. patet. Constantia tamen illi defuit; postquam Maximilianus, vt Istuansius narrat, (c) *audito Mathiae obitu, nullam sibi moram interponendam ratus, legiones e Sueuis et Vindelicis conscripsit*, sparsisque per Hungariam litteris, omnium fidem amplissimis promissis sollicitauit. (d) Vtprimum ille Viennenses Maximiliano studere comperit; (e) *re desperata, et munita arce* (400. praesidiariis) *necessarium abitum caussatus, ne obcluderetur, excessit. Cum paruo Maximilianus equitatu, XI. kal. Sept. Viennam — inuectus est. — Insequenti die arx obsidetur. — Maximilianus, quum ante alios acerrime pugnaret; vnum aduerso corpore vulnus accepit. Praesidiarii vero, vbi rem desperatam vident; deditionem tandem fecere omnes, ab hoste mitius opinione tractati. Neapolitani quoque idem fecere. — Pruchi ciuitas — mox Maximiliani factione deficit.* Wladislaus, audita praecipuarum Austriae ciuitatum iactura, quum armis aemulum lacessere suaque tueri debuisset; legatione potius agendum cum Maximiliano censuit, eique nunciauit: (f) „ se legitime regem esse declaratum, et nulla in „ comitiis Maximiliano patriue augusto suffragia „ reddita. “ — Respondit ille cum indignatione: „ se numquam regno, sibi debito, facile cessurum.“ Eodem Austria paene tota iam potito, (g) *nondum mensis October erat exactus; quum nouae defectiones, direptiones et incendia ex omnibus regni partibus*

(a) Ap. Wagn. Scep. P. IV. p. 21. (b) Apud eund. Dipl. Saros. p. 139. (c) Libr. I. p. 1. (d) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 134. (e) Bonfin. Dec. IV. Libr. X. p. 694. (f) Ibid. p. 695. (g) Id. Dec. V. Libr. I. p. 703.

partibus audiuntur. „ Sempronium — caesari de-
„ ditionem fecisse: Sabariam — propediem in manus
„ hostium esse venturam: Iaurinensibus obsidionis
„ periculum imminere. —“ *Nec multo post Sabaria capta.— Castrum autem ferreum a 700. militibus Sueuis — est obsessum.— Principio inde Nouembris mensis Ioannes Vitezius, Vesprimii antistes,* quum auxilia non impetrasset, Maximiliani promissis illectus, Vesprimium ei tradidit. (*a*)

CCCXXXIV. *Vesprimii defectione et Germanorum aduentu audito*, pergit Bonfinius, *non minimum regis patrumque animi perculsi sunt. — Itaque nullam sibi muniendae Albae moram interponendam rati, eius rei caussa Stephanum Bathoreum et Paullum Kinisium cum exercitu mittunt. Quo quum illi accessissent; aegre a ciuibus intra oppidum sunt admissi: qui magnitudine pecuniarum deterriti, quas in munitione omnis generis comparanda impendi intelligebant oportere, — munitionem attingendam esse negabant.— Stephanus et Paullus, moenibus vrbis diffisi, Budam se recipiunt.* Albenses igitur pecuniam, quam ad muniendam vrbem suam impendere noluerunt, hostium direptioni permittere coacti sunt. Victores enim, *ad diripiendam conuersi vrbem, — ciuibus omnibus — captiuis factis, non solum in bona fortunasque eorum inuadunt; sed ne matronarum quidem ac virginum pudicitiae parcunt.* Maximiliano deinde grauiter iis comminante, *qui aut mulieribus vim fecissent, aut sacris aedibus manus adtulissent; — occultum locum nullum, quem non excusserint, reliquum fecerunt; vsque adeo, vt, quum aedium etiam fundamenta passim effoderent, in vinaria*

(*a*) Hist. Cr. T. XVII. p. 102.—122.

ſe, certiſſimum eſt ex prolixis pacis tabulis, (a) *datis inter exercitus vtriusque partis, penes ciuitatem Caſſouienſem, in dom.* Inuocauit (20. Febr.) *anno dom.* 1491. *Pace facta*, pergit Bonſinius, *atque vrbis obſidione ſoluta, rex, fratre ampliſſimis donis affecto; et legatis, qui ex foedere oppida ei in Sileſia traderent, miſſis, — in vrbem ingreſſus eſt. — Albertus, quum ſe in Hungariae Poloniaeque fines cum exercitu recepiſſet; Saros, Eperies et Cibinium — in poteſtate retinuit.* (b)

CCCXXXVI. Wladislaus, hac parte liberum ſe ratus, omnes ſuas vires ad Maximiliani conatus elidendos conuertit. Ille, quia (c) *numquam a patre impetrare potuit, vt ad belli ſuſcepti reliquias reficiendas pecuniarum aliquid ſibi daret; — ad imperii ſibi auxilium confugiendum putauit. Sed reſponſum eſt a principibus:* — „nemini ſe ad Chriſtia„nos — oppugnandos pecuniam ſuppeditaturos.—" *Quo ille reſponſo, et ſimul tumultibus Gallicis perturbatus, animos ad res componendas adiecit.* Magis in hoc propoſito confirmatus erat; poſtquam eas arces et ciuitates, quas anno ſuperiore Hungaris eripuit, ab iisdem receptas eſſe, certis nunciis accepit. Nam Wladislaus, ad Albam recuperandam intentus, Bohemis, eo praemiſſis, aliisque copiis Stephanum Bathorium praefecit, qui (d) *nonis Junii Buda egreſſus, ad Baanhida exercitum rite luſtrauit; ac poſtridie — Albam peruenit, — Kiniſium ex inferiore Pannonia exſpectans.* Poſtquam et hic 24. Iunii cum ſuis copiis Albam acceſſiſſet, et

(a) Ap. Dogiel T. I. p. 79. (b) Hiſt. Cr. T. XVII. p. 143 —180. (c) Bonfin. Dec. V. Libr. I. p. 711. (d) Id. Ib. p. 712.

et plures alii proceres suos milites adduxissent; *aucto ad 40. hominum millia exercitu, vrbs, Bathorei consilio, magno apparatu, ex omni parte, oppugnari est coepta. — Patefactis diuturna verberatione — muris, ac militibus auide pugnandi potestatem poscentibus; eos tamen continuit rex, quod, praelio commisso, — pertinacissime vtrimque dimicaturos milites videbat. — Quum hostes, se vrbem defendere posse diffisi, de ea reddenda cogitare — instituissent; a Bathoreo — colloquium postularunt.* Datis 5. dierum induciis, *res tandem in has conditiones conuenit:* „ vt Germanis, cum impedimentis in„ columes tuto in Austriam redire liceret. " — *Ita — Alba XIV. kal. Sept. ex manibus hostium est erepta.* Maximilianus, huius aliorumque locorum iactura permotus, pronior ad pacem sanciendam erat. (*a*) *Itaque, re diu multumque agitata, tandem ex regis auctoritate his legibus est transacta:* „ Vt re„ gnum Hung. ad Maximilianum, aut, eo mor„ tuo, ad legitimos eius heredes recideret; si Wla„ dislaus sine filiis legitimis decessisset: interea, vt „ regni titulus penes ambos resideret: vt pro belli „ superioris impensis Wladislaus Maximiliano cen„ ties mille nummum aureum penderet: — vt eos„ dem vterque amicos, rebelles hostesque habe„ ret: — ne Hungaris vllis fraudi esset, quod ad „ Maximilianum se contulissent. — " *Quum legati se Budam recepissent; — ex iis Iauriensis — pacis conditiones — recitauit. — Multitudo — statim cum stomacho perinde obstrepere et reclamare coepit,* „ qua„ si non pacis, sed seruitutis conditiones essent ac„ cipiendae. " — *Itaque quum singulis noctibus ta-*

bellae

(*a*) Id. D. V. Libr. II. p. 717.
Epit. Chron. P. II.

„ reliqua, quae in vlteriore Hungaria oppida oc-
„ cuparat, restitueret: Hungaris numquam posthac
„ bellum faceret. — " *Quae vbi Budam nunciata sunt; maiorem ex pace, quam ex victoria, laetitiam omnibus adtulerunt.* Quieuit post haec Albertus, anno sequente Poloniae rex futurus. (*a*)

CCCXXXVIII. Eodem tempore, quo rex Wladislaus hinc cum Austriacis, inde cum Polonis semel iterumque bellum gerebat, Turcas quoque hostes expertus, opera suorum praefectorum illos reprimere conabatur. Iam tunc, quum Kinisius ad oppugnandam Albam profectus est; eius absentia hostes vsi, Hungariam inferiorem innaserunt, et, vt Bonfinius scribit, (*b*) *omnis aetatis et sexus hominibus in seruitutem abstractis, diuorumque fanis incensis, quum 20. millibus passuum ad Varadinum accessissent; coortum in prouincia tumultum veriti, primo in fines suos incolumes se cum praeda retulerant; deinde, auctis ex prospero rerum successu animis, vltra Temesuarum excursionem fecerant. — In Croatiam autem quum irrupissent; magno hominum pecorumque numero abacto, mercatores etiam Florentinos quosdam — in seruitutem redegerant.* — Aliquam illis ad Vnnam fl. cladem illatam esse, Bonfinius ita perhibet: (*c*) *Ad Hunam amnem in Croatia ex Turcis* 1500. — *caesi totidemque capti.* Rursus alias eorum clades ita refert: (*d*) *Finito iam Germanico et Polonico bello, et regno grauissimis periculis absoluto, vnum restabat Turcarum bellum, quod, superioribus impliciti curis, intermittere coacti fuerant. Cuius caussa rex ad kal. Februarias*

con

(*a*) Hist. Cr. T. XVII. p. 258.—272. (*b*) Dec. V. Libr. II p. 715. (*c*) Ibid. p. 718. (*d*) Ibid. p. 720.

concilium Budae frequentissimum indicit. Concilium hoc pluribus aliis de caussis indictum fuisse, cumprimis autem, vt pacis Austriacae conditiones cum statibus pro confirmatione communicarentur, ipsae regis litterae loquuntur, (*a*) *Dat. Budae, in festo B. Andreae ap. anno dom.* 1491. Interim, vt Bonfinius prosequitur, *nuncius allatus est, Turcam ad obsidionem Albae Graecae — properare. — Paucis post diebus, quum iidem ad Sinderouiam conuenissent, vt, Danubio, quem frigoris magnitudine et vi conglaciasse existimabant, transmisso, vlteriorem Hungariam incursarent, opinione decepti, ne frustra se mouisse viderentur, clam ad Szabatsium diuerterunt: ac, — quum occulte suburbia adorti, die nocteque oppidum oppugnassent; praesidii virtute et robore inde depulsi, incensis tamen suburbiis, recesserunt. In eo praelio ex Turcis* 500. *ex praesidio* 50. *ceciderunt. — Per eosdem dies alia Turcarum manus, quae in vlteriorem Hungariam irruperat, quum in Kinisii turmas incidisset; in potestatem fere tota concessit, multis caesis, aliis captis. — Neque ita multo post,* 600. *ferme alii ad Albam Graecam profligati nunciantur: qui quum praefectos duos Budam ad comitium abituros sentientes, expeditos in insidiis equites, vt eos incautos opprimerent, collocassent; ab iisdem eadem, qua in eos vsi erant, arte, nec opinantes circumuenti et praeter paucos deleti sunt. Ita melioribus auspiciis, re bene cum Germanis, Polonis et Turcis administrata, annus MCCCCXCII. est initus.* (*b*)

(*a*) Ap. Kapr. P. I. p. 305. (*b*) Hist. Cr. T. XVII. p. 274. —282.

CCCXXXIX. Wladislaus, bellicis curis vtrumque liberatus, vt legum, bellis partiumque studiis nimium labefactarum, integritatem reuocaret, indictis anno superiore comitiis ad huius anni festum purificationis B. V. M. sapientissimas leges, articulis 108. comprehensas, condidit, suoque decreto I. quod a mole sua merito maius appellatur, easdem recensuit, cuius nos summa dumtaxat capita, more nostro, hic attingemus. (a) „ *Art. I.* Rex „ omnes status et ordines regni in eorum anti„ quis libertatibus conseruet: nouitates, per Ma„ thiam regem introductas, aboleat: ordinariis „ prouentibus sit contentus. *II.* Bona, per regem „ Mathiam et reginam vel alios occupata, remit„ tantur. *III.* Corona regni quomodo, per quos „ et vbi seruetur? *IV.* Morauia, Silesia et Lusa„ tia a corona regni non alienentur. *V.* Rex pro „ maiori parte in Vngaria maneat. *VI.* Consilia„ rii, cancellarius, thesaurarius et alii officiales Vn„ gari sint. *VII.* De rebus Vngariae rex cum con„ siliariis Vngaris consultet. *VIII.* Dignitates et „ officia Vngaris conferantur. *IX.* Iura possessio„ naria non extraneis, sed Vngaris conferantur. „ *X.* Iudices in celebratione iudiciorum personali„ ter intersint. — *XI.* Rex ad querelam simplicem, „ parte non audita, neminem impediat. *XII.* Rex „ motu proprio aut etiam delatione aliorum no„ cendi occasionem contra neminem regnicolarum „ concipiat. *XIII.* Nota — infidelitatis sine consi„ lio praelatorum et baronum rex neminem con„ demnet. *XIV.* Bona vniuersa, post obitum Ma„ thiae

(a) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 257.

„ thiae regis occupata, remittantur. *XV.* Forta-
„ licia, nouiter erecta, diruantur. *XVI.* Damna,
„ post obitum Mathiae R. quibuscumque illata, re-
„ quirantur iure. *XVII.* De conseruatione mili-
„ tum regiorum. — *XVIII.* — Quomodo regni-
„ colae contra hostes regni penes regis exercitum
„ exsurgant? *XIX.* Exercituandi modus. *XX.*
„ Sub banderio vno quot equites sint? — *XXI.*
„ Duces et comites quomodo in bellum prodeant?
„ — *XXII.* Quomodo de damnis satisfactio impen-
„ datur? — *XXIII.* Nullae gentes, post finitum
„ bellum, in aliorum bona condescendant. — *XXIV.*
„ De damnis, per castellanos — patratis. — *XXV.*
„ Metarum rectificatio. — *XXVI.* Prouentus regii
„ — quomodo exigantur: *XXVII.* Tricesimae. —
„ *XXVIII.* Rex in bonis praelatorum, magnatum
„ et nobilium, victualium exactiones — facere non
„ permittat. *XXIX.* — Pro sepultura interfecti
„ marca argenti non exigatur. *XXX.* Mineras in
„ quorumcumque regnicolarum bonis — rex pro se
„ occupare non possit. — *XXXI.* Monetae extra-
„ neae in regnum non inducantur. *XXXII.* Au-
„ rum et argentum non cusum ex regno non ef-
„ feratur. — *XXXIII.* De palatini auctoritate, iu-
„ dicibus, officialibus regiis. — *XXXIV.* De iudi-
„ cibus nobilium. — *XXXV.* Abolitio iudicii ge-
„ neralis palatinatus. — *XXXVI.* Proclamatarum
„ congregationum abolitio. *XXXVII.* Duellorum
„ abolitio. *XXXVIII.* Trinae forenses proclama-
„ tiones tolluntur. — *XXXIX.* Conuentus minu-
„ ti, praesertim Szent-Iogh, cessent. *XL.* Octa-
„ uae duae singulis annis celebrentur. — *XLI.* *Et-*
„ *iam* in Transsiluania et Sclauonia. — *XLII.* Iu-
„ dices regni ordinarii qui sint? — *XLIII.* De ca-
„ pitulis et conuentibus. — *XLIV.* — De modo

„ extradandi litteras in conuentibus. — XLV. In
„ Romanam curiam, — suo dioecesano neglecto,
„ conuenire aliquem in iudicium non licet. XLVI.
„ Caussae, ecclesiasticum forum concernentes. —
„ XLVII. Nona pars frugum et vinorum. — XLVIII.
„ Ecclesiasticae personae nonam et decimam in
„ bonis suis exigant. XLIX. Nonam partem sol-
„ uant domino terrestri etiam coloni, in terris
„ aliorum vineas habentes. = L. Nobiles decimas
„ ex propriis terris non soluant. LI. De nouo iu-
„ dicio. — LII. Noui iudicii caussae in primis octa-
„ uis discutiantur. LIII. In comitatibus iudicia
„ *per quos* fiant? LIV. Caussae iurium possessio-
„ nariorum — in 4. octauis terminentur. LV. Caus-
„ sae, minoris potentiae factum tangentes. LVI.
„ In caussis maioris potentiae procedendi modus.
„ LVII. Repulsionum poena. LVIII. De euoca-
„ tionibus. — LIX. Donatarius bona, in quibus
„ contradictio facta est, — occupare non ausit. LX.
„ Donationis litterae cum clausula: *de manibus*
„ *regiis* = nullius sint vigoris. LXI. Bonorum
„ impetrator — nomen regis liti non immisceat.
„ LXII. Iuris regii impetrator, si male impetrauit,
„ — conuincitur. LXIII. De donationibus regiis
„ per defectum seminis. — LXIV. Dotes vxorum
„ — saluae sint. LXV. Poena feneratorum. LXVI.
„ Birsagia quomodo iudices exigant. LXVII. Vio-
„ lationis sedis poena 25. marcae. LXVIII. Con-
„ cordandi libera facultas in omnibus caussis. LXIX.
„ Protonotarii in hospitiis nullas caussas iudicent.
„ — LXX. Iudices regni ordinarios *laedentium*
„ poena. LXXI. Prorogationes quibus suffragen-
„ tur? LXXII. Appellans male ad iudicem supe-
„ riorem in duplo conuincitur. LXXIII. Remissae
„ caussae ex curia regia. — LXXIV. — De ca-

„ pitali

„ pitali caussa. — *LXXV.* — De poena turbantium exsequutiones. — *LXXVI.* Ecclesiasticarum et secularium personarum eadem poena in iudicio seculari. *LXXVII.* Ecclesiasticae personae cum inquisitoriis litteris. — *LXXVIII.* Noua donatio quomodo impetranda a rege? — *LXXIX.* Sedem iudiciariam armati non intrent. — *LXXX.* De poena priuatorum. — *LXXXI.* De poena — publicorum malefactorum. — *LXXXII.* Homicidium voluntarium — quicumque patrauerit; — eadem poena puniatur. — *LXXXIII.* Saluus conductus etiam infidelibus per regem detur. *LXXXIV.* Mercatores extranei — ad loca consueta — accedant. *LXXXV.* Ecclesiasticae personae et nobiles ad loca tributorum — ire non compellantur. — *LXXXVI.* Rustici, vxores ducentes; victualia dominis terrestribus, aut ad molendina fuges vehentes, tributa non soluant. — *LXXXVII.* De tributi iusta exactione. — *LXXXVIII.* — De poena transeuntium in vadis falsis. *LXXXIX.* Arestationes quomodo fieri debeant? *XC.* Arestari nobiles — non possunt. *XCI.* Ciues — in loco communi pro suis debitis arestare possunt. — *XCII.* Manifestus debitor — vbique detineri potest. *XCIII.* Colonum — non dimittentis poena. *XCIV.* — Aliorum colonos abducentium poena. *XCV.* Litterarum — taxa. — *XCVI.* De transsumtis litterarum. — *XCVII.* Mulieres nobiles — procuratores constituere possunt. *XCVIII.* Litterarum minoris cancellariae regiae taxa. — *XCIX.* Litterarum maioris canc. regiae — taxa. *C.* Pestiensis et Pilisiensis comitatus comites non habeant. *CI.* De falcatione. — *CII.* Visegradiensis ciuitatis libertas — aboletur. *CIII.* Depositionum — loca. *CIV.* Super nonis iudicium in primis

„ octauis

„ octauis administretur. *CV.* De domibus praelatorum, baronum et nobilium Budensibus — nihil soluatur. — *CVI.* Domus, indebite ab aliquibus ablatae, Budae restituantur. *CVII.* Interregni tempore — mala patrantium poena. *CVIII.* Ad diaetam — vltra 4. dies nemo exspectetur.“ *Articuli nobilium regni Sclauoniae.* „ *I.* Sclauoniae regnum rex in suis libertatibus conseruet. *II.* Contributionis, quae in Vngaria offertur, in Sclauonia dimidia pars exigatur. — *III.* De salium cameris. — *IV.* De camerariis salis regii. — *V.* Sales — pro frugibus commutare possint. *VI.* Vina — solutis tricesimis, e regno educere possint. — *VII.* Tricesimae in locis antiquis — exigantur. — *VIII.* — Omnia eorum priuilegia confirmanda. *IX.* De exsequutionibus. — *X.* *De* — possessionum occupatarum remissione. — *XI.* Damna, — post obitum Mathiae illata, requiri possint modo eodem, quo in regno Vngariae. — Dat. Budae — anno dom. MCDXCII.“ (*a*)

CCCXL. In his comitiis, secundum leges initae cum Maximiliano pacis, vt etiam Wladislaus innuit in suis litteris, quibus comitia haec indixerat, debuisset promulgari, *quibus legibus et conditionibus pacem ipsam pepigerit.* (*b*) Nusquam autem vel in actis, vel in articulis illorum comitiorum leges et conditiones illae commemorantur; immo confirmatas non esse satis innuitur articulo XXXIII. quo formula iurisiurandi pro praecipuis regni magistratibus praescribitur, nec tamen illi conditio, quam tabulae pacis de successione Maximiliani praecipiunt,

(*a*) Hist. Cr. T. XVII. p. 330.—440. (*b*) Ap. Kapr. P. I. p. 305

ciprunt, inferitur. Quare licet Kollarius meminerit litterarum, a Saxonicis Transsiluaniae ciuitatibus confectarum, (*a*) quibus consensus in eam successionis legem praestatur, nullarum tamen, ab Hungariae ciuitatibus vel comitatibus editarum, meminit. Producit tamen nimiam Wladislai facilitatem, qua 100. millia florenorum auri, quae Fridericus olim Mathiae regi stipulatus erat, obligationem Austriacae domui remisit, (*b*) *Budae*, *fer. 6. prox. ante dom.* Reminiscere, *anno dom.* 1492. Insuper ad expensas belli Maximiliano resarciendas 100. millia flor. se daturum eidem spopondit. Vnde sensim auctoritas adeo remissi regis, qui tam caro pretio pacem mercatus sit, apud Hungaros euiluit. Laudari tamen Wladislaus ideo meretur, quod Petrum, Colocensem archiepiscopum, multis iniuriis ab aemulis suis affectum, non tantum in Hungaria, sed etiam in curia Romana defendendum susceperit. Scripserat eius caussa saepius ad Innocentium VIII. et, postquam ille 25. Iulii hoc anno decessit; ad Alexandrum VI. vndecima mensis Aug. pontificem creatum, ac ad cardinales diuersos, hoc studio testatus, vtilissimum religioni regnoque hunc metropolitam fuisse. Certe constat ex eius epistolis, illum ecclesiae suae reditus ad reprimendos Turcarum impetus potissimum impendisse, a quibus nulla hoc tempore quies erat. Saepius eosdem alii quoque duces hoc anno male multarunt, e quibus Moraeus, Seuerinensis praefectus, vt Bonfinius narrat, (*c*) *quum victoriae, de Turcis partae, — ac propriae virtutis testandae gratia, currus duos, caesorum hostium capitibus onustos, ad concilium veheret;*

(*a*) Post Vel. Indic. p. 323. (*b*) Ibid. p. 265. (*c*) Dec. V. Libr. II. p. 720.

ret; in medio itinere graui morbo correptus, interiit: quos quum Gregorius frater Budam — detulisset; — fratri mortuo — regis et patrum auctoritate est subrogatus. Paullus Kinisius plures illis clades intulit, et captos (*a*) *inauditis ante apud Christianos generibus tormentorum affectos interemit; quum alios pistrini in aqua se versantibus rotis alligasset; alios, igni sensim admotos, lento incendio confecisset; non paucos cute, vt belluas, exuisset; nonnullos etiam in hara, reuinctis post terga manibus, esurientibus suibus obiecisset: nimirum, vt pari suppliciorum metu intra fines suos barbarum hostem deterritum contineret.* Magnam idem Kinisius seueritatem exprompsit (*b*) *in Bohemorum cohortes, quae veteranorum et nigrorum appellabantur, — ob intolerandam eorum libidinis auaritiaeque licentiam.* Nam ad Szegedinum repente circumuentos, 400. caesis, ad deditionem nouumque iusiurandum adegit. Moestus hoc anno rex Wladislaus defuncto patri Casimiro parentauit, cuius vitam *Antonius Bonfinius*, vt ipse scribit, (*c*) *quam ornatissima potuit, oratione laudauit.* Missis autem ad Polonica comitia legatis, *Polonici regni iura, quae ad se, vt ad maiorem natu fratrem, merito pertinerent, Alberto fratri sincera fide remisit;* cum quo subinde foedus occultum pepigit, (*d*) vt mutuam sibi contra rebelles subditos opem ferrent. *Dat. in arce Budensi, in vigilia S. Nicolai, anno dom.* 1492. (*e*)

A. C.

(*a*) Ibid. Libr. III. p. 724. (*b*) Ibid. p. 722. (*c*) Ibidem. (*d*) Ap. Dogiel. T. I. p. 86. (*e*) Hist. Cr. T. XVII. p. 446.—526.

CCCXLI. Quum Beatrix, ab obitu Mathiae Strigonii plerumque commorata, nuptias Wladislai regis impotenter vrsisset; hic Antonium, Nitriensem episcopum, ad docendam promissorum suorum infirmitatem, Romam oratorem destinauit. Ad illum, pendente lite, kalendis Martii de clade, Turcis illata, litteras dedit, de quibus Burchardus ita scribit (*a*) *Tertia Aprilis, papa pro matutinis se parante, episcopus Nitriensis, orator regis Hungariae, legit coram pontifice et cardinalibus, ibidem praesentibus, litteras eiusdem regis, prima die Martii, proxime praeteriti, in Hungaria datas, per quas significabat ei:* „ se magnam et singularem victoriam „ habuisse contra Turcos, qui regnum Hungariae „ inuaserant: 15. millia vel circa occidisse et pro- „ strauisse: et non modica spolia exinde reportas- „ se." Locum Turcis illatae cladis Coronensis inscriptio paucis hisce verbis indicat: (*b*) 1493. *Turcae prope rubeam turrim caeduntur.* Bonfinius anni tempus ita designat: (*c*) *circiter kal. Febr. Alibechum, — Sinderoniae praefectum, cum valido exercitu in Transsiluaniae fines ingressum, et cum ingenti praeda, per 5. dies coacta, redeuntem Siculorum tumultuaria manus, adempta praeda, exuit, et plerosque Turcas occidit.* Turcae, hac clade potius irritati, quam edomiti, maximos ad nouam incursionem faciendam apparatus fecerunt: quibus excitatus Wladislaus, et ipse subsidium ad occurrendum eorum conatibus vndique conquisiuit, ac inter alios etiam Bartfenses de mille florenis suppeditandis admonuit,

(*a*) Ap. Pray An. P. IV. p. 255 (*b*) Ap. Schwandt. T. I. p. 887. (*c*) Dec. V. Libr. III. p. 724.

bor dicto, *cuius potiundi mira iam pridem cupiditate flagrabat*, spreta iustitia, vim admouit, idque, rege frustra prohibente, sui iuris fecit, ac *iustum regis atque omnium bonorum in se odium atque inuidiam concitauit.* Iustus certe Coruini ducis animum dolor occupauit; quod ab eo, qui plurimis a patre suo beneficiis ornatus erat, tantam iniuriam experiri cogeretur. Auctus erat hic dolor, quum (*a*) *oppida, quibus a patre donatus fuerat, antiqui possessores, non sine magno multorum dolore ac prope misericordia, postularunt.* Maximus ad dolorem cumulus accessit; quum etiam Osualdus episcopus idem fecit. (*b*)

A. C. 1494. *Wlad.* 4. *Ind.* 12. *P.* 30. *M.*

CCCXLIII. Stephanus Bathorius, anno superiore defunctus, in Transsiluania quidem administranda successores illico Bartholomaeum Dragfium et Ladislaum Losontzium accepit; at in munere iudicis curiae nonnisi hoc anno 28. Ianuarii Paullus Kinisius illi suffectus est, vt ex Petri, Colocensis archiepiscopi, litteris, quibus illi nouam dignitatem gratulatus est, apparet, (*c*) *Budae, fer.* 3. *prox. post festum conuersionis S. Paulli, an. dom.* 1494. Non multo post ille, noua hac auctus dignitate, rem contra Turcas fortiter et cum laude gessit. Nam, vt Bonfinius refert, (*d*) *vere appetente, — in eam cogitationem dies noctesque intentus, vt superiorem a Turcis cladem* (Croaticam) *vltus, — tristem praeteritorum damnorum memoriam recentis alicuius insignis*

(*a*) Ibid. p. 729. (*b*) Hist. Cr. T. XVII. p. 566.—591.
(*c*) Ap. Wagn. Ep. Vard. p. 72. (*d*) Dec. V. Libr. III. p. 729.

signis victoriae gloria prorsus obrueret, in fines Turcarum — cum 10 millibus equitum, rege turmas submittente, populabundus inuasit: ductoque praeter Danubii ripam exercitu, infra Sinderouiam per adstrictum adhuc praealta glacie flumen 3000. expeditorum equitum ad vastandam Mysiam ire iussit: — qui subito se se ad duo proxima Alibechi praefecti castella, vbi ingentes Turcarum praedas asseruari audierant, contulerunt. His captis et direptis, *Paullus 2000. equitum auxilio submisit, vt victores latius vagarentur. — Itaque finitimis omnibus duorum incendio castellorum exanimatis, facile ad 50. millia passuum, prohibente nemine, incendio rapinisque omnia miscuerunt. Praeda ingenti coacta, — omnes cis Danubium incolumes Paulli in castra se retulerunt. Postero autem die Alibechus, ad horum detrimentorum nuncium perculsus, cum octo millium exercitu in Danubii vlteriore ripa — se ostendit; sed flumen ipsum, vapore solis iam resoluta glacie, traiicere nequiuit. — Paullus autem, quum praesidiarios milites de Alba Graeca Turcis prodenda consilia habuisse audisset; manibus continuo eius principibus coniurationis iniectis, nefarium per cruciatum scelus confessos acerbissimo — supplicii genere omnes affecit. Quippe in carcerem foedissimum conditos, singulis diebus eorum singulos, haedorum in modum veru praefixos, et ad ignem diligenter assatos, sociis vescendos apposuit. — Nouissimum autem eorum — lenta inedia tibique necessarii subtractione confecit.* (a)

CCCXLIV. Haec dum in inferioribus regni partibus aguntur; Wladislaus ad superiorem Hungariam,

(a) Hist. Cr. T. XVII. p. 610.—617.

riam, *VI. idus Martii*, vt Bonfinius scribit, (*a*) — *Fratribus colloquio Leuchouiam indicto, cum episcopis et proceribus Cassouiam versus proficiscitur.* — *Cassouiam quum venisset, atque eodem mox vniuersi principes accessissent, vno Laurentio duce excepto, qui superbe regis imperium — detrectauit; ibi fratres — sibi exspectandos putauit. Legatis autem Hippolyti, Strigonien. archiepiscopi, qui paullo ante cardinalis designatus erat, petentibus,* „ vt Hippolyto in Italiam „ ire — liceret, " *ad id muneris octo mensium spatium aegre permisit.* — *Audito, fratres iam finibus Hungariae appropinquare, Leuchouiam — iter ingressus, apud Saros castellum magnifico inprimis apparatu — a palatino suscipitur:* — *qui ad eos honores, quos regi, per oppida sua iter capessenti, habuerat, Leuchouiae quoque nouos adiunxit; quum regi* 200. *vini cados, pontificibus et optimatibus* 100. *dono misisset.* — — *Quum Albertum propediem accessurum sentiret; acerbum eius odium, superiore Polonico bello in se conceptum, simulque offensum regis ab occupatis Coruini castellis animum extimescens,* — *e conuentu recessit.* — *Conuentu inito,* 5. *viri ab vtraque parte ad componendas discordias, inter Hungaros et Polonos ex superiore bello natas, creati sunt. Huic rei expediendae magna obiiciebatur difficultas, quod, absente palatino,* — *nihil omnino decerni aut transigi poterat.* — Qui tandem, *a rege de praestita securitatis fide litteris acceptis,* — *Leuchouiam — accessit.* — *Reges interea saepe horas* 5. *integras soli — inter se colloquuti sunt.* — *Quum autem per mensem ferme ibi fuissent;* — *Albertus,* — *amice et liberaliter ab Wladislao donis excultus, dimissus est.* Wladislaum 7. die mensis Aprilis Leutsouiae fuisse,

(*a*) Dec. V. Libr. III. p. 731.

fuisse, certum est ex eius litteris, quibus Petrum Colocensem per Kinisium in Zlakotz statuendum curat, (*a*) *datis Leuchouiae, fer.* 2. *post dom.* Quasi modo, *an. dom.* 1494. Sed iam 10. Maii Cassouiae dedit ad eumdem Kinisium in eiusdem archiepiscopi caussa litteras. (*b*) Longiorem illum moram Cassouiae traxisse, colligimus ex eiusdem litteris, indidem ad Osualdum Zagrabiensem 2. Iunii datis. (*c*) *Transsiluaniam*, inquit Bonfinius, (*d*) — *idoneo sibi maxime tempore, compositis publicis priuatisque Hungariae rebus, invisendam putarat; vt, ea pacata, praesentem inde rei numariae difficultatem, veteribus pensionibus exigendis, aliqua ex parte leuaret. Duo ibi ius dixerant praefecti, Bartholomaeus Drágfi et Ladislaus Losontzius, qui, vt diuerso inter se erant ingenio, sic diuersam in iure dicundo rationem sequuti, — non veteres solum factiones aluerant; sed nouas etiam alias excitarant, — Quibus detrimentis vt mederetur rex; Ladislao ad magistri curiae honorem euecto, Bartholomaeum solum in praefectura retinuit.* — Quando rex e Transsiluania discesserit, incertum est; illum adhuc Cibinii fuisse sub Augusti finem, apparet ex litteris, in fauorem ordinis Seraphici datis, (*e*) *in ciuitate Sibinensi, in festo B. Bartholomaei ap. anno dom.* 1494. (*f*)

CCCXLV. Dum Wladislaus Transsiluaniam lustrat; Laurentius Ujlakius Turcis maiorem ad damna Hungaris inferenda viam aperuit, vt in maiorem contemtum Wladislaum regem, cuius auctoritatem de-

(*a*) Ap. Wagn. Ep. Vard. p. 199. (*b*) Ibid. p. 202. (*c*) Ap. Kerchel. Not. Prael. p. 300. (*d*) Dec. V. Libr. IV. p. 736. (*e*) Ap. Fridu. Reg. Mar. p. 117. (*f*) Hist. Cr. T. XVII. p. 616.—662.

ſpicatui habebat, apud populares adduceret. *Abeunte autem Augusto*, ſcribit Bonfinius, (*a*) *regii quaeſtoris procuratores aliquot, quum impoſita tributa exigere vellent, haud procul Alba, in Laurentii ducis pago, iuſſu eius occiſi ſunt. — Turcae autem — Albam Graecam, quam 200. tantum militum praeſidio cuſtodiri perceperant, ex improuiſo adorti, 7. ſignis iam in montibus collocatis, facile in poteſtatem redegiſſent; ni Paulli Kiniſii praefectus, a Temesuaro propere cum inſtructa legione profectus, eos e moenibus acerrime detraxiſſet. — Illi vero, quum praeter Sauum iter inſtituiſſent, vt locum inuenirent, quo flumen commode vadarent; ad D. Demetrium, Laurentii ducis caſtellum, nullo prohibente, transgreſſi ſunt: quum incendiis rapinisque eam omnem oram vaſtaſſent, — idque inſigni Laurentii ducis potiſſimum erga regem regnumque perfidia, cuius illi villis etiam omnibus pepercisse dicuntur. — Inde Drauo ad Petoniam traiecto, et magnis detrimentis illatis, hominum ad 7000. abduxerunt.* His auditis, Wladislaus magnis itineribus ex Tranſſiluania Temesuarinum properauit. *Vbi ad ſe venientem Paullus audiuit; (b) — cum inſtructis copiis ad Temeſienſes fines occurrit. = Et quoniam praepedita lingua* (hemiplectico fulmine iam anno ſuperiore tactus) *exprimere verba non poterat; voce et dextra, in Turcarum fines intenta, regem ad tantas perſequendas iniurias obteſtatur; tactoque gutture ſuo*, „ ſe ibi iugulum ſuum cupide pro regni ſa„ lute obiecturum " — *pollicetur. Hominem incredibili laude et fortitudinis, et pietatis inſignem*

rex

(*a*) Dec. V. Libr. IV. p. 735. (*b*) Id. Ib. p. 737.

rex sublenatum amplexus, bono esse animo lacrimabundus iubet. — Inde subsequentes eum inspectare copias iubet: quo aspectu — vsque adeo exhilaratus est, vt se continere nequiuerit, quin caesim punctimque gladium eductum, vt in acerrima quondam solebat iuuentute, vibrarit. Wladislaus, Petrouaradinum inde profectus, quum certis nunciis comperisset, Turcarum equites per Petouiam in Illyricum et Croatiam irrupisse; — ex grauis et leuis armaturae equitibus ad 14. millia legit, eosque Paullo et Bartholomaeo ducibus ad depopulandam hostium prouinciam tradit. — Hi, Sauo traiecto, Sinderouiae suburbiis ignem iniiciunt; et castris vltra promotis, hostem nullum inueniunt. — Quum ad dies 15. rebus omnibus ex sententia succedentibus, vagati, cuncta per 100. millia passuum ferro ignique vastassent; tantum praedae coaceruarunt, vt nec iumenta, nec currus ad eam reuehendam vlli sufficerent. In castris 5. boues aureo numo veniebant, eodemque pretio hordei et auenae tantum, quantum 4. equis, per annum alendis, satis fuisset. Volebat quidem Kinisius populationem latius circumferre; sed militibus, metu spoliorum amittendorum recusantibus, laetissimam de acerbissimo hoste victoriam dimittere coactus est. Vt enim Petrum More, qui tum Constantinopoli orator erat, postea narrantem audiui: Turcae, audito infesto Paulli et Hungarorum incursu, adeo perculsi metu erant, vt praetorianae cohortes — in Asiam repente traiecerint. — " Kalendis Nouembris ad Albam Graecam incolumes omnes cum opulentissima omnium praeda se receperunt. — Paullus interea, letali febre correptus, — testamento nullo, quod iam pridem mutus erat, confecto, nullaque prole relicta, Christiane pientissimique hominis ritu ex hac vita decessit. — In praefectura Temesiensi Iosa (Iosephus

 Som)

Som) — *robore et disciplina militari eius non dissimilis, a rege suffectus est.* (*a*)

CCCXLVI. Longiori morae, quam Wladislaus in inferiore Hungaria traxerat, caussam obtulerunt non tantum Turcarum incursiones, sed etiam turbulentorum quorumdam procerum factiones, quas bello tandem, quod aliis remediis non profecisset, coercendas censuit. *Bachiae vero rex quum esset;* (*b*) *Hungariae principes omnes, quorum infirmam fidem ex detrectato saepe imperio suspectam habebat, ad se venire iubet: ex quibus alii, inconstantiae vitio nutantes, non venerunt; alii ex conscientia rerum gestarum — omnino venire recusarunt. Inter ceteros autem Laurentium ducem accersit. Huic enim praecipue succensebat, quod facinorosum et seditiosum et contumacem principem nouerat, et Turcicae paullo ante incursionis auctorem.* Hic, qui regem *ipsum ad contumeliam bouis nomine appellare* solebat, — *flagitiorum scelerumque sibi suorum conscius, non venit.* Wladislaus igitur, e suorum consilio, per Bartholomaeum Dragfium Ujlakinum oppugnari iussit. *Laurentius, sibi ac suis rebus plane diffisus, ad palatinum, quocum affinitate et foedere se deuinxerat, citato gradu contendit, et — auxilium aliquod dubiis rebus ab eo suis implorat.* — Wladislaus, superbis palatini precibus reiectis, Ujlakino *XII. kal. Ian.* potitus, *ingressus arcem, haud modicas opes commeatusque inuenit, vestes nimirum 300. vario pretiosarum pellium genere suffultas; auro argentoque caelata plurima; cadorum vini ad 3000.* Pluribus eius oppidis ad Sauum et ad Titam

(*a*) Hist. Cr. T. XVII. p. 662.—672. (*b*) Bonf. Dec. V. Libr. IV. p. 738.

tam expugnatis et ſpatio duorum menſium in ditionem adductis, *regia vbique aduerſus contumaces et rebelles principes dignitate cumulate a rege defenſa, hic annus abiit.* (a)

A. C. 1495. *Wlad.* 5. *Ind.* 13. *P.* 19. *A.*

CCCXLVII. Bonfinius decadis V. Librum V. operum ſuorum vltimum, exorſus, acta huius anni ſic deſcribit: *Ineunte anno, qui fuit a partu virginis ſupra mille et 400. nonageſimus quintus, Wladislaus, — pacata inferiore Hungaria, — traiecto Drauo, bellum in Illyricum transferre ceteraſque Laurentii arces expugnare contendit:* — „quem „quidem, *fama erat*, exercitu valido in finibus „Auſtriae comparato, palatinum ad ſuas partes „et belli ſocietatem facile traducturum." — *Qua de cauſſa rex Ioſam, nuper e Temesuario euocatum, cum quibusdam cohortibus peditum et 6000. equitum, quae obſidendo Németh-Újuáro deſtinarat, aduerſus Laurentium mittit. Bartholomaeum vero vaiuodam in Simigienſem agrum — ad Kaposuárum caſtellum — oppugnandum ire iubet. Ipſe cum ceteris Verrucae conuentum habet, et ſeuere iudicia exercet.* Huc palatinus legatos, pro Laurentio deprecaturos, miſit. *Illi — vetus et conſtans reſponſum a rege tulerunt:* „ſe contumaces ac reip. inimicos homi„nes oppugnandi finem numquam facturum. —" *Quin etiam paullo poſt familiarem quemdam, a Laurentio pro petenda venia miſſum, admonuit, vt domino ſuo renunciaret:* „bouem illum, quem per „iocum appellare ſolebat, iam vnum magnum cor„nu habere, alterumque, modo enatum, valde

(a) Hiſt. Cr. T. XVII. p. 680.—692.

„ in dies crescere. — Kaposuáro Raholtzaque „ dedita, *rex se ad Quinqueecclesias, circiter kal. Martias, cum vniuersis optimatibus retulit: et quod iam satis poenarum peruicaciae temeritatisque suae dedisse Laurentium duceret; — veniendi ad se facultatem et res suas componendi concessit. — Laurentius, Kishoruatho, Ederbo et Nicolao Zechi comitantibus, — ad regem perductus, orationem habuit humilem, — in qua erratum insaniamque suam aperte confessus est.* Prior Auranae, defectionis auctor praecipuus, vinculis oneratus, serius tamen liberatus est. Exstincto ciuili bello, generosius Turcis, *inducias in decennium exposcentibus*, responsum reddi potuit, *induciis tantum in triennium datis, — his conditionibus:* (*a*) „ Ne vlla vtrimque vis et „ incursio per triennium fieret: vt sine fraude do„ loque captiui ex clade Croatica redderentur; „ Wladislao vero integrum esset inducias aut pro„ ducere; si vellet: aut intercipere; si commodum „ esset: modo tribus id ante mensibus indicaret. " (*b*)

CCCXLVIII. Factiosis in ordinem redactis, antequam Wladislaus Quinqueecclesiis discessisset, frequentissimum Budae conuentum, ad quem ex singulis comitatibus decem conuenerant, edixit. Quia vero hic decretum I. tribus abhinc annis conditum, quibusdam additionibus illustratum est; hoc decretum II. *additiones ad decretum I.* codex iuris patrii vocat, cuius articuli 45, partim additi, partim de nouo conditi, hoc ordine sequuntur: (*c*) „ *I.* De modo remittendi bona, per Mathiam

R.

(*a*) Bonf. Dec. V. Libr. V. p. 745. (*b*) Hist. Crit. T. XVII. p. 695.—725. (*c*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 283.

„ R. et alios occupata. — *II.* De regis potestate
„ in conferendis bonis. — *III.* Nota infidelitatis —
„ aliquem in diaeta condemnandi modus. *IV.* No-
„ tam infidelitatis inducentes casus. — *V.* Regis
„ auctoritas in collatione bonorum non de exter-
„ nis, sed de regnicolis intel'igitur. *VI.* — Sepul-
„ tura interfectorum hominum. — *VII.* Trinae fo-
„ rensis proclamationis loco fieri debet euocatio.
„ — *VIII.* De assessoribus sedis iudiciariae regiae.
„ — *IX.* De exsequutionibus — hominum regio-
„ rum. — *X.* Coram archiepiscopis, — neglectis
„ dioecesanis, nemo — caussam moueat. — *XI.*
„ Donatariorum, contradictione non obstante,
„ bona sibi donata occupantium, — poena. *XII.*
„ De exigendis birsagiis in sedibus comitatuum.
„ *XIII.* Concordare valeant litigantes ante exse-
„ quutionem sententiae. — *XIV.* Prorogationes ser-
„ uientium in castris. — *XV.* De exemtis a iuris-
„ dictione comitum. *XVI.* Exsequutio *cum* litte-
„ ris exmissionalibus comitatus. — *XVII.* Comites,
„ — a comitatu non exmissi, — exsequutiones —
„ non faciant. *XVIII.* Colonos fugitiuos recipien-
„ tium et restituere nolentium poena. *XIX.* —
„ Poena malefactores dimittentium; nec non emen-
„ da capitis praelatorum et baronum. *XX.* De co-
„ mitatu Pestiensi et Pilisiensi, vbi iudices nobi-
„ lium vicem comitum praestant. *XXI.* Aresti in-
„ debiti iudices. — *XXII.* De colonis, aedificia —
„ secum transferre volentibus. *XXIII.* — Non ob-
„ seruantium articulum de taxa litterarum poena.
„ *XXIV.* De facultate comitatuum Pestiensis et Pi-
„ lisiensis in caussis discutiendis. *XXV.* De diaeta
„ regnicolarum. — *XXVI.* Ad comitia non ele-
„ ctos de comitatibus, sed singulos praelatos, ba-
„ rones et nobiles rex conuocet. *XXVII.* Ani-

„ malia

in iisdem comitiis vterque peractum affirmat, admonitam scilicet fuisse Beatricem, vt nullam de nuptiis Wladislai spem porro haberet. *Quibus ad illam non multo post delatis*, refert Istuanfius, (*a*) *queribundam et lacrimantem, proscisso grauissimis probris et exsecrationibus Wladislai nomine, dira omnia ei imprecatam:* „ quod se prolixis et falsis „ illius pollicitationibus periuriisque deceptam ne- „ farieque illusam " *affirmaret*. Primae tamen Wladislai procerumque sententiae dum aquiescere noluisset; caussam suam apud pontificem tam impudenter vrsit, vt illicitum cum Wladislao commercium fateri vel comminisci non erubuerit. (*b*) Nihil tamen his omnibus, praeter infamiam consequuta, Hungariam quidem deseruit; sed adhuc tertio post anno Viennae se detinuit, vnde litteras ad suum Schemniczìensem camerarium dedit, (*c*) 20. *Aug*. 1498. Tandem in Italiam reuersa, vitam cum morte commutauit anno 1508. (*d*)

CCCL. Eius priuignus, Ioannes Coruinus, quem nuptiarum spe turpiter destituit, incertum, qua de caussa, superiorem Hungariam hoc anno turbare coepit, vt ex his Wladislai litteris, ad Bartfenses datis, colligi potest: (*e*) „ Certificati sumus, illu- „ strem Ioannem Coruinum, Oppauiae et Lipto- „ uiae ducem, in regno Poloniae gentes congre- „ gare, — eo consilio, — vt ad hoc regnum no- „ strum Hung. hostiliter venirent. — Quorum sini- „ stro conatui debita prouisione occurrere decreui- „ mus; nam et personaliter versus illas partes re- „ gni

(*a*) Libr. III. p. 28. (*b*) Ap. Bel. T. III. p. 233. (*c*) Ap. Bel. T. IV. p. 638. (*d*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 1.—29. (*e*) Ap. Wagn. Scep. P. IV. p. 24.

„ gni nostri superiores ire — statuimus. — Interea „ autem defensionem illarum partium fideli nostro „ — Stephano de Zapolya — palatino commisimus. „ — Dat. in castro Walpo, festo B. Priscae V. an- „ no dom. 1496." Hostes illos repulsos fuisse, palatinus ad eosdem ita perscripsit: (*a*) „ Sciatis, „ quod inimici huius regni nostri — per nostras „ gentes, habito cum eis campestri conflictu, pro- „ strati et expulsi sunt. — Dat. Rosemberk, fer. 5. „ ante dom. *Oculi* (6. Mart.) *an. dom.* 1496. Res mira videri potest, Ioannem Coruinum, qui singularem adhuc in Wladislaum fidem et obedientiam expromsit, viso Laurentii ducis exemplo, quem rex armis ad officium reduxit, perniciosum istud Hungariae tranquillitatem perturbandi consilium iniuisse. Videtur priuatam dumtaxat iniuriam contra palatinum vlcisci voluisse. Certe bani dignitatem etiam dehinc illum retinuisse, docent litterae, Bihatsio hoc anno 14. Sept. ab eo datae. (*b*) Debebat illic ille pro ratione sui muneris excubare contra Turcas, qui contra fidem induciarum multa damna ditionibus Hungaricis intulerunt. Et quia Poloniam itidem incursarunt; Wladislaus, istud patriae suae damnum suam iniuriam interpretatus, legationem ad Baiazetem, de reliquis etiam iniuriis questus, destinauit, (*c*) bellum, nisi modus his iniuriis poneretur, comminatus. Ad hoc igitur apparatus necessarios facturus, opera Zingarorum ad conflandos globulos vti voluit. „Thomam Polgar, „ *inquit*, (*d*) vaiuodam Pharaonum, vna cum aliis „ Pharaonibus sub tentoriis 25. — pro faciendis „ globulis pyxidum, siue aliis instrumentis, ad

„ belli

(*a*) Ibid. p. 25. (*b*) Ap. Kerchel. Not. Prael. p. 301. (*c*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 274. (*d*) Ibid. p. 273.

„ belli vſum neceſſariis, ad ſeruitia fidelis noſtri, „ RR. in C. P. D. Sigismundi, epiſcopi eccleſiae „ Quinqueeccleſienſis, deputauimus. — Dat. Budae, „ fer. 5. prox. in octaua feſti SS. corporis Chriſti, „ anno eiusdem 1496." Vel igitur Sigismundus e captiuitate iam dimiſſus eſt, vel ea non in ſuperioris huius anni comitiis irrogata fuit, quam Bonfinius ſub operis ſui finem ita refert: (*a*) *Sigismundum peculatus reum quidam fecere.* — *Iudicio agitato, ex confuſis eius rationibus aperte peculatum eum commiſiſſe ſtatuerunt. Itaque iuſſu regis, — repente comprehenſus, et in carcerem, magna plebis gratulatione, conditus eſt.* (*b*)

A. C. 1497. *Wlad.* 7. *Ind.* 15. *P.* 26. *M.*

CCCLI. Quum Leutſouienſes, a Caſſouienſibus in via ſaepe vim paſſi, regis auctoritatem interpellaſſent; hic quidem illos *ad octauas feſti B. Georgii M. ſuam perſonalem in praeſentiam* euocauit, (*c*) *Budae, fer.* 3. *prox. poſt. dom.* Quaſi modo (4 Apr.) *an. dom.* 1497. eo tamen tempore, quo citatis comparendum fuiſſet, iam extra Hungariam profectus, litteras dedit, (*d*) *Pragae, die lunae ante aſcenſionem domini* 1497. Pragam Wladislaus, ex quo Hungaria potitus eſt, non vidit. Cur vero nunc in Bohemiam conceſſerit, Dubrauius cauſſam ita reddit: (*e*) *In Boiemia —, rege multo tempore abſente, factionibus, ſeditionibus, latrociniis, corruptis ad ſpem rapinarum paganis, militibus omnes vias inſidentibus, res vehementer turbabantur.* —

Haec

(*a*) Dec. V. Libr. V. p. 749. (*b*) Hiſt. Cr. T. XVIII. p. 29. —55. (*c*) Ap. Wagn. Sep. P. I. p. 86. (*d*) Ap. Dobn. Mon. T. IV. p. 474. (*e*) Libr. 31. p. 297.

Haec igitur atque alia pleraque regni incommoda praesentiam regis desiderabant. — Tres praesules eum assectabantur: Agriensis, Varadinus, Vaciensis; tum procerum insignium et primorum nobilium ingens numerus, cultu omnes ornatuque et clientulorum, et equorum splendidissime instructi. — Rex in arce nullum prius, quam templi D. Wenceslai tectum subiit, gratias DEO agens, tamquam salutis suae prosperitatisque auctori. — Rebus ibi compositis, *in Hungariam reuertens, aliquantulum in Morauia substitit. — Per idem tempus Stanislaus Turzo, Roma Olomucium veniens, regem suum, qua decuit reuerentia, salutauit, pontificatumque Olomucensem iniit.* Huius subinde germanus, Ioannes Turzo, Wratislauiensis episcopus euasit. Ex litteris, ad Petrum Colocensem et ab hoc ad regem datis, (*a*) *in vigilia natiuitatis M. A. D.* 1497. patet, Wladislaum ante Septembrem Budam rediuisse. Sequenti vero mense Szegedini iam fuit, quum legem suam de beneficiis, externo homini non conferendis, in gratiam Angeli, gubernatoris Petrouaradiensis, relaxauit, (*b*) *fer. 6. prox. post fest. XI. millium virginum, anno dom.* 1497. Quae res videtur ita displicuisse statibus et ordinibus, Pestinum mense Nouembri conuocatis, vt, infectis rebus, ad propria remeauerint. Wladislaus igitur irritatos Hungarorum animos placaturus, effecit, vt Alexander VI. Thomam Strigoniensem, Hippolytum Agriensem antistitem esse iusserit, (*c*) datis Romae litteris tam ad Thomam, quam ad ipsum regem, *XIII. kal. Ian. an. dom.* 1497. *pont.* 6. (*d*)

A. C.

(*a*) Ap. Wagn. Ep. Vard. p. 138. (*b*) Ibid. p. 98. (*c*) Ap. Schmitth. Ep. Agr. T. II, p. 161. (*d*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 70.—101.

A. C. 1498. *Wlad.* 8. *Ind.* 1. *P.* 15. *A.*

CCCLII. Primum ita turbulentorum regni comitiorum, vt nihil definiri concludique potuerit, exemplum anno superiore fuit editum; in dies magis defluentibus Hungariae rebus saepe deinceps edendum. Indictis igitur hoc anno Budam *ad fest. B. Georgii M.* nouis comitiis, conditum est decretum III. *minus* dictum, articulos 74. complexum, hoc ordine: (*a*) „ *I.* Diaeta — in campo „ Rákos tertio quoque anno celebretur. *II.* De „ octauarum — celebrationibus. — *III.* De octauis „ S. Michaelis. *IV.* De magistris protonotariis. — „ *V.* De iudicialium litterarum distributionibus. — „ *VI.* Consuetudines antiquae *protonotariorum* con„ scribantur. *VII.* Assessores octo in consilium ad„ mittantur, dum negotia, vniuersum regnum con„ cernentia, — tractantur. — *VIII.* Quinque ca„ sus — per regnum examinentur. *IX.* Caussae — „ damnorum — post obitum Mathiae regis — *X.* — „ Iura possessionaria occupata vsque ad festum B. „ Michaelis arch. remittantur. — *XI.* Conuentui „ Szent-Jogh ademtum sigillum restituatur. *XII.* „ Capitulum Bosnense per totum regnum exsequu„ tiones facere valeat. *XIII.* Conuentum praepo„ siturae de Saagh in comitatu Gemer. procedere „ posse. *XIV.* Litteras falsas in capitulis obsignan„ tium poena. *XV.* — Viri ecclesiastici — quo„ modo cum rege militare debeant? — *XVI.* Equi„ tem armatum quidam — de 36. portis, quidam „ de 24. — interteneant. *XVII. Officiales* — extra „ metas regni etiam militare debent. *XVIII.* Sti„ pendiarii regnicolarum quando conscribantur? —

XIX.

(*a*) Corp. Iuris Hung. T. I. p. 292.

„ *XIX.* Capitanei regii poena, qui exercitum re-
„ gni ad falsos rumores leuaret. — *XX.* Banderia
„ *ecclesiasticorum* et numerus equitum. *XXI.* De
„ regali banderio et regiorum officialium. *XXII.*
„ De baronibus, qui — militare tenentur. *XXIII.*
„ De inscriptionibus sex ciuitatum et Lusatiae. —
„ — *XXIV.* A Morauis et Silesitis, nec non Lu-
„ satia iuramentum feudi regi Hungariae, et non
„ Bohemiae, praestandum. *XXV.* De coronae sa-
„ crae conseruatione. — *XXVI.* Rex indigenis et-
„ iam vltra 100. colonos conferre potest. *XXVII.*
„ Saluus conductus 40. dierum detur infidelibus
„ et accusatis. *XXVIII.* Metarum finitimarum re-
„ ctificatio. *XXIX.* — Poena peculatorum. —
„ *XXX.* Vectigalium exactores Hungari sint. —
„ *XXXI.* Pecora, — aurum et argentum non edu-
„ cantur. — *XXXII.* In equorum eductione — so-
„ cietatem inire cum forensibus — nemo audeat.
„ *XXXIII.* Loca depositionum. — *XXXIV.* Trice-
„ simarum antiqua loca. *XXXV.* Nobiles et ec-
„ clesiastici tricesimam et tributa — non soluant.
„ *XXXVI.* Falsas vias in territorio aliorum obser-
„ uantis poena. *XXXVII.* Sal regius in antiquis
„ cameris deponendus. *XXXVIII.* De iudicio in-
„ ter nobiles et ciuitates regias. — *XXXIX.* Liber-
„ tas abrogatur Vissegradiensis ciuitatis. *XL.* Li-
„ berae ciuitates in suis libertatibus conseruentur.
„ *XLI. De nonis, vt alias.* *XLII.* Castra finitima
„ amittentes. — *XLIII.* Castrorum finitimorum per-
„ lustratio. — *XLIV.* De comite Temesiensi. —
„ *XLV.* Interregni tempore — oratores principum
„ ad comitia regni venire prohibeantur. *XLVI.*
„ Nota infidelitatis damnatorum officiales. — *XLVII.*
„ Comani, Philistaei et Rutheni nobilium colonos
„ non abducant. — *XLVIII.* De Comanorum et

„ Philistaeorum differentiis. — *XLIX.* Decimae ar-
„ gento non redimantur. *L.* Sedecimae vel quar-
„ tae plebanis — soluantur. *LI.* Decimarum ex-
„ actio. — *LII.* Christianitatis et memoriae pecuniae.
„ — *LIII.* Cathedraticum censum archidiaconi ab
„ integris ecclesiis vnum florenum — accipiant.
„ *LIV.* Agnellos et apes decimandi modus. *LV.*
„ Episcopi bona secularia pro ecclesiis non impe-
„ trent. — *LVI.* Beneficia duo — persona quae-
„ cumque ecclesiastica tenere — non valeat. *LVII.*
„ Comitatus honor ecclesiasticis personis non con-
„ ferendus. — *LVIII.* Praepositurae et abbatiae re-
„ gulares personis regularibus — conferantur. *LIX.*
„ Clerici in habitu seculari beneficia non possideant.
„ *LX.* Caussis in profanis nullus ad forum spirituale ci-
„ tetur. *LXI.* Caussis in profanis nemo cogatur respon-
„ dere coram iudicibus spiritualibus. *LXII.* Spiritua-
„ les iudices factum iuris possessionarii non iudi-
„ cent. *LXIII.* Caussae ad sedem apost. per ap-
„ pellationem tantum, non per querimoniam, de-
„ ducantur. *LXIV.* De sigillaribus pecuniis epi-
„ scopi Iaurin. et abbatis S. Martini — *LXV.* Epi-
„ scoporum contractus cum secularibus. — *LXVI.*
„ Plebani ecclesiarum, inuitis patronis, non con-
„ firmentur. *LXVII.* Beneficia ecclesiastica — in-
„ capacibus et idiotis non sunt conferenda. *LXVIII.*
„ Omnes in synodo compareant. *LXIX.* Plebani
„ per episcopos non taxentur. *LXX.* Officia duo
„ tenere possunt palatinus, C. curiae et banus Dal-
„ matiae. *LXXI.* Comites et vicecomites caussas
„ comitatus sui — cognoscant. — *LXXII.* Arma
„ et victualia infidelibus non vendantur. *LXXIII.*
„ Profugos a Turcarum imperio nemo molestet. —
„ *LXXIV.* De teloniis. — Datum Budae. — anno
„ dom. 1498." (*a*) CCCLIII.

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 104.—160.

CCCLIII. Wladislaus, Hungarorum animis per haec comitia pacatis, curas omnes ad tuendam Poloniam, cui Turcae rurſus imminebant, conuertit; fratremque Ioannem Albertum de hoſtibus, exitium Poloniae minitantibus, vt ad retundendos eorum impetus tempori ſe pararet, admonuit. Ille, rebus ſuis conſulturus, oratorem ad Maximilianum imp. et principes imperii deſtinauit; ſed quia nullas ab illis ſuppetias impetrauit; *reges Hungarus et Polonus fratres*, inquit Iſtuanfius, (*a*) *vicinitate discriminis admoniti, miſſis vltro citroque legatis,* — *foedus renouarunt, ac contra Turcas et Tartaros ceterosque hoſtes mutua auxilia decreuere. Cautum etiam in eo foedere fuit:* „ ne regum alterutri, „ ſine mutuo conſenſu, cum Turcis aut pacem „ facere, aut bellum gerere liceret. " *De Moldauia vero, cuius princeps Stephanus, militiae quidem clarus, ſed mutabili ingenio fideque vir,* — *ad partes Polonorum transierat,* — *conuentum eſt:* „ vt „ illa in poſterum in fide et clientela regum Hun„ gariae maneret: ac eidem Moldauo ac Tranſal„ pinae Valachiae principi, Raduloni, ſi bellum „ a Turcis ingrueret, vterque rex auxilium ferret. " Tabulas foederis, quod per oratores Ioannem Vitezium, ep. Veſprimien. Nicolaum de Lindua, Andream Both de Bayna, Emericum Czobor inſtauratum eſt, exhibet Dogielius, (*b*) confectas *Cracouiae, fer. VI. feſti S. Margaritae V. et M. A. D.* 1498., quas Poloniae rex eadem die; poſtridie proceres; Wladislaus vero kalendis Aug. confirmauit. (*c*)

(*a*) Libr. III. p. 28. (*b*) Cod. Dipl. T. I. p. 87.—92. (*c*) Hiſt. Cr. T. XVIII. p. 160.—177.

A. C. 1499. *Wlad.* 9. *Ind.* 2. *P.* 31. *M.*

CCCLIV. Wladislaus, hac confirmatione non contentus, nouos oratores, Dominicum, Varadiensem episcopum, et Balthasarem de Batthyan, banum et capitaneum Bosniae castrorum, in Poloniam misit, et rursus eadem pacta per eosdem rata habuit, (*a*) *Cracouiae, feria* 3. *prox. post fest. BB. Tiburtii et Valeriani MM. A. D.* 1499. His in Hungariam reuersis, alii quoque praesules et proceres eadem confirmarunt, *Budae, fer.* 4. *prox. ante fest. pentecostes, an. dom.* 1499. Inter subscriptos legitur etiam *Bartholomaeus, prior Auranae*; non igitur Danubio mersus vel perpetuo carceri traditus fuit, vt Bonfinius et Istuansius perhibent. Suam ille caussam apud sedem apostolicam egit, vt instrumenta litteraria docent. (*b*) Osualdus Zagrabiensis in eo diplomate non comparet, hoc anno mortuus, postquam 33. annis, quibus ecclesiae huic praefuit, nullis laboribus pepercit, vt fundos ecclesiae suae distractos restitueret. Ex 63. millibus florenorum, industria sua congestis, nonnisi 2300. consanguineis reliquit; *ad labores castrorum finitimorum, videlicet Faicza, Nandoralba, Sabacz et Feurim* 32. *millia flor.* ecclesiae Zagrabiensi 10. millia, totidem regi; (*c*) cui Stephanus quoque Zapolya palatinus, exeunte hoc eodem anno defunctus, duos equos cum quibusdam vasis legauit. (*d*) *Successit ei*, scribit Istuansius, (*e*) — *Petrus Vingartus, cognomine Gerebus, Mathiae regis consobrinus, qui, viuo Mathia, exercitus Germanici*

(*a*) Ap. Dogiel. T. I. p. 95.—99. (*b*) MSS. Heuenes. T. II. p. 40.—50. (*c*) Ap. Farlat. T. V. p. 509. (*d*) Ap. Wagn. Seep. P. I. p. 148. (*e*) Libr. III. p. 29.

manici praefectura functus fuerat, arce — Valpone ab illo donatus (*a*)

A. C. 1500. *Wlad.* 10. *Ind.* 3. *P.* 19. *A.*

CCCLV. Dum annus a facro diademate Roma misso quingentesimus iniisset, multos Romam Hungaros exciuit ingens ac rarus ille iubilaei thesaurus, quem Alexander VI. orbi Christiano promulgauit. Quosdam ex iis in via male multatos a Turcis Istuansius refert, (*b*) a quibus Veneti quoque pressi, Hungarorum opem implorarunt, et satagente Thoma Strigoniensi, (*c*) *foedus cum Wladislao percusserunt iis conditionibus:* „ Vt in Turcas statim, omni„ bus promotis copiis, arma conuertat: senatus „ autem Venetus eamdem pecuniae summam, quan„ tam Mathiae regi soluere consueuerat, in singulos „ annos centies mille numos aureos numerare debeat; „ donec bellum confectum fuerit. “ *Huic foederi feriundo Wladislaus, Alexandri maxime auctoritate adductus, subscripsit, qui et ipse* „ — se in triennium singula 40. millia numum aureorum subsidii „ nomine daturum “ *pollicebatur. Itaque bellum — decernitur: — Ioanni Coruino, Dalmatiae et Illyrici proregi; — Iosepho Somio, Temesuarii; Petro C. S. Georgii, Transsiluaniae praefectis, aliisque limitaneis pecunia in stipendium ad conducendos milites datur.* Quid hi Venetorum caussa praestiterint; postea dicemus, quam acta comitiorum, in quibus bellum Turcis decretum fuit, retulerimus. (*d*)

 CCCLVI.

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 178.—196. (*b*) Libr. III. p. 29. (*c*) Id. Libr. IV. p. 29. (*d*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 196.—293.

CCCLVI. Comitiis igitur in campo Rákos festo S. Georgii celebratis, conditum est decretum IV, cuius articuli 43. hac ferie fequuntur; (e) „ *I.* Co-„ mitia celebrentur iuxta modum praefcriptum in „ tertio decreto. — *II.* Iudiciorum celebratio. — „ *III.* Cauffarum fecundum vetuftatem leuatio. — „ *IV.* Cauffae femper pro antiquitate citationum le-„ uentur. *V.* Iudiciales per protonotarios omnibus „ oftendantur. *VI.* Cauffae appellatae — coram „ iudice curiae regis. — *VII.* Appellationum in „ reuifione qui intereffe apud regem poffint? *VIII.* „ Iudices tempore difcuffionum fuarum cauffarum — „ exire debent. — *IX.* In Sclauoniae et Tranffiluа-„ niae regnis — iudicia. — *X.* De iudicio regni. — „ *XI.* Litterae adiudicatoriae. — *XII.* Extradata iu-„ dicialium. — *XIII. XIV.* Euocationes. — *XV.* „ Procuratoris reuocatio. — *XVI.* Dotaliciorum — „ cauffae. — *XVII.* De impignoratis caftris. — „ *XVIII.* Iuramenta. — *XIX.* Repulfio. — *XX.* De „ occupationibus caftrorum. — *XXI.* Exercituandi „ modus. — *XXII.* Gentes conferuent DD. prae-„ lati. — *XXIII.* Coronae conferuatio. — *XXIV.* „ Ciuitates liberae. — *XXV.* Equi non educantur. „ *XXVI.* Tricefimatores. — *XXVII.* Nona frugum „ et vini. — *XXVIII.* A comitatibus villae abftra-„ ctae ad eosdem comitatus redeant. *XXIX.* No-„ nae dominorum terreftrium ante exactionem de-„ cimarum exigantur. *XXX.* Decimatores. — *XXXI.* „ Georgius, el. Vefprim. fecretarius regis, duas digni-„ tates obtinere poteft. *XXXII.* Abbatiae et praepofi-„ turae regulares fecularibus non conferantur. *XXXIII.* „ Ciues — in cauffis profanis ad ecclefiafticum iu-„ dicem non citentur. *XXXIV.* Fifcales ecclefia-

„ rum

(e) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 306.

„ rum cessare debent. *XXXV.* Vicarii Hungari
„ sint. — *XXXVI.* Plebani in rebus secularibus DD.
„ praelatorum non occupentur. *XXXVII.* Litterae
„ — super pecuniis sigillaribus in iudicio produ-
„ cantur. *XXXVIII.* Cathedratica ab ecclesiis pe-
„ nitus desolatis non exigantur. — *XXXIX.* Taxa
„ litterarum. — *XL. XLI. XLII.* De teloniis. —
„ *XLIII.* Decreta — obseruentur. — Datum in cam-
„ po Rakos — anno dom. MD. a (a)

CCCLVII. Non omnium comitiorum acta hoc decreto comprehendi, clarum est ex his Wladislai litteris, quibus subsidium in bellum Turcicum mittere Saarosienses iubet: (*b*) „ Memoria vos tenere
„ non dubitamus, qualiter in proxima generali con-
„ gregatione festi B. Georgii M. per vos ac vniuer-
„ sum hoc regnum nostrum nobis consultum, et
„ ita etiam conclusum et decretum exstitit, vt
„ treugas praesentes, quas cum Turcis habemus,
„ rumpere, illisque renunciare, atque pro nomine
„ Christi, saluatoris nostri fideque sua sancta, de-
„ fensioneque huius regni, vel totius potius reip.
„ Christianae, bellum contra eosdem Turcas ge-
„ rere debeamus. — Dat. Budae in profesto B. Ma-
„ riae Magd. an. dom. 1500. a Foedere hunc in finem cum Ludouico XII. Franciae rege, 14. Iulii sancito, (*c*) licet magnus vndique fieret apparatus, tota tamen regis ipsius expeditio contra Turcas adhaesit, seu quod decretum a prouinciis subsidium non acceperit, seu quod victoria, quam Ioannes Coruinus de barbaris retulerat, contentus fuerit. Cum enim hic ad bellum apparatus ita clam per-

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 203—245. (*b*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 17. (*c*) Ap. Dogiel. T. I. P. I. p. 447.

agi non poſſet, vt ad Turcas molitiones regis non effluerent; prius illi, quam Wladislaus, in arenam deſcenderunt, ac Iaitzam obſidione cinxerunt. Accurrit illico Ioannes Coruinus, et, vt Iſtuanfius refert, (*a*) *ipſe quoque et ceteri copiarum duces, aut vincere, aut mori parati, ſine mora quadratis agminibus occurrunt, ac ſublato vtrimque clamore, congrediuntur, diuque per aliquot horas fortiter pugnant. Sed, quum Turcae noſtrorum impetum nequaquam ſuſtinere poſſent; — tandem funduntur. — A noſtris, plena potitis victoria, caſtra capta et direpta. — Periere ex Turcis ad* 4000. — *Ex Coruini copiis amplius mille milites in prima acie deſiderati ſunt. — Liberata per hunc modum Iaicia, Coruinus magnam ab omnibus laudem conſequutus eſt.* (*b*)

A. C. 1501. *Wlad.* 11. *Ind.* 4. *P.* 11. *A.*

CCCLVIII. Hac Coruini victoria tantisper repreſſa fuit Turcarum vagandi populandique licentia. Quia tamen Wladislaus, ne quid in ditiones Hungaricas porro tentarent, ſollicitus erat; Saaroſienſes iterum de parandis melioribus copiis admonuit, (*c*) *Budae, ſabbato prox. ante feſt. purificat. V. glorioſae, anno dom.* 1501. Non minore ſtudio pontifex ſollemnem in Turcas expeditionem apparabat, hosque conatus ſuos ad cardin. Rheginum, miſſum in Hungariam ſub exitum anni ſuperioris legatum, perſcripſerat, vt Wladislao maiores ad communem cauſſam ſtimulos admoueret. *Referes*, inquit, (*d*) *ſuae maieſtati*: „ nos pecunias, quas ſibi pro ſe-

„ cunda

(*a*) Libr. IV. p. 30. (*b*) Hiſt. Cr. T. XVIII. p. 245.—269. (*c*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 20. (*d*) Ap. Rayn. ad annum 1501.

„ cunda ſolutione debemus„ paratas habere." *Sed, quum non repererimus modum, illas iſtuc commode mittendi; ordinabis, vt, cui illa voluerit, Venetiis in tempore debito perſoluantur.* Alexander, praeter 40. millia florenorum auri, quae hunc in finem Wladislao decreuerat, etiam pecuniam, occaſione iubilaei collectam, eidem addixit, vt ex Ioannis Tartzai litteris, *in feſto viſitationis V. glorioſae,* 1501. datis, (*a*) apparet. Nullam tamen iterum expeditionem Wladislaus in Turcas ſuſcepit; fortaſſe, quod in Bohemiam arma vertere coactus fuerit. Nam, vt Timon ex Trithemio refert, (*b*) *duxit hoc anno Wladislaus rex expeditionem in Bohemos haereticos, dictos foſſarios, eo quod in foſſis ac ſpeluncis noctibus conuenirent ob foedas voluptates.* Obicem expeditioni Turcicae ponere potuit etiam Alberti, Poloniae regis, obitus, qui 17. Iunii hoc anno contigit. Delatum quidem a quibusdam fuit Wladislao Poloniae regnum; *ſed*, vt Iſtuanfius ſcribit, (*c*) *quum poſtea certioribus nunciis intellexiſſet:* „ eorum ſententiam viciſſe, qui Alexandrum fra„ trem, regem omnibus ſuffragiis praetuliſſent;" *ipſe quoque factum approbauit; — collaudatosque Polonos, vt Alexandri coronationem maturarent, cohortatus eſt: ad quam etiam Sigismundum fratrem, Glogouiae principem, eo tempore Budae agitantem, — protinus amandauit.* Huic Wladislaus Oppauienſem ducatum, a Ioanne Coruino bonis aliis redemtum, ſub certis conditionibus contulit, (*d*) *Budae, in feſto conceptionis BB. V. M. anno dom.* 1501. Agnoſcit autem hunc Sileſiae ducatum *vigore certae inſcriptionis et obligationis ad coronam huius*

regni

(*a*) Ap. Wagn. Saros. p. 492. (*b*) Epit. Chron. p. 292.
(*c*) Libr. IV. p. 30. (*d*) Ap. Dogiel T. I. P. II. p. 546.

regni Hungariae spectate. Vult igitur, vt *praefatus D. dux eumdem ducatum Oppauiae;* — *a se, tamquam a rege et corona Hung. teneat et recognoscat,* reddendum, *si successu temporum* — *ad regiae dignitatis culmen* — *eueheretur.* Et euectus fuit, sexto post Alexandri scilicet mortem, anno; diutius vtroque fratre, tam Alberto, quam Alexandro, regium in Polonia ius obtenturus. (*a*)

A. C. 1502. *Wlad.* 12. *Ind.* 5. *P.* 27. *M.*

CCCLIX. Tot regum felix mater Elisabetha, Ladislai Postumi soror, praeter tres istos Poloniae reges, mutuo sibi succedentes, et Wladislaum, Hungariae Bohemiaeque regem, filios habuit Casimirum, a quibusdam Hungaris contra Mathiam regem electum, deinde sanctis adscriptum, et Fridericum cardinalem, hoc adhuc tempore superstitem, sed non multo post et ipsum in fama sanctitatis moriturum. Ex quinque hisce fratribus vnicus Alexander matrimonium iniuerat. Wladislaus igitur, iam 46. annos natus, ne, sicut Albertus frater, coelebs et improlis decederet, turbisque variis ac bellis intestinis Hungariam exponeret, animum tandem ad nuptias adiecit.. Et sponsae genus, et nuptiarum tempus his litteris, quibus Cassouienses ad eas inuitauerat, expressit: (*b*) „ — Nos, pro singulari consolatione huius regni, — coniugium „ amplectentes, ser. D. Annam de Candalle, ex „ regia stirpe Fuxorum oriundam, affinem videlicet et consanguineam Christianissimi regis Franciae, in coniugem et consortem nostram carissi„ mam

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 274—310. (*b*) Ap. Kapr. P. I. p. 295.

„ mam — accepimus. In cuius occursum et ob-
„ uiam notabiles dominos huius regni Venetias vs-
„ que iam misimus: qui cum ipsa illustrissima D.
„ sponsa nostra ad alterum mensem, proxime ad-
„ futurum, omnino hic in hoc regno constituen-
„ tur: quae ad festum B. Laurentii, similiter nunc
„ adfuturum, in Albaregali, more solito, volente
„ DEO, coronabitur: et tandem etiam nuptiae
„ celebrabuntur. Hortamur igitur — Datum Budae,
„ fer. 3. prox. ante fest. BB. Viti et Modesti MM.
„ A. D. 1502." Quia vero Gregorius Frangepanius, Vesprim. episcopus, nondum consecratus erat; eius loco reginam Thomas Strigoniensis coronauit. Quod ne praeiudicium aliquod ecclesiae Vesprimiensi crearet; Wladislaus publico diplomate cauit, (*a*) *Budae, die dom. prox. ante fest. B. Thomae ap. an. dom.* 1502. Quum Anna Budam adduceretur; Turcae, transmisso Sauo, ditiones Hungaricas populabantur. Ioannes igitur Coruinus, et Petrus Transsiluaniae; Somius, Temesuarini praefecti *coniunctis viribus*, vt Istuanfius scribit, (*b*) *Danubium transiere non procul eo loco, cui Harammo nomen est, — arcemque Vidinam — improuiso aggressi, — paruo tempore cepere. — Cladoua quoque, proximum oppidum, compluresque villae, quaquauersum adiacentes eamdem fortunam subiere. — Mancipiorum et maioris minorisque pecoris ingens numerus fuit. — Haec Budam per celeres nuncios allata, ac munera non parui pretii, ex spoliis hostilibus per duces dono missa, Wladislaum simul et eius nouam nuptam singulari laetitia affecerunt.* (*c*)

A. C.

(*a*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 289. (*b*) Libr. IV. p. 31. (*c*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 310.—328.

CCCLX. Iſtuanfius annum nuptiarum et partus Annae confundere videtur, quum ait, (*a*) eam, *nuptiis regali luxu peractis, primo anno pulchram prolem eiusdem nominis, Annam, enixam eſſe.* Nuptias anno ſuperiore ſub medium Auguſti peractas fuiſſe, docuimus ex ipſius Wladislai litteris; Annam vero hoc anno 23. Iulii natam eſſe, regis eiusdem haec epiſtola, qua natiuitatem filiae regnicolis annunciat, oſtendit: (*b*) „ — Scire vos cupimus, „ quod DEVS omnipotens hac die nobis prolem „ conceſſit, et ex ſer. D. Anna regina — pulcherrimam filiam ſuſcepimus. — Datum Budae, die „ dom. prox. ante feſt. B. Iacobi ap. anno dom. „ 1503." Huius natiuitas Wladislai dolorem, quem ex obitu tam Friderici fratris, quam Eliſabethae matris hauſerat, vtcumque leniuit. Superſtes Eliſabethae filius, Alexander, Poloniae rex, aduerſus Stephanum, Moldauiae vaiuodam, quod ad Danaſtrum fl. plagam ſatis amplam, quam Poloni ſui iuris eſſe contendebant, occupauerit, querelam ad Wladislaum fratrem detulit. Hic, ne pro Stephano, ſibi fiduciario iure ſubiecto, contra fratrem arma ſumere cogeretur, conſilia pacis eidem ſollicitis litteris propoſuit, (*c*) *datis Budae, in feſto S. Galli, anno dom.* 1503. Harum litterarum Timon quoque meminit; (*d*) *in iis*, inquit, *Wladislaus rex Stephanum, praefectum Moldauiae, SVVM vaiuodam appellat.* Argumentum hoc eſt certiſſimum, quo reges Hungariae ius in Moldauiam his temporibus obtinuiſſe docetur. Dum Wladislaus hac ratione

(*a*) Libr. IV. p. 31. (*b*) Ex MSS. Cornides. (*c*) Ap. Pray Diſſert. VII. p. 149. (*d*) Imag. N. Hung. C. 13. p. 147.

tione ius regum Hung. contra Polonos in Moldauiam asserit; eam tamen in Poloniam, patriam suam, caritatem retinuit et exercuit, vt, quum intellexisset, Turcas nouam in Polonos expeditionem moliri; maluerit cum barbaris inducias inire, quam cursum victoriarum prosequi. Hanc fuisse praecipuam caussam sancitarum cum barbaris septennalium induciarum, apparet ex ipsius Wladislai litteris, ad Chienses datis, (a) *Budae*, 26. *Decembris*, *anno dom.* 1503. „Licet, *inquit*, bellum coeptum suo „cursu prosequi, et nostros successus pro salute „publica — vrgendos etiam statueramus; tamen, „quum animaduertissemus, caesarem illum — mo„liri — fraterno Poloniae regno — ferale exci„dium; — accedente saniori confoederatorum con„silio, et praesertim *Veneti* dominii, cum Turco „ipso *supplice pacem poscente*; — repudiato pacis „nomine, foedus induciale, et quidem septenna„le, felici omine iniuimus.“ Errat igitur Istuanfius, quum de his induciis ita scribit: (b) *Wladislaus per Barnabam Belaium — inducias octennales non sine difficultate composuit.* Septennales enim erant induciae, non ab Hungaris, sed a Turcis supplicibus petitae. (c)

A. C. 1504. *Wlad.* 14. *Ind.* 7. *P.* 7. *A.*

CCCLXI. Wladislaus, induciis cum Baiazete compositis, ad curandas res domesticas maius otium nactus, ad campum Rákos ordinibus regni pro festo S. Georgii conuentum indixit. Dum illuc optimates ac nobiles magno numero confluxissent; tristis de

(a) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 305. (b) Libr. IV. p. 31.
(c) Hist. Cr. T. XVIII. p. 334—354.

de Petri Gerebi, Hung. palatini, morte nuncius aduenit; nullusque fuit, qui propter egregias eius virtutes bellicamque virtutem intempestiuum hunc obitum moleste non tulerit. *In eius locum*, inquit Istuanfius, (*a*) *communibus suffragiis vir grauis et seuerus, Emericus Perenius, sublectus est: — qui etiam non multo post, viduam ipsius Gerebi, Dorotheam Kanisianam, connubio sibi iunxit; sicque arce Valpone potitus est.* Conditum in his comitiis decretum V. hos articulos continet: (*b*) „ *I.* — „ Contributio regi non offeratur domi aut priua- „ tim, sed in diaeta. — *II.* Comitum, iurare no- „ lentium, poena. — *III.* Comitatuum honores in „ perpetuum non conferantur. *IV.* Repulsionis se- „ cundae poena. — *V.* Communis inquisitionis — „ turbatores. — *VI.* Occupationes nouae. — *VII.* „ Pignoratum ius. — *VIII.* Vice - comitum facul- „ tas iudicandi. — *IX.* Comitum poena, facere „ exsequutionem negligentium. *X.* Regis auctoritas „ in conferendis bonis. — *XI.* Nouum iudicium. „ — *XII.* Caritatiuum subsidium. — *XIII.* Diffe- „ rentia — ratione quartarum. — *XIV.* Procurato- „ riae litterae. — *XV.* Responsio propria — non re- „ uocatur. *XVI.* Colonis migrantibus licentia per „ iudices nobilium accipiatur. *XVII.* Mensura — „ per totum regnum vna seruetur. *XVIII.* Vena- „ tio et aucupium rusticis prohibitum. *XIX.* No- „ biles, vina educentes, — non molestentur. *XX.* „ Inscriptio sex ciuitatum et Lusatiae quo in statu „ sit? — *XXI.* An iuramentum fidelitatis a Mora- „ uis et Silesitis, tamquam feudatariis regni, ex- „ actum sit? *XXII.* Ciuitates Sopron et Bartfa — „ redimantur. *XXIII.* Excommunicantes vel inter-

„ dictum

(*a*) Libr. IV. p. 32. (*b*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 315.

„ dictum indebite pro decimis ponentes coram re-
„ ge conueniantur. *XXIV.* Praelati banderiati exer-
„ cituare — tenentur. *XXV.* Citationes in foro
„ ecclesiastico cum expositione decernantur. *XXVI.*
„ Plebani, patronis inuitis, confirmari non debent.
„ *XXVII.* Abbatiae et praepositurae religiosis con-
„ ferantur. *XXVIII.* Equorum armenta et peco-
„ rum greges e regno non debere pelli. — *XXIX.*
„ Teloniatores, nobiles in teloniis molestantes, in
„ curiam regiam euocentur. *XXX.* Pro transmissio-
„ nibus regnorum Dalm. Croat. Sclau. et Transsil-
„ uaniae reuidendis 40 diebus iudiciorum 4. ad-
„ dantur. — *XXXI.* Decreta in vnum corpus red-
„ igantur. Datum in campo Rákos, 15. die —
„ congregationis, anno dom. 1504." Mathiae cognatis et heroibus, in eius castris enutritis, sensim emorientibus, felicitas quoque Hungariae sensim sine sensu defluxit, neque procerum prouidentia tot legibus regni ruinam impedire potuit. (*a*)

CCCLXII. Laudato decreto subscriptus quidem adhuc legitur *Ioannes Coruinus, Liptouiae dux ac regnorum Dalm. Croat. Sclau. banus*; sed et illum, vt Istuanfius refert, (*b*) *intemperies eius autumni malignaeque febres, in ipso aetatis flore, rebus humanis exemere; quum 35. aetatis annum nondum expleuisset. Reliquerat quidem liberos ex Beatrice Frangepana Christophorum et Elisabetham; sed qui in tenera aetate fato functi, nomen et familiam eius propagare non potuerunt. Viduam eius, integra aetate, forma praecellenti, opibusque et fortunae bonis affluentem, postquam morientis viri funera eluxisset,*

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 359—384. (*b*) Libr. IV, p. 32.

set, Wladislaus Georgio, marchioni Brandenburgensi, sororis suae filio, connubio iunxit, heredemque omnium ex asse constituit. Verum is prodigentia et luxu intolerabili effuse largiendo, insanosque sumtus et immoderatos faciendo, omnem substantiam, quae opulentissima et plane regia erat, paucorum annorum curriculo profligatam decoxit ac dissipauit, postremoque, nullis susceptis liberis, vitam finiuit. Huc tandem opes Coruinianae reciderunt! Ita celeberrima haec et optime de regno merita stirps exaruit! Hoc anno reipsa Coruinum obiisse testatur eius epitaphium, in Lupoglauiensi templo his verbis inscriptum: (*a*) „ Anno domini 1504. Octo„ bris 12. die, hora 11. nocturnali, heros vltimos „ dies Ioannes Coruinus clausit. — " Illius nouerca Beatrix, quum ab Wladislao dotem suam impetrare non potuisset; ad nouum pontificem, Iulium II. anno superiore Pio III. suffectum, confugit, qui regem per litteras monuit, vt Beatricis petitioni satisfaceret; eiusque caussam etiam Bakatsio cardinali commendauit, (*b*) *ne, quae regio genere orta regique nupta fuit, aliena ope vitam, prout hactenus fecit, sustentare cogatur.* Ita tam gloriosi Hungariae regis vidua suis tandem aerumnis immortua fuit. At Wladislaus, qui iustam ac debitam Beatrici dotem subtraxit, in suum fratrem Sigismundum adeo se liberalem exhibuit, vt querelis et clamoribus Hungarorum occasionem praebuerit. Dum illi maximam de Lusatia sollicitudinem articulo 20. proximorum comitiorum expresserunt; illam Wladislaus ita Sigismundo contulit, (*c*) „ vt omni„ bus feudatariis in marchionatu inferioris Lusatiae ius

(*a*) Ap. Ratkai Mem. L. III. p. 110. (*b*) Ap. Schmitth. Ep. Agrien. T. II. p. 167. (*c*) Ap. Dogiel T. I. P. I. p. 25.

„ ius feudatarium in bona eorum, non secus, ac „ supremus et absolutus terrarum illarum dominus, „ concedere possit. Datum Budae, fer. VI. die „ S. Bonifacii, anno Christi 1504." Nec illud digerere satis Hungari potuerunt, quod, licet in comitiis pluribus lex perlata fuerit, vt nonnisi patriae filiis dignitates tam sacrae, quam profanae conferrentur; ille tamen Petrum cardin. Rheginum, virum quidem doctum, sed exterum, episcopum Vesprimiensem creauerit. (*a*)

CCLXIII. Wladislaus, audita morte Stephani, Moldauiae principis, *veritus, ne regnum illud Moldauiae, quod in iure huius regni exsistit*, vt ipse loquitur, (*b*) *in manus hostium deueniat*, copiis apparari iussis Emericum de Perén, regni Hung. palatinum praefecit. *Dat. Budae, in festo B. Iacobi ap. anno dom.* 1504. Ad hunc igitur annum referenda sunt, quae sine certa nota temporis Istuanfius ita narrat, (*c*) *Stephanum quoque, Moldauiae principem, — diuturnis articulorum doloribus — et senio afflictum, hoc tempore e viuis excessisse, memoriae proditum est. Fuisse is dicitur per omnem vitam disciplinae militaris scientia et rebus bello praeclare gestis inclitus et celebratus. — Fluxa tamen fides et instabilis moresque efferi — rerum gestarum famam et gloriam haud obscure eluebant; quum modo Polonis, modo Pannoniae regibus adhaerendum duceret, neutris fidus constansque. — Bogdanum, filium vnicum, altero captum oculo, successorem heredemque habuit, imparem militiae; sed iisdem inconstantiae*

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 384.—390. (*b*) Ex MSS. Bibl. Quinqueecclesiensis. (*c*) Libr. IV. p. 32.

stantiae ac periurii corruptelis. Huc pariter reuocandum est bellum, Venetis indictum a Iulio II. cuius ibidem Istuansius ita meminit: *Dum Alexander pontifex — e viuis excessisset*, (18. Aug. 1503.) *ei post Pium III. intra mensis spatium vita pariter functum, Iulius suffectus est* (1. Nouembris 1503.) — *Is capitali odio Venetorum nomen prosequutus, Maximilianum imp. Ferdinandum, Hispaniae, et Ludouicum, Galliae reges, ceterosque totius fere Italiae et Germaniae principes certis de caussis, et* „ quod ab iis complures Romanorum pontificum „ vrbes praeter fas et aequum vsurpari " *diceret, aduersus illos concitauit.* Ad idem bellum inuitauit etiam Wladislaum, qui quum foedere se prohibitum, legatos tamen pro restituendis ecclesiae rebus missurum esse, respondisset; gratias egit pontifex, ac *optat*, „ vt Veneti resipiscant, ac eius ora„ toris verbis ac suasionibus magis permoueantur, „ quam moti sunt aliorum regum et principum ca„ tholicorum, qui omnes ferme nunciis et litteris „ eos ad restitutionem huiusmodi sunt exhortati. — „ Dat. Romae, — die 26. Iulii, anno dom. 1504. „ pontif. I." (*a*) Postridie Hungaris auxilium aduersus Turcas pollicitus est. (*b*)

A. C. 1505. *Wlad.* 15. *Ind.* 8. *P.* 30. *M.*

CCCLXIV. Idem Iulius II. pontifex, postquam ex Petro Rhegino, Romam ex Hungaria reuerso, didicisset, quanto studio regni proceres bellum Turcicum complexi fuerint, vehementer gratulatus, ac eosdem ad prosequendum idem studium exem-

(*a*) Ap. Rayn. ad an. 1504. (*b*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 395.—400.

exemplo maiorum, *quorum bellicum decus in ipsis quoque hac aetate refulget*, adhortatus, *in hac parte numquam illis se defuturum* promisit, (*a*) *Romae, 30. Ianuarii*, 1505. Totidem fere verbis et adhortationem, et promissionem, datis ad nobiles Hungariae litteris, eadem die repetiit. Ne tamen, pro voto procerum et nobilium, expeditionem in Turcas Wladislaus susciperet; exhausti penitus aerarii defectus impediuit, qui tantus erat, vt prouinciarum praefectis latifundia pro numis assignare coactus fuerit. Ita, quum Ioanni Tartzai, Siculorum comiti, *ob alias*, vt ipse loquitur, (*b*) *plerasque necessitates, de solutione salarii sui prouidere et solutionem facere nequiuisset*; oppidum Aldiod, in comitatu Hunyadiensi situm, quod post Ioannis Coruini filiique Christophori mortem ad fiscum iusque regium recidit, eidem in XII. millibus florenorum inscripsit, *Budae, in vigilia festi assumtionis B. V. M.* Tantam inopiam tot regnorum et prouinciarum principis Hungari simul admirati, simul ignauiam eius detestati, magnis animorum motibus comitia celebrarunt; quoue tandem communis eorum dolor euaserit, Istuansius ita memoriae prodidit: (*c*) *Comitiis eius anni in campo Pestano — habitis, de Morauia, Silesia et Lusatia acriter disputatum est. Nam nobilitatis ordines eas prouincias, a Mathia rege imperio Hungarico — armis acquisitas, auelli ac Bohemiae adiungi aegerrime ferebant, Wladislaumque, vt pactorum fidem obseruaret, serio, nec sine tumultu, admonebant. Sed is desidiosa taciturnitate vota et petitiones eorum, quamquam iustas, alto silentio transmittere erat solitus, magno omnium il-*

(*a*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. II. p. 205. (*b*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 397. (*c*) Libr. IV. p. 33.

lorum dolore. In quo quum nobilitas summum sibi et reip. iniuriam fieri existimaret; nec in praesens aliter sibi consulere posset; — collatis omnium votis et suffragiis decreuit: „ ne in posterum vllo vnquam tempore, si rex Wladislaus absque herede „ masculo decederet, alienae gentis et sanguinis „ regem sibi deligendum proponerent; *addita* „ *atroci denunciatione*: vt, qui contra hanc legem „ fecissent, eorum bona fisco addicerentur: ac ipsi „ liberique et posteri eorum vniuersi aut perpetuo „ exsilio, si capi non possent; aut capti, praesen„ tissima extremi supplicii poena plecterentur. " *Hanc legem, Thoma Bocacio, S. Martini in montibus cardinale, archiep. Strigon. iam Roma reuerso, atque aliis* 10. *episcopis*, 40. *senatoribus*, — *nec non* 180. *proceribus, et quam plurimis ex equestri ordine praesentibus, nec quoquam contradicere auso, latam, Stephanus Verbecius, regni praetor, eloquens, sed factiosus vir, statim publicauit, reip. conseruandae praetextu, vt aiebat, re autem vera, vt Ioannis Zapolyiani, comitis Scepusiensis, iam pridem regnum affectantis, ambitioni libidinique viam aperiret.* (*a*)

CCCLXV. Quod Istuansius de Ioanne Zapolyio, *iam pridem regnum affectante*, suspicatur, fidem vix meretur. Nam qua tandem spe regnum affectare poterat, qui nondum vllum in regno publicum munus, praeter hereditarios titulos, gerebat? Bene Praius obseruat, (*b*) *non ei postea Wladislaum amplissimas prouinciarum praefecturas crediturum fuisse; si affectati regni suspicio locum, aut veri speciem apud regem obtinuisset:* beneque credit, *ex rebus*

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 400.—422. (*b*) Annal. P. IV. p. 317.

bus, sub Ludouico gestis, suspicioni huic caussam oblatam esse: bene denique corrigit illos, *qui Stephanum palatinum, Ioannis Scepusiensis patrem, in viuis tum adhuc egisse, quum ordines edictum de legendo domestico rege condiderunt, sibi persuadent; Annamque, regis filiam, Ioanni desponderi postulasse, Wladislao ob infirmam valetudinem paene consentiente: quum tamen compertum sit, Stephanum multo ante rebus humanis exemtum fuisse, quam Wladislaus Annam Candalensem connubio sibi iunxisset.* Certe iam tertius ab illo palatinus in decretis Wladislai legitur. Et si cetera testimonia deessent, vel illud sufficere posset, quo Heduigis viduam se dicit, quum ante haec comitia Ioanni Horváth praeposituram Scepusiensem ita confert: (*a*) „Nos Heduigis, ducissa Tessinensis, illustris „ *quondam* D. Stephani de Zapolya, comitis perpetui terrae Scepusien. ac regni Hung. palatini, — „ *relicta*, nec non Ioannes et Georgius de praedicta „ Zapolya, — filii eiusdem, praeposituram ecclesiae „ B. Martini de Scepus — auctoritate nostri iuris „ patronatus, — praefato Ioanni duximus dandam. „ — Dat. in castro nostro Trenchiniensi, fer. 4. „ ante octauas festi SS. corporis Christi, anno eius„ dem 1505." Quum igitur Stephanus Zapolyius iam hic defunctus innuatur; non potuit in illud decretum influere, quod conditum est (*b*) *in campo Rákos, quinto decimo die congregationis generalis* (13. Oct.) *anno dom.* 1505. Decretum istud Hungari condere non potuissent; si quam vim inesse pactis, inter Mathiam et Fridericum, vel inter Wladislaum et Maximilianum initis, credidissent.

(*a*) Ap. Wagn. Scep. P. III. p. 73. (*b*) Ap. Battyani leg. eccl. T. I. p. 562.

Vnde nouum nascitur argumentum ad infirmandam eorum sententiam, qui pactiones illas necessaria Hungarorum potiorum consensione confirmatas fuisse contendunt. (*a*)

A. C. 1506. *Wlad.* 16. *Ind.* 9. *P.* 12. *A.*

CCCLXVI. Fuit tamen ea prouidentia Maximiliani caesaris, vt, siue vetus in Hungariam ius posteris suis assecturus, siue nouum acquisiturus, cum Wladislao de matrimonio non tantum natae, sed etiam nasciturae prolis ageret. Id indicant litterae, quarum argumentum Kollarius ita refert: (*b*) „ Maximiliani, Rom. regis, litterae de futuro matrimonio inter nepotem suum, Ferdinandum, A.A. „ et Wladislai, H. et B. R. filiam Annam, aut, „ ipsa decedente, alteram filiam, ex regina Hungariae tunc grauida fortasse nascituram. Dat. in „ Noua ciuitate, die 20. Martii, anno 1506. Eiusdem litterae de futuro matrimonio inter neptem „ suam, Mariam, et Wladislai, H. et B. regis, filium, ex regina, vxore ipsius, tunc grauida, „ fortasse procreandum. Dat. *vt supra.* Litterae „ reciprocae Wladislai, H. et B. regis, *vt supra.* „ Dat. Budae, 27. Martii, anno 1506. " Haec pacta nuptiarum ante Ludouici natiuitatem, vt apparet, sancita sunt; quae tamen Istuanfius, ordine perturbato; post Ludouicum iam editum, Annamque reginam partus doloribus exstinctam, ita narrat: (*c*) *Maximilianus Cuspinianum — Budam misit, partim vt Wladislaum salutaret, deque nati non ita pridem Ludouici laetitiam — declararet, partim*

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 423.—438. (*b*) Post Velium Indic. p. 324. (*c*) Libr. IV. p. 34.

tim ut regis animum, ob immaturum coniugis obitum tristitia et moerore confectum, verbis et oratione consolaretur. — *Postulabat, praeter supra dicta, ab Wladislao aliquos ex secretioribus amicis ad caesarem mitti, cum quibus de foedere sanciendo, eoque affinitate mutua confirmando, — decernere posset.* Atqui iam ante Ludouici natiuitatem et affinitatem Wladislaus cum Maximiliano contraxit, et legatos ad eumdem cum plena rerum agendarum potestate 24. *Iunii* misit. (*a*) Consenserunt in hanc legationem Albaregali missam, 27. antistites et proceres, data quidem agendi potestate, sed cum hac cautione: *iuxta nostram informationem.* Maximilianus, pacis conditionibus recensitis, addidit: (*b*) „Reseruamus tamen nos rex Maximilianus nobis et heredibus nostris expresse omnia et singula hereditaria et alia quaecumque iura, quae ad regnum Hung. et pertinentia hucusque habuimus." — Dat. in ciuitate Viennensi, die dom. 19. mensis Iulii, an. dom. 1506." Verinus admiratur, (*c*) *quod primores Hungari, qui excludendis omne in aeuum externis principibus ab imperiis Hungaricis in campis Rákos anno 1505. maxime desudabant, pacem hanc plurimum promouerint.* Atqui pauci de plurimis, et nonnisi 27. in hanc legationem, peragendam *iuxta suam informationem*, consenserunt. Qualis haec informatio fuerit, non liquet. Id certum est, etsi Maximilianus addat, se ius *ad regnum Hung. reseruare*; consensum tamen in hoc punctum nec oratorum, nec procerum illorum exprimi; hinc proinde perperam inferri, decretum anni superioris immutatum esse. Quid, quod Maximilianum,

 etiam

(*a*) Ap. Koll. Auct. Dipl. p. 266. (*b*) Ibid. p. 270. (*c*) Comm. Iurid. p. 138.

etiam post compositam hanc pacem, arma per Hungariam circumtulisse, constet ex Ioannis de Zapolya litteris, ad Stephanum de Rozgon datis, (*a*) *feria 4. prox. ante fest. B. Sophiae viduae* (30. Sept.) *anno dom.* 1506. Cuius rei non alia verisimilior caussa reddi potest, quam quod in eam conditionem Hungari non consenserint; nec enim vllo testimonio doceri potest, illos consensisse. (*b*)

CCCLXVII. Dum Wladislaus oratores ad Maximilianum expediuisset; tanta rerum necessariarum inopia premebatur, vt coactus fuerit Emerico Perenio, Hungariae palatino, Cibinium pignori dare, litteris confectis (*c*) *in ciuitate Albaregali, in festo natiuitatis B. Ioannis B. anno dom.* 1506. Dum oratores illi Viennae cum Maximiliano negotium pacis tractassent; Anna regina filium Ludouicum felici, dicam, an infelici partu, kalendis Iuliis, edidit. *Sed et illa*, scribit Istuanfius, (*d*) — *non ita multo post puerum peperit, incredibili patris laetitia; quem in gratiam memoriamque consanguinei, Galliae regis, Ludouicum nominauit.* — *Quae tamen gaudia mors ipsius puerperae, grauissimis partus doloribus accelerata, paucos post dies* — *vehementer corrupit, rege in acerbissimos luctus et lacrimas conuerso; quas auxere nuncii e Lithuania* „ Alexandrum fratrem, dissolutis omnium membro„ rum compagibus (19. *Aug.*) exstinctum " *adferentes: et quotacumque solatii pars fuit Sigismundus frater, quem vnice amabat, in illius locum a Polonis et Lithuanis rex constitutus;* — qui *regnum adeptus*

(*a*) Ap. Wagn. Scep. P. IV. p. 35. (*b*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 439.—459. (*c*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 195. (*d*) Libr. IV. p. 33.

adeptus, Glogouiam ac Silesiae praefecturam Wladislao bona fide restituit. Subiungit Istuanfius veterem Siculorum legem, qua *quoties regina masculam prolem eniteretur*, a singulis domibus singulos boues dare debebant. Sed quum a duobus fere seculis nulla regina masculam prolem effuderit, ea lex in obliuionem iuit, armisque Siculi per Paullum Tomoreum cogi debebant, vt imperata facerent. In malum id omen quidam verterunt, quod Ludouici natiuitas bellum ciuile suscitauerit, et idem Tomoreus belli, quod post natiuitatem et ante mortem eiusdem gerebatur, infelix dux fuerit. Addit Brutus aliud omen, (*a*) *natum Ludouicum, nudatum cute, — in sue media, per spinam secta, — medicos impositum habuisse.* (*b*)

A. C. 1507. *Wlad.* 17. *Ind.* 10. *P.* 4. *A.*

CCCLXVIII. Ioannes Michael Brutus, Venetiis excesse iussus, post varios errores Pragam ad Rudolphum profectus, eo iubente, res Hungaricas scribere coepit anno 1591. Hic in carpendis moribus principum nimis audax et temerarius, Wladislai regis ob mortem Annae coniugis luctum indigne traducit, quasi post obitum eius a regni procuratione penitus animum auertisset. Quod quidem falsum esse tam plura diplomata, pro bono publico defuncta coniuge data, quam publica regni comitia, cum ordinibus in campo Rakos hoc anno post festum S. Georgii celebrata, docent, in quibus editum decretum VI. vicenos articulos complectitur, hoc ordine: (*c*) „ *I.* Sententiae iudicum exsequutioni

(*a*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 322. (*b*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 459.—472. (*c*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 321.

„ tioni demandari debent. — *II.* Bona restatuta
„ reoccupans incidit in notam infidelitatis. *III.* De
„ iudiciorum celebratione. — *IV.* De assessoribus. —
„ *V.* Officia maiestas regia cum consilio distribuat.
„ *VI.* Rex, ex veteri consuetudine, mille equites
„ seruet. *VII.* Siquis in consilio regio contra re-
„ gni decreta ageret; ab assessoribus in diaeta de-
„ nunciari debeat. *VIII.* Contra statuta regni pec-
„ cans puniri debeat. *IX.* — — De prorogationi-
„ bus pro peregrinis. — *X.* — Pecora e regno non
„ abigantur. *XI.* Monetae externae in regnum
„ non inducantur. *XII.* Comitiorum tempore —
„ nusquam iudicia celebrentur. *XIII.* Pluralitas
„ beneficiorum non toleretur. *XIV.* Inhibitione
„ vti non potest in alia caussa sub iisdem iudiciis
„ comparens. *XV.* Decimam et nonam coloni
„ quomodo soluant? *XVI.* Bona occupata queru-
„ lantibus remittantur. *XVII.* Quorumdam iudi-
„ ciorum cassatio. *XVIII.* Iudicia differantur. *XIX.*
„ Limitum regni et metarum rectificatio. *XX.*
„ Compilatio decretorum fiat." Postremo superio-
rum comitiorum articulo haec eadem decretorum
compilatio demandata fuit, quam Wladislaus Ste-
phano Verbötzio, iudicis curiae protonotario,
commisit. (*a*)

CCCLXIX. Etsi haec ostendant, Brutum somniasse, materiamque verbosae narrationis et in politicae leges excursionis contra veritatem historicam confinxisse, quum Wladislaum ita doloribus immersum depingit, vt illum omnem reip. curam posuisse comminiscatur; id tamen luculentius apparet, ex noua pactione, quam in commodum vtriusque regni cum Sigis-

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. 472. — 499.

Sigismundo fratre, Poloniae rege, fecit. Hic inter alia vetus illa de Moldauiae possessione lis ita dirimitur (*a*) „ Quia ex parte Moldauiae ac woiuodarum „ eiusdem variae hucusque, et quidem periculosae „ interdum differentiae inter serenissimos praede- „ cessores nostros, reges Hung. et Poloniae, ex- „ stitere; postquam igitur nos duo germani fratres, „ iisdem parentibus editi, habenas imperiorum „ eorumdem regnorum moderamur; — quo omnis „ occasio futurae alicuius alienationis animorum — e „ medio tollatur,— conclusum est, vt— ratione terrae „ Moldauiae — nullae vmquam differentiae — „ oriantur; sed terra illa apud nos et hoc re- „ gnum sacramque coronam et regnum Hungariae „ maneat; ipseque voiuoda, pro tempore consti- „ tutus, nos et heredes nostros pro domino eo- „ rum cognoscat, et fidelitatis homagium semper „ praestare debeat. —“ Mutua dehinc auxilia, „ praecipue contra Turcas, promittuntur.“ Dat. Budae, feria 6. prox. ante fest. sanctae et indiui- „ duae Trinitatis, anno dom. 1507. —“ Wladislaus, publicis regni negotiis et emolumentis, partim per comitia, partim per foedera promouendis, intentus, neque priuatas res neglexit, dum et Herkfiis insignia nobilitatis contulit, (*b*) *Budae*, *fer.* 6. *prox. post fest. B. Ioannis ante portam Latinam*, *anno dom.* 1507. et septem montanas Hungariae ciuitates a praestandis tributis iterum exemit. (*c*) Tum vero de futura prolium forte sollicitus, ea, quae, priusquam Ludouicus in lucem ederetur, anno superiore constituit, hoc anno rursus instaurauit, et clarius his litteris explicuit: (*d*) „ — — Duplex „ matri-

(*a*) Ap. Dogiel T. I. p. 104. (*b*) Ap. Kerchel. Not. Prael. p. 262. (*c*) Ex apographo. (*d*) Ap. Kollar. Dipl. Auct. p. 277.

„ matrimonium, siue sponsalia, primo videlicet inter illustrissimum D. Carolum, A. A. principem Hispaniarum, — seu fratrem eius, D. Ferdinandum, vel alterum eorum, qui in archiducatu Austriae — succedet, — nepotes inuictissimi D. Maximiliani, Rom. regis, etc. ex vna; et illustriss. D. Annam, filiam nostram carissimam, ex altera partibus; et secundo inter illustriss. D. Ludouicum, primogenitum nostrum, ex vna; et illustriss. D. Katherinam, postumam quondam ser. principis, D. Philippi, fel. record. regis quondam Castellae, Legionis et Granatae; — aut, si illa ante annos nubiles ex humanis decederet; inter Mariam, sororem eius, penultimo genitam filiam praefati ser. D. regis Philippi, — neptes praememorati inuictiss. D. Maximiliani, R. R. — ex altera partibus, amicabiliter concordauimus. — Dat. Budae, die Veneris, 12. mensis Nouembris, anno dom. 1507." Effectus huius pactionis erat, vt Ludouicus Mariam duxerit; Anna vero Ferdinando nupserit, ac Austriacam domum fecunditate sua feliciter propagauerit. (*a*)

A. C. 1508. *Wlad.* 18. *Ind* 11. *P.* 23. *A.*

CCCLXX. Maximilianus, qui per connubia, partim sua, partim Philippi Pulchri, filii sui, partim nepotum suorum, Austriacae magnitudini maxima fundamenta iecit, crebris dehinc legationibus Wladislaum excoluit, ne scilicet a pactis nuptialibus, Austriae tam vtilibus, aliorum consilio dimoueretur. Accessit hoc anno noua legationis caussa, Cameracense foedus, ad quod Wladislaus contra Venetos

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 499.—529.

netos, *nobilissimi Dalmatiae regni iniquos detentores*, inuitabatur. Istuanfius quidem ait, (*a*) Wladislaum, *quamquam cunctabundum et plurima tergiuersatum* ad hoc foedus accessisse, bellumque Venetis denunciasse, non tamen intulisse. Caussam intermissi belli *solitae Wladislai ignauiae et otii cupidini tribuendam* ex aliorum sententia censet. Quia tamen Maximilianus, litteris ad illum datis, illum *in persona propria, pro magnitudine animi sui suscipere voluisse expeditionem contra Turcos*, testatur; (*b*) motibus potius Turcarum, quam ignauiae haec intermissio belli videtur adscribenda. Nimis profecto mollem et ignauum Wladislaum Istuanfius, Dubrauium sequutus, nobis exhibet, quasi moerore propter obitum coniugis absorptus non aliter ad luctum barbamque ponendam, quam promissa filii coronatione, permoueri potuisset. *Cardinalis*, inquit, (*c*) *huiuscemodi sermonibus, ceu stimulis, torpentem eius animum excitasse visus est, et receptis veluti sensibus, somnoque discusso, — vt in diem sequentem adessent, mandauit. Tum vero coma et barba nitide exculta, in medium prodiit: sumsitque purpuram et trabeam: eosque in conuiuium adhibuit. Nec multa mora interiecta, frequentibus suffragiis decernitur:* „imminente vere, ad diem, D. Gre„gorii memoriae sacrum, Albae regiae, Ludoui„cum bimulum, — sacro diademate ornandum.—" *Conuenere ad diem tanta frequentia, vt vrbs satis ampla multitudini capiendae haud sufficeret. — Pro filio — pater iusiurandum de more praestitit.* Bene quidem Istuanfius Ludouicum *bimulum* fuisse coronatum asserit; male tamen eiusdem coronationem ad

---

(*a*) Libr. IV. p. 34. (*b*) Ap. Pray An. P. IV. p. 332. (*c*) Libr. IV. p. 36.

„ et ipsos principes fuerit, praeter Dalmatiam, ad „ ius sacrae coronae Hung. pertinentem.“ Licet autem opportunissima haec occasio recuperandi Dalmatiam, seu per procerum auaritiam, seu per regis ignauiam, omissa fuerit; id tamen ex foederatorum sententia patuit, Dalmatiam ad Hungariam legitimo iure pertinere. (*a*)

A. C. 1510. *Wlad.* 20. *Ind.* 13. *P.* 31. *M.*

CCCLXXII. Wladislaus, peracta Ludouici coronatione, turbatas Bohemiae res compositurus, diutius ibidem commoratus, censuum regiorum procurationem pluribus commendauit. (*b*) In Hungaria quoque prouentibus regiis consulturus, Benedictum Batthyanium, de thesauro regio debite non administrato delatum, arctius concludi, datoque iudicio, quaestionibus subiicii mandauit, litteris ad Emericum palatinum Praga datis. (*c*) Non igitur ita deses Wladislaus in vindicando iure suo fuit, vt passim expingitur; neque Benedictum iudicio damnatum fuisse, honores etiam deinceps illi collati testantur. Wladislaus, Pessina teste, (*d*) *Praga initio quadragesimae, die* 13. *Febr. anni* 1510. *discessit. Kutnae adhuc comitia habuit die* 17. *Febr. — Inde per Teutobrodam, Iglouiam, Trebicium et Brunam ducto itinere, Kremsirium venit, vbi regio apparatu — a Stanislao episcopo in arce susceptus est.* Hic triduo substitit, vt Dubrauius scribit, (*e*) *non sine cura — ob pestem, in Hungaria pullulantem, cui liberos committere nolebat. Aberam*

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. 563.—575. (*b*) Dubrau. L. XXXII. p. 303. (*c*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 338. (*d*) Mart. Morau. p. 927. (*e*) Libr. XXXIII. p. 303.

tram praesens ego; quum regem ita affectum Stanislaus in cubiculo istis verbis alloqueretur: „ — Ni-
„ hil maiestati vestrae opus est hac cura: maneant
„ ambo cum suis in Morauia, aut hic Cremsirii,
„ aut in vicina arce Viscouiensi: libentissime ego
„ illis de altero loco concedam. — " *Sed disturbauit totam rem Ioannes, comes Scepusiensis, e Trencinio Cremsirium 200. equitibus comitatus, superueniens; regique coram minas proponens, quibus Hungari minarentur:* „ se illum Budam non intro-
„ missuros; si absque liberis in Hungariam redeat."
„ Brutus, Ioannis Zapolyae studiosus, audacem hanc eius comminationem excusat. At Istuanfius, Zapolyae minus addictus, eumdem *virum profundae ambitionis, ob idque regnandi libidine ardentem* vocat. (*a*) Sed non est verisimile, Zapolyam regnum ambiuisse, postquam Ludouicus gemina corona iam incinctus erat. *Quum Budam venisset;* pergit Istuanfius, *opportune breui post superuenit legatus Turca, inducias et pacem postulans; quod triennium, prioribus pactis praestitutum, effluxisset: quam Wladislaus — non inuitus ad aliud insequens triennium concessit. — — Sed quum atrox pestilentia vrbem innaderet; — non tam sibi, quam liberis metuens, — versus Morauiam iter, fugae simile, intendit, et in oppido, quod Broda Hungarica appellatur, — aliquamdiu haesit.* Quamdiu haeserit, ita Hunnobrodense chronicon innuit: (*b*) *Rex Wladislaus — a festo S. Venceslai vsque ad epiphaniam dom. resedit Hunnobrodae.* (*c*)

A. Ch.

(*a*) Libr. IV. p. 37. (*b*) Ap. Dobn. Mon. T. II. p. 287.
(*c*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 579.—612.

A. C. 1511. *Wlad.* 21. *Ind.* 14. *P.* 20. *A.*

CCCLXXIII. In tertium iam annum tam grauis pestilentia Hungariam depascebatur, vt annales Seraphici perhibeant, (*a*) e solo hoc ordine 400. minus 14. absumtos esse. Wladislaus igitur, in Hungariam reuerti non ausus, *Broda mouens*, inquit Pessina, (*b*) *post festum SS. trium regum, anno* 1511. *Hradistium ex itinere diuertit, ibique etiam templum Franciscanorum, et in eo sepulcrum Ioannis, episcopi Varadiensis, ministri quondam fidelissimi, visitauit. Obiit ille — anno praecedenti, die* 17. *Iunii. — Inuitatus — a Silesiis, eo iter suscepit vna cum liberis, magno procerum Morauiae, Hungariae et Bohemiae numero comitatus, diequé* 29. *Ian. Wratislauiam sospes et incolumis peruenit.* Istuansius refert, (*c*) quum a Silesiis iusiurandum exigere voluisset, ab Hungaris admonitum fuisse: „vt illud regni Hungariae nomine exigeret." — *Contra Bohemi et Moraui:* „Silesiam semper Bohemici iuris prouinciam fuisse: — „*Quum vtriusque gentis studia et contentiones acrius inualescerent; — res tota in aliud tempus dilata est.* Sigismundus tamen, Poloniae rex, quicquid iuris in Opauiensem Silesiae ducatum antea beneficio fratris obtinuit, id totum, edito diplomate, remisit, (*d*) *Cracouiae, feria* 6. *ante dom.* Reminiscere *prox. anno dom.* 1511. Wladislaus autem, epidemiae malo cessante, Budam reuersus, ad tuendam Moldauiam, cui Tartari cum Turcis imminebant, curas suas conuertit, litteris ad eos, qui copias ex legum scito sub signa cogere

re

(*a*) Fridrich. Hist. Prou. Salu. p. 19. (*b*) Mart. Morau. p. 928. (*c*) Libr. IV. p. 87. (*d*) Ap. Dogiel Tom. I. p. 551.

re debebant, datis, (a) *Budae, fer. 3. prox. post fest. B. Vrbani P. et M. A. D.* 1511. Nulla tamen in Turcas expeditio suscepta fuit, quod Selimus non tam Bogdano, quam Baiazeti, patri suo, bellum inferre voluerit, qui reipsa principatum anno sequente sibi vindicabit. Wladislai prouidentia magnam hic laudem meretur, quod ad remotam etiam belli suspicionem tantum studium, vt illud auerteret, adhibuerit. Post Wladislai reditum e Silesia, scribit Istuanfius, (b) Heduigem, Stephani de Zapolya viduam, de Barbarae filiae cum Sigismundo, Poloniae rege, nuptiis agere coepisse. *Et quum Wladislaus Aduigam ipsam et filiam virginem omnibus rarae pudicitiae, singularis in DEVM pietatis et morum honestissimorum dotibus — praeditas ac mirifice ornatas pro comperto haberet;* missis ad Sigismundum legatis, facile consensum illius ad hoc coniugium obtinuit. Si iam tunc Ioannes Zapolya regnum ambiuisset; credibile non est, Wladislaum ad procurandum hoc connubium operam suam commodaturum fuisse. (c)

A. C. 1512. *Wlad.* 22. *Ind.* 15. *P.* 11. *A.*

CCCLXXIV. Id, quod sub exitum anni superioris priuatis legationibus; publicis, ineunte hoc anno, coepit agi. Sigismundus igitur, oratoribus suis, quos ad Barbaram Zapolyianam sibi despondendam in Hungariam destinauerat, plenam rerum agendarum potestatem concessit, (d) *Cracouiae*, 13. *Ian. A. D.* 1512. Contractu sollemni celebrato,

Qq 2 non

(a) Ap. Pray Diss. VII p. 150. (b) Libr. IV. p. 37. (c) Hist. Cr. T. XVIII. p. 613.—629. (d) Ap. Wagn. Sepp. P, I. p. 151.

non multo post iidem oratores, Wladislai regio curru, multis comitantibus Hungaris, eamdem Barbaram in Poloniam deduxerunt. Stanislaus Orickouius nouae reginae laudes ita perstringit: (a) *Laeta hoc matrimonio Polonia fuit; non tam quod societatem illi nouam adtulerat; quam quod talem reginam ex Hungaria acceperat, quae ob sanctissimos mores, castissimam vitam, ac ob admirabilem pudoris atque verecundiae famam, Hester vulgo fuit appellata.* Dum in Polonia haec agerentur; mortuis Illyrici praefectis, Wladislaus, praeter Peremium palatinum, Petrum Berislaum, Vesprimiensem episcopum, illi prouinciae praefecit; qui breui declarandae suae virtutis occasionem nactus est. *Nam*, vt Istuanfius narrat, (b) *quum Turcae magno numero — regionem, inter Sauum et Hunnam fluuios — adiacentem, passim popularentur; — collectis — copiis, eos non procul ab arce et oppido Dubicensi — adortus, insignique edita pugna, hostes fudit atque fugauit, et fugientes longe lateque persequutus, amplius 2000. eorum interfecit: — ita vt hostes audaciae perfidiaeque suae et violatarum induciarum cumulatas poenas dedisse viderentur.* (c)

A. C. 1513. *Wlad.* 23. *Ind.* 1. *P.* 27. *M.*

CCCLXXV. Thomas Bakatsius, Strigoniensis archiepiscopus, ab Alexandro VI. sub initium huius seculi cardinalis, a Iulio II. patriarcha Constantinopolitanus anno 1508. creatus, ad concilium Lateranense V. anno superiore Romam iuit, et a Iulio pontifice Milkouiensis episcopatus vnionem cum archiepiscopatu

(a) Ibid. P. II. p. 126. (b) Libr. IV. p. 38. (c) Hist. Cr. T. XVIII. p. 629.—650.

chiepiscopatu Strigoniensi petiit ac obtinuit. (*a*) Huic vnioni Cibiniense capitulum illico reclamauit; Brassouiense vero caussae huius cognitionem ad tribunal Romanum detulit; vtrumque litteris supplicibus ad ipsum regem Wladislaum, tamquam ecclesiarum ditionis Hungaricae patronum, recurrit, qui querelis illorum permotus, Bakatsium ab hoc vnionis consilio dehortatus est, (*b*) *Budae*, 9. *Februarii* 1513. Romae tunc Bakatsius erat, ac interim Iulio II. die 20. Febr. mortuo, quum ad electionem noui pontificis itum est, Bakatsio suffragia seniorum non defuerunt. Verum 11. Martii Iulianus Mediçaeus, vt Istuanfius ait, (*c*) *annos natus nondum* 40. *iuniorum cardinalium suffragiis pontifex est declaratus, et post* 30. *diem* — *Leonis X. nomine assumto, coronatus*, qui factam a Iulio II. coniunctionem illam ecclesiarum confirmauit, (*d*) *die* 11. *Sept.* 1513. Hoc modo Bakatsius, fauore noui pontificis in rem suam vsus, non solum, vt Schmitthius notat, (*e*) *episcopatum Milkouiensem sedi metropolitanae coniunxit*; sed etiam *priuilegium Pii II. praeposito Scepusiensi datum, reuocauit*, obtentis a pontifice litteris, (*f*) *an. inc. dom.* 1513. *pridie nonas Maii*. His aliisque rebus impetratis, ad bellum, Turcis obmouendum, hortator accessit, et, vt Istuanfius scribit, (*g*) *non magno labore apud nouum pontificem agendo perfecit, vt, qui exercitu ac praesenti pecunia eo tempore rem Hungaricam, ob consumtos ab Iulio omnes aerarii et vectigalium fructus ac redditus, iuuare nequaquam posset* ;— *auctoritate*

(*a*) Ap. Benkö Milkou. P. I. p. 174. (*b*) Ibid. p. 193. (*c*) Hist. Libr. V. p. 39. (*d*) Ap. Benkö Milk. P. I. p. 178. (*e*) Ep. Agr. T. II. p. 173. (*f*) Ap. Peterf. Conc. P. I. p. 183. (*g*) Libr. V. p. 40.

ctoritate pontificia sacrorum diplomatum munera impertiret, quibus eis, qui contra Turcas arma sumsissent, vniuersorum criminum veniam — polliceretur. Vtque Thomas maiorem auctoritatem ad cogendam militiam haberet; in vicinis quoque regnis suum a latere legatum eumdem creauit; et datis ad Wladislaum litteris, (*a*) *nonis Septembris*, 1513. operam se daturum promisit, vt, conflatis Christianorum principum viribus, commune bellum in barbaros susciperetur. Quantum vero studium in dissidiis inter Christianos principes sopiendis armisque contra Turcas conuertendis adhibuerit; aliis eidem litteris prolixe significauit, (*b*) *datis Romae, III. kal. Ian. MDXIII.* Hostis, qui tanto metu Christianam remp. ac inprimis Hungariam perculit, erat Selimus, qui solium Ottomanicum sibi vindicaturus, primum quidem Baiazetem patrem, opera medici sui, die 23. Iunii superioris anni, veneno sustulit. Tum Achmetem, fratrem natu maiorem, ac etiam minorem Corchutum interfici iussit. Wladislaus igitur, veritus, ne hic tyrannus, tanto suorum sanguine foedatus, in Hungariam irrumperet, armatas copias ad tuendos regni limites adesse iussit, (*c*) *Budae, fer. 5. prox. post fest. BB. Viti et Modesti MM. A. D.* 1513. Praeludia belli fuerunt, quum ex Turcis, Semendria contra Belgradum egressis, quidam, ceteris praestantior, Hungaricae turmae praefectum ad singulare certamen prouocauit. *Mouent*, inquit Tubero, (*d*) *tam elata Turcae verba iram Georgii Scythae. — Itaque, equo calcaribus incenso*

(*a*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 348. (*b*) Ibid. p. 349. (*c*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 21. (*d*) Libr. X. p. 329.

incenso, infesta hasta Turcam — petit, pectoreque transfixo, — ex equo — deiecit. (*a*)

A. C. 1514. *Wlad.* 24. *Ind.* 2. *P.* 16. *A.*

CCCLXXVI. Atque hic Georgius Scytha seu Siculus, Hungarice Székely, cognomento Dósa dictus, dux erat infelicis belli rusticani, quod hoc anno totam Hungariam in maximum discrimen coniecit. Bakatsius, e concilio Lateranensi, cum potestate militiam cruce signatam contra Turcas conscribendi, domum reuersus, Strigonii iam fuit 4. *Maii*, qua potestatem decanorum Cibiniensis et Coronensis, tamquam episcopus Milkouiensis, definiuit. (*b*) Tum vero Budam profectus, regem ad pontificium diploma vulgandum hortatus, dicebat: (*c*) *se non dubitare, quin breui satis magna multitudo voluntariorum militum — confluat.* Ad ea rege ne verbum quidem proloquuto, procerum magna pars Bakatsii consilium laudauit. Stephanus Telegdius *nihil temere decernendum suadebat, ne bellum, quo hostes arcere pararent, in seipsos et in propria viscera conuerteretur.* Pluribus in cardinalis sententiam inclinantibus, is in templo S. Sigismundi pro concione pontificis indultum promulgauit. Quum idem alibi quoque passim per Hungariam factum fuisset; *conuenere ad castra breui tempore plurimi variae sortis mortales, religionis praetextu, compluribus locis; sed in agro et suburbanis Pestanis multo maxima pars; Varadini item et Albae et Coloeiae non contemnendus numerus.* His Bakatsius praefecit Georgium Dosam nunc laudatum, qui, vexillo cru-

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 696—704. (*b*) Ap. Benk. Milk. P. I. p. 202. (*c*) Istuanf. Libr. V. p. 40.—46.

cis accepto, Pestinum profectus, *tirones conuocatos hortatur:* „ vt crucibus purpurei coloris ipsi „ quoque pectora muniant." Postquam *intra mensis spatium vltra 40. hominum cruce signatorum millia vnis in castris visa sunt; — Georgius, quum castra, in militarem formam redacta, composuisset; — Gregorium fratrem — in exercitu legatum constituit. Interea, quum agrestes cateruatim ad castra quotidie properarent; — coacta nobilitas obuiam ire, in eos — crudeliter saeuire coepit, — vt ad pristinae conditionis seruilia ministeria redigerentur. — Georgius, ad quem grauiores in dies querelae ab agrestium turba, veris falsa miscentium, adferebantur, — nefariis armis in nobilitatem versis, agrestibus in eam — debacchandi licentiam concessit. Nec mora, in Budae et Pesti suburbanis nobilium domos magno impetu de improuiso inuadentes, spoliare, incendere ac obuios ex eorum numero quosuis, exquisitis tormentis cruciatos, interficere coeperunt. Quae quum ad regem et cardinalem certissimis nunciis perlata essent; — edicto vetuere:* „ ne amplius quispiam „ cruce signaretur;" *Georgioque cum suis omnibus, nisi intra paucos dies ad saniora consilia redirent, aqua et igne interdixerunt. — Georgius quum haec cognouisset; non diu in propinquis Budae locis moratus, exercitum bipartito — diuisit, ac duobus agminibus — Szegedinum versus contendit. — Ambrosium Saberesium, ciuem Pestanum, cum tribus legionibus in iisdem castris reliquit.* Postquam Tzigledinum exercitus sui partem promouisset; sanguinarium suum in equestrem ordinem odium his litteris, per Hungariam sparsis, expromsit: (*a*) „ Geor-„ gius

(*a*) Ap. Wagn. Seep. P. IV. p. 31.

„ gius Zeckel, strenuus miles, benedictae gentis
„ cruciferorum princeps et supremus capitaneus,
„ regis Hungariae tantummodo subditus. — Noue-
„ ritis, quod infideles nobiles aduersus — comiti-
„ uam cruciferorum — insurrexerunt. — Quocirca
„ vobis, sub excommunicationis et aeternae da-
„ mnationis poena, et etiam sub omnium bono-
„ rum et capitum amissione mandamus, quatenus
„ mox — venire — in oppidum Czegled debeatis,
„ — vt sic benedicta turma manus praedictorum in-
„ fidelium et maledictorum nobilium coercere —
„ valeat. — " (a)

CCCLXXVII. Rebus ad tantam perturbationem adductis, *rex et cardinalis*, pergit Istuanfius, — *senatum frequentem conuenire iubent. Maior illius pars censebat*: „ Emerico Perenio palatino potesta-„ tem dandam, vt daret operam, ne quid resp. „ detrimenti pateretur. " *Aliis consulentibus*: „ Io-„ anni potius, comiti Scepusiensi, bellum deman-„ dandum, " quod palatinus podagra laboraret; probata hac sententia, per celerrimos nuncios Zapolya fuit admonitus. Interea Ioannes Bornemisza cum praetorianis cohortibus, adiunctis sibi nobilibus, *Danubium traiecit, ac Paullum Tomoreum — cum equitum ala versus castra hostium — proficisci* — iussit. — *Priusquam* Ambrosius *signum pugnae dedisset; agrestes, audito hostium aduentu, arreptis equis*, — *in Tomoreum feruntur, et ab eo non magno negotio funduntur*. Bornemisza, *priusquam acie decertaret; tentandos — perduellium animos existimauit, si quo pacto ad sanitatem reduci possent*. Ambrosio cum nonnullis resipiscente, quum in alios tormenta dis-
plodi

(a) Hist. Cr. T. XVIII. p. 704.—721.

plodi iussisset; *promtissimos leuioris armaturae equites, praeeunte Tomoreo, immittit; ipse cum cataphractis — subsequutus, eos in vestigio adoritur. Non tulere agrestes vim et impetum nostrorum, vixque tentato certamine, perturbati, — terga dedere.* — Profligatis etiam ad Agriam et Varadinum rebellium copiis, *Georgius, — euitato Szegedino, Chanadium iter flexit*, vrbeque direpta, Nicolaum Chakium episcopum exquisitis suppliciis interfici iussit. Eadem crudelitate grassatus in alios nobiles, praecipue Stephanum Telegdium, *motis Chanadio castris, — idibus Iuniis ad campum Vlicianum, haud procul ab arce et flumine Temeso, consedit. Sequenti die propius vrbem mouit.* — Stephanus Bathorius, loci praefectus, *a comite Scepusiensi, qui in propinquo erat, opem implorandam statuit, quamquam aemulatione honoris — non leues inter eos simultates intercedebant.* Ad Bathorium Wladislaus iam antea copias mitti his litteris iusserat: (*a*) „ — Non est „ necesse, vt litteris vobis perscribamus, quantas „ insolentias, enormitates et horrenda facta rustici „ et populares, sub nomine cruciatae consurgentes, „ faciunt. Sunt enim talia et tam horrenda, vt „ nemo satis explicare possit. Quare necessarium „ est, vt citissime tanto malo occurratur. — Si fi„ delis noster, magnif. Stephanus Bathor, comes „ Temesiensis, — cui superinde scripsimus, castra „ metaretur, et vos propterea requisierit, ad eadem „ congregari debeatis. — — Dat. Budae, in festo „ pentecostes (4. *Iunii*) anno dom. 1514. “ (*b*)

CCCLXXVIII.

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 22. (*b*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 721.—736.

CCCLXXVIII. Ioannes igitur Zapolya, tunc Transsiluaniae vaiuoda, *sepositis in praesens reip. caussa priuatis affectibus, maturam laborantibus opem ferre decreuit. — Quum mense Iulio, — concrepantibus tubis et tympanis, — in eosdem Vliciae campos peruentum esset; Georgius, — quantum crapulae plenus poterat, singula ducis munia obire. — Structis — ordinibus, et exardescente certamine, agrestes spe et exspectatione diutius acriusque pugnauere. — Ad extremum vaiuoda praetorianum militem ac Siculos equites — immittit; quorum gladiis quum plurimi occumberent, plures vulneribus debilitarentur; vacillare aliquantum ac loco pelli coepere. Denique instantibus pertinaciter vaiuodanis, effusa fuga sequuta est. Fugientes Georgius, vixdum exhalato vino, hinc inde obequitans, — a Petro Petrouichio — non sine vulnere capitur. — Horret animus recensere dira, enormia et hactenus numquam visa vel audita miserorum supplicia. — Arreptos siquidem circiter 40. ex captiuis in obscuros carceres condunt; — et 15 dierum inedia maceratos discruciant, vt demum eis — semiambusta viuentis — Georgii membra mandenda et deglutienda offerrent. Sed ex 40. infelicissimorum hominum numero, reliquis fame tabescentibus et demortuis nonnisi 9. superfuere: inter quos Laurentium quemdam, fabrum ferrarium, — prouectissima iam aetate senem, dum pueri essemus, olim vidimus. Interea ab* (ciganis) *tortoribus rudi e ferro solium et corona sceptrumque, regia insignia conflantur, in quod Georgius nudus infertur, coronaque, igne candenti resplendens, capiti imponitur. Adducuntur nouem illi infelices, — semineces, vmbris hominum similes, ac* „vt artus Georgii, qui ignito „ ferro tacti, stridorem quemdam cum nidore emit„ tebant, dentibus et morsu appetant, simulque

„ de-

„ deglutiant," *iubentur.* — *Quod vbi metu mortis fecere; dimissi quidem fuere, inter quos faber ille ferrarius fuit; sed tres, qui abominabilem offam non deglutiuerant, illico caesi fuerunt. Georgius* — *forcipibus ignitis identidem lancinatur. Postremo, quum intolerandos dolores ferre amplius non posset; animam efflauit.* — *Cadauer eius* — *in frusta dissectum fuit, quae Budam, Pestum, Albam et Varadinum missa, furcisque suspensa, praetereuntibus spectaculo ludibrioque fuere. De ceteris quoque pari acerbitate poenae exactae sunt, vt multi maxima pars in furcas* — *suspenderentur, pars sudibus seu palis infixi, miserabilem in modum interirent. Hunc exitum habuit, factis suis congruum, Georgius Siculus, inauspicati belli funestus auctor,* — *cuius formidine Pannonia omnis contremuerat. Quo in bello variis praeliis ad* 40. (al. 70.) *hominum millia cecidisse feruntur. At Bathorius, ereptus grauissimo periculo, immortales vaiuodae gratias* — *agere.* — *Vaiuoda* — *illud a Bathorio contendere visus est:* „ ne magistratum, — se ignaro, — am„ biendum existimaret. — " *Ad quod quidem Bathorium se obstrictum reddidisse ferunt. Quibus artibus non aliud quaerebatur, quam vt, hoc sibi conciliato aemulo, veluti obice amoto, minorem ad parandum sibi regnum difficultatem experiretur, ad quod bonis malisque artibus adspirabat.* Qui potuit ad regnum adspirare, superstite vegetoque Ludouico rege? Vana haec praecoxque suspicio vix apud prudentem lectorem vllam fidem inueniet. Ceteris ad Bachiam et Albam pari felicitate profligatis, seruili bello finis quidem impositus est; tristis tamen appellatio *Curutzonum*, a voce *crux*, quam vestibus assutam habebant, et in *Curutz* Hungari detorserant, in omnes illos deriuata fuit, qui ciui-

le

le bellum, licet cruce signati non fuerint, excitarunt. (*a*)

CCCLXXIX. Exſtincto ſeruili bello, quia multa nobilibus damna ſunt illata; rex Wladislaus, de his reſarciendis ſollicitus, in 18. Octobris comitia ſtatibus indixit, decretumque VII. condidit, quod articulis 71. conſtat, hoc ordine: (*b*) „ *I.* Iura „ vniuerſa regalia; qualitercumque alienata, ſtatim „ remittantur. *II.* Prouentus regales rex nemini „ inſcribat. *III.* Bona, — ad coronam regiam „ pertinentia, recenſentur. *IV.* Modus ſatisfactio„ nis damnorum, per cruciatos illatorum *V.* No„ bilis res ſuas, per ruſticos ſpoliatas, iuramento „ recuperet. *VI.* Coram quibus iuramentum *iſtud* „ nobilis deponat? *VII.* Ruſtici, rependere damna „ refragantes, cogantur per comites ac gentes re„ gias. *VIII.* Ruſtici ad homagia interemtorum „ nobilium ſoluenda cogantur. *IX.* In — damnis „ compenſandis facientes et conſentientes multen„ tur. *X.* Ruſticis diſcordantibus ſuper depraeda„ tione nobilium, dominus terrae — ius admini„ ſtrare petenti debet. *XI.* Negligente *hoc* domi„ no, — amittitur poſſeſſio. — *XII.* Dominus ter„ rae praedas, ad manus ſuas deuenientes, illis, „ quorum ſunt, reſtituere tenetur. *XIII.* Male„ factores puniantur vbique. — *XIV.* De poena „ capitaneorum — ceterorumque cruciatorum. — „ *XV.* De exactionibus a ruſticis fiendis. *XVI.* „ Seruitium colonorum ordinarium. *XVII.* Mune„ ra colonorum. *XVIII.* Coloni nonam et deci„ mam ſoluere — tenentur. *XIX.* Anſerum pro„ uentus a colonis. *XX.* Porcorum prouentus

„ a

(*a*) Ibid. p. 736.—748. (*b*) Corp. Iuris Hung. T. I. p. 325.

„ a rusticis. *XXI.* De viduis aut puellis, co-
„ lono alterius nobilis nubentibus. *XXII.* De
„ inquilinis taxandis. — *XXIII.* Comani et Phili-
„ staei pari modo ad censum soluendum ac serui-
„ tia praestanda sint adstricti. *XXIV.* Nemo, de
„ rustica progenie natus, in episcopum eligatur.
„ *XXV.* Migratio colonorum quomodo interdicta?
„ *XXVI.* De violenta colonorum abductione. —
„ *XXVII.* De officiali, in abductione coloni vim
„ committente. *XXVIII.* De profugis colonis. —
„ *XXIX.* De liberis ciuitatibus, Comanis aut Phi-
„ listaeis, aliorum iobagiones abducentibus. — *XXX.*
„ Fugitiuus colonus — capi libere potest. — *XXXI.*
„ Comite mulctam, ratione coloni abducti, exige-
„ re non valente, ea per communem aestimatio-
„ nem exigatur. *XXXII.* De malefactorum per comita-
„ tus conscriptione et punitione. *XXXIII.*—*XXXIV.*
„ Nobiles comitatus Maramarusiensis rusticis adhae-
„ sisse putati. *XXXV.* Bona nobilium, rusticis
„ adhaerentium, quibus conferantur? *XXXVI.*
„ Gratia regia in hoc insurrectionis rusticanae casu
„ nemini suffragetur. *XXXVII.* Quid si rustici
„ malefactores comitibus ad puniendum non assi-
„ gnentur? *XXXVIII.* Rustici verberatorum nobi-
„ lium viua homagia (100. *flor. auri*) persoluant.
„ *XXXIX.* Rustici capitanei, centuriones, decu-
„ riones — in hoc casu capitis damnati. *XL.* Ru-
„ sticus, inuitus capitaneatum assumens, capitis
„ non damnetur. *XLI.* Rusticum centurionem vel
„ decurionem punire non permittens, in florenis
„ 400. condemnetur. *XLII.* Rusticum aufugisse
„ asseuerans, iuret certo numero hominum. *XLIII.*
„ Comitibus iudicium generale in hoc casu celebrari
„ permittatur. *XLIV.* Rustici, qui hoc tempore
„ a dominis discesserunt, per comites restituantur

„ *XLV.*

„ *XLV.* Comitis, in hoc casu delinquentis, vni-
„ uersitas nobilium vices suppleat. *XLVI.* De vai-
„ uodis et besliis deponendis. *XLVII.* Rusticorum,
„ qui puellas aut mulieres violarunt, poena. *XLVIII.*
„ Presbyteri scelerati inquirantur, et carceribus
„ per praelatos tradantur. *XLIX.* Bona, tempore
„ disturbiorum — impetrata, statim remittantur.
„ *L.* Comites et vice-comites quoque bona, impe-
„ trata hoc tempore, remittant. *LI.* Res nobilium,
„ si sint manubiae praeliorum, dominis suis resti-
„ tuantur. — *LII.* A rusticis extortam rem spolia-
„ to restituere nolens, maioris potentiae poena
„ multetur. *LIII.* Iura possessionaria nobilibus no-
„ uae donationis titulo regia maiestas restituat.
„ *LIV.* Metas regni rex rectificari curet. *LV.* Per-
„ sonalis praesentia regiae maiestatis semper Budae
„ maneat. — *LVI.* Honor comitatus Heuesiensis
„ personae seculari conferatur. *LVII.* Vt turres,
„ castra, fortalicia nobiles, cum regis scitu, con-
„ struere possint. *LVIII.* Nonae a ciuibus — sol-
„ ui debent. *LIX.* Nullus plura beneficia eccle-
„ siastica teneat. *LX.* Presbyteri non beneficiati,
„ scholares, haidones, rustici arma et pyxides non
„ gerant. *LXI.* Pastores pecudum bonae famae
„ teneantur. — *LXII.* Possessiones nobilium inter-
„ emtorum filiabus aut vxoribus eorum donentur.
„ *LXIII.* Decreta comportentur, ac per singulos
„ comitatus distribuantur. *LXIV.* Decimatores
„ pro debito neminem arestent. *LXV.* Beneficiati,
„ in vrbem proficiscentes, quomodo regi se obli-
„ gare debeant? — *LXVI.* Monetae exterae non
„ inducantur; nec pecora extra regnum educantur.
„ *LXVII.* Vt castra finitima prouideantur. *LXVIII.*
„ Prouisores ad arces finitimas deputentur. — *LXIX.*
„ — Nouae occupationes, stante rusticano bello,

— ante

„ — ante alias cauſſas diſcutiantur. *LXX.* Scriba-
„ tur in regna vicina, ne fugientes ruſtici hoc
„ caſu recipiantur. — *LXXI.* Combuſta loca hoc
„ caſu exemta a ſolutione dicae. Datum Budae,
„ in feſto B. Eliſabeth viduae, — anno dom.
„ 1514." (*a*)

CCCLXXX. Eadem die tripartitum opus Verbötzii ratum quidem Wladislaus habuit, priusquam tamen illud regio ſigillo communiuiſſet; mortem oppetiit. Leo X. priusquam de rebellione cruce ſignatorum edoctus fuiſſet; amplum illis ſtipendium his verbis, quum Wladislao reſpondiſſet, addixit: (*b*) „ Si ipſum exercitum conficere atque in
„ Turcas impetum facere ſtatueris; — quinquies
„ decies mille numum aureorum me ad id erogaturum
„ daturumque tibi ſpondeo: — ſin vero id
„ tantummodo conſilii ſuſcipies, vt tuta ab hoſti-
„ bus reddere tua illa propinqua Turcis oppida,
„ de quibus ſcribis, tibi ſatis futurum putes; bis
„ decies mille numum aureorum tibi praeſto vt ſint,
„ quum me commonefeceris, curabo. — Dat.
„ Romae, XI. kal. Octobres, anno II." Dum has Wladislaus accepit; gemino iam periculo defunctus erat; altero, quod a cruce ſignatis impendebat; altero, quod Iſtuanſius ita narrat: (*c*) „ *Accidit, dum tempus comitiorum, quae in Octobrem menſem indixerat, appeteret, — vt, rege ad ſummum diei crepuſculum ſacra audiente, incerti homines in cubiculum regium ſclopetis duobus craſſiores glandes diſploderent, rati, vt credere par eſt, regem iſthic eſſe.* — Atrocis huius facinoris *auctores, quamquam diligentiſſime*

(*a*) Hiſt. Cr. T. XVIII. p. 748.—793. (*b*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 360. (*c*) Libr. V. p. 48.

ventissime quaererentur, nusquam tamen inuenti fuere. (a)

A. C. 1515. *Wlad.* 25. *Ind.* 3. *P.* 8. *A.*

CCCLXXXI. Istuansius, Zapolyae parum addictus, *suspicionem in vaiuodanos* deriuat; Wladislaus tamen vtrique Zapolyae tantum detulit, vt, quum Oppauiensem ducatum Casimiro, duci Teschiniensi, gubernandum contulisset, quo Hungaricis in illum iuribus consuleret, eosdem et palatinum ac iudicem curiae sponsores habere voluerit, quod Casimirus conditiones praescriptas obseruaturus sit. (b) *Dat. Budae, in festo epiphaniae domini, anno eiusdem MDXV.* Rursus suspicatur Istuansius, Ioannem Zapolyam, quum hoc anno contra Turcas infelici successu pugnasset, dolo succubuisse; sic enim ad inuidiam illi conflandam scribit: (c) *Vaiuoda, quia prima belli aduersus agrestes prospere successerant; fortunam eodem semper tenore totius rei principia subsequuturam arbitratus, bellum in Turcas suscepit, et ad obsidendam arcem, aequali fere interuallo inter Taurunum et Samandriam sitam, animum adiecit, quae a Turcis — Caualla, a nostris vero Sarno vocatur. — Contractis igitur copiis ad* 10. *millium equitum et peditum numerum, nonis Iulii Danubium traiecit; et tertiis castris ad Cauallam — peruenit, tanto silentio, vt Turcis, qui Samandriae ac aliis in locis in praesidiis erant, de eius itinere nihil plane constaret. — Prolatis igitur tormentis*

(a) Hist. Cr. T. XVIII. p. 793.—830. (b) Ap. Sommersberg T. I. p. 1056. (c) Libr. VI. p. 50.

mentis, — arx concuti coepta est, breuique temporis spatio tantum moeniorum dirutum, — vt Turcae, quamquam egregie se tuerentur; de conseruanda tamen ea non parum desperarent. Balibegus, Semendriae praefectus, postquam arcis vicinae periculum intellexisset, — *quum — se Pannoniis imparem esse animaduerteret; ad dolos et fraudes conuersus, certos e suis Thracibus Graeci ritus Christianos subornat, qui specie transfugarum in castra vaiuodae se conferant, et apud duces ac militum praecipuos famam viresque hostium — in immensum efferant. — Qui quum rem haud segnius, quam edocti erant, perfecissent; tantus repente pauor vaiuodae animum occupauit, — vt* „ tormenta ex aggeribus statim retrahenda, et cum exercitu retrocedendum esse" *iuberet; nisi Michael Paxius:* „ — ne tantum flagitii „ admitteret, vt, ne viso quidem hoste, foe„ dam fugam capessere inciperet, " *graui increpitum sermone retinuisset. — Et eo quidem die Turcae ex industria in conspectum non venere. — Nocte, quae sequuta est, Balibegus suorum aciem promoueri iussit, ac multo maiori parti militum pedestris ordinis ardentes taedas ac faculas — attribuit. — Ipse vero, silenti agmine progressus, quum ignes in tenebris maiorem vero speciem procul intuentibus redderent; — paullo ante illucescentem auroram aggeres, in queis tormenta erant collocata, magno sublato clamore, aggreditur.* Michaele Paxio primum, eius deinde fratre Casparo, qui periclitantibus nostris opem tulerant, occiso, *ceteri turpiter profugerunt. — Castra et tormenta impedimentaque omnia paruo labore hostibus cessere; ita vt vaiuoda anteparatam de victis agrestibus gloriam, — re contra veros hostes male gesta, obscurasse aut amisisse censeretur.* Atque hic primus ad amittendum sexto post anno

Bel-

Belgradum gradus erat, quod maioribus tormentis illinc eductis ac perditis alia deinceps suffecta non fuerint. *Fuere nonnulli*, subiicit Istuansius, *qui vaiuodam dolo cessisse exercitumque hosti prodidisse suspicarentur; quod cum iis iam tum occulta parando regno consilia miscuisse — dicerent.* (*a*)

CCCLXXXII. Nec ipse quidem Istuansius temerariam hanc suspicionem credit. Certius est, quod ita scribit: (*b*) *Eius aduersae pugnae fama, regibus Posonium allata, priusquam cum caesare in colloquium venirent, ob dolorem amissorum militum, iacturamque tormentarii apparatus, grauis molestaque fuit.* Erat tunc Wladislaus Posonii cum suo fratre Sigismundo filioque Ludouico, quo 18. Martii peruenit et pacta nuptialia suarum prolium ita coram Maximiliani legatis instaurauit, vt Annam filiam vel Ferdinandus, vel Maximilianus sub poena 300. millium florenorum; Ludouicus autem Mariam, Ferdinandi sororem, assignatis vtrique sponsae dotis nomine 200. millibus florenorum, matrimonio sibi iungeret. Haec pacta primum Wladislaus, tum eius frater Sigismundus publicis litteris firmauit (*c*) *Posonii*, 20. *die Maii*, *anno dom.* 1515. Postquam Maximilianus, grauibus imperii negotiis impeditus, patientiam trium regum, aduentum eius exspectantium, quatuor fere mensibus exercuisset; de loco modoque conuentus aliquamdiu disceptatum fuit. Nec enim Wladislaus, Viennam inuitatus, se suosque liberos huius vrbis moenibus initio credere voluit; donec a Sigismundo fratre persuasus fuisset. Maximilianus, tribus regibus Viennam

 ingenti

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 830.—850. (*b*) Libr. VI. p. 52.
(*c*) Ap. Kollar Auctar. p. 282.

ingenti cum pompa deductis, Ludouicum, iam Hungariae regem coronatum, suum in imperio vicarium, deficientibusque heredibus, in Austriacis ditionibus successorem constituit, (*a*) *die* 20. *mensis Iulii, anno dom.* 1515. Deinde foedus nuptiale cum laudatis regibus chirographo sigilloque suo communiuit, (*b*) 22. *mensis Iulii*, *anno dom.* 1515. Cuspinianus, quid praeterea hic decretum sit, ita promulgauit: (*c*) „ — Confirmarunt veram, sinceram „ et inuiolabilem atque firmam concordiam, amici„ tiam, vnionem — ad mutuam protectionem et „ defensionem contra eorum hostes quoscumque, „ et praesertim contra hostes infideles, et ad ho„ stium suorum futurorum perniciem. — " (*d*)

CCCLXXXIII. Celeberrimum hunc tot coronatorum capitum congressum Ioannes Cuspinianus, testis non tantum synchronus, sed etiam oculatus, locupletissime descripsit, et postquam vltima Iulii tres reges Neostadium ad Maximilianum profectos, ac tertia mensis Augusti diuulsos narrasset, subiicit: *Sic summa cum tranquillitate solutus est celeberrimus ille regum conuentus, sine dissidiis, sine rancore, sine tumultu, sine seditione, quod felix faustumque sit!* Si tamen Istuanfium audimus; aliquem in Hungaria tumultum ac seditionem palatinus excitauit, ob hanc legem pactionibus adiectam: (*e*) „ Vt regnum Hungariae, si stirps Ludouici, „ vti euenit, interiret deficeretque, ad eum caesa„ ris nepotem, qui Annam ducturus esset, eorum„ que liberos, certo iuris hereditarii nomine, re„ cideret

(*a*) Ap. Pray Ann. P. IV. p. 378. (*b*) Ap. Koll. Anal. Dipl. p. 292. (*c*) Ap. Bel. App. D. I. p. 296. (*d*) Hist. Gr. T. XVIII. p. 866.—923. (*e*) Libr. VI. p. 49.

„ cideret.“ Atqui huius conditionis tabulae nusquam meminerunt. Non maiorem igitur fidem illa merentur, quae vano huic fundamento his verbis adstruit: (a) *Quae dum agerentur; Emericus Perenius palatinus, — saeuissimis articulorum doloribus vexatus, Posonii subsistere erat coactus. Is — per fora et plateas ciuitatis passim curru circumuectus,* „ contractibus illis, — quibus regnum Hungariae „ ad exteros transferretur, se, tamquam palatinum, „ — alta voce contradicere.“ *proclamauit.* — Deinde tamen, postquam *Wladislaus arcem Sarosiam — hereditario iure ei promisit, simulque effecturum apud caesarem, — vt — S. R. I. princeps et dux Sarosiensis in posterum appellaretur; — eo est adductus, vt diceret:* „ se foederi — priuato quidem suo, sed ne„ quaquam palatinali nomine, subscripturum. — “ *Sed dum sollemnes litterae — a caesare expediuntur; — ipse in grauem morbum incidit, quo paullo post Budae e viuis excessit.* Nescio, quibus e lacunis feculentam hanc narrationem Istuanfius hauserit. Certissimum enim est, Wladislaum Perenyio palatino praemortuum esse, nec illum Sarosiensis, sed Siklosiensis ducis titulum post Wladislai mortem obtinuisse. Quum igitur nonnisi tertio post anno Perenyius obierit; et illud inter Istuanfiana commenta reponendum est: *Wladislaus singulari pietate filium Ludouicum ad Danubium vsque funeri* (palatini) *deducendo adhibuit.* (b)

A. C. 1516. *Wlad.* 26. *Ind.* 4. *P.* 23. *M.*

CCCLXXXIV. Funeri deducendo Perenyii, qui die 5. Febr. 1519. decessit, Ludouicum adhibere

 non

(a) Ibid. p. 50. (b) Hist. Cr. T. XVIII. p. 923.—929.

non potuit Wladislaus, qui 13. Martii 1516 mortem obiit. Istuansius in epocha mortis Wladislai rursum errauit, quum eam ita consignauit: (a) *Lentae primum febres, deinde acerbiores, quam vmquam antea, neruorum dolores, — alterum et sexagesimum aetatis annum agentem, VIII. idus Martias, exstinxerunt.* Quum Wladislaus, teste Dlugosso, (b) kalendis Martiis anno 1456. natus sit; annos aetatis 60. cum 13. diebus numerauit. Non enim VIII. sed *III. idus Martii* mortuum illum fuisse, Ludouicus filius, datis ad Sigismundum patruum litteris, ita testatur: (c) „Tristia sunt, ser. rex, quae scribimus. — Orbati „sumus ambo, nos patre pientissimo, maiestas V. „fratre carissimo. — Podagricis pimum fuit correptus doloribus; deinde febre accedente, adeo „vis morbi sensim inualuit, vt nulla ope iterum „potuerit, quin demum obiret. Tulit autem „et aegritudinem suam, et mortem ipsam eadem „patientia, qua vitae molestias et quaeque incommoda ferre consueuerat. Et prius, quam ad „extrema perueniret; integris sensibus, sano et „vegeto mentis intellectu, vt pium et catholicum, „vt religiosum decebat principem, confessionem „absoluit; eucharistiae sacramentum reuerenter et „deuotissime suscepit; permisit se vngi; orauit, „dum potuit, continue: cessante linguae vsu, audiuit orantes: et ita se ad exitum praeparauit, „— vt mori, quam viuere malle videretur; et „exemplum cum subditis, tum principibus relinqueret bene moriendi. Deseruit autem vitam „feliciter *III. idus Martii* praeteriti; — cuius corpus — memorabili pompa — ad Albamregalem

„— est

(a) Libr. VI. p. 52. (b) Libr. XIII. p. 184. (c) Ap Bel. N. H. T. III. p. 241.

„ — est perductum. — Budae, 10. Apr. anno „ 1516." Ita quidem Wladislaus officium Christiani hominis egregie sustinuit; regis tamen partes non satis expleuisse visus est. Gregorius Pethö scribit, (a) Bohemicam vocem *Dobse*, quoties de rebus grauioribus admoneretur, Wladislao familiarem fuisse. Passim etiam Istuanfius carpit desidiosam eius taciturnitatem, qua negotia maximi ponderis alto silentio transmittere solitus fuerit. Eo regnante, fuerunt archiepiscopi *Strigon.* Hippolytus Esten. card. ab an. 1487. Thomas Bakats card. 1497. *Coloc.* Petrus ab an. 1481. Ladislaus Gereb 1502. Gregorius Frangepanius 1503. Episcopi *Agrien.* Vrbanus Dótzi ab an. 1486. Thomas Bakáts 1493. Hippolytus card. 1497. *Bosnen.* Lucas 1490. Gabriel 1493. Mich. Keserü 1504. *Iaurinen.* Thomas Bakáts 1490. Franciscus 1495. Ioan. Goszonyi 1510. *Nitrien.* Fr. Georgius 1490. Antonius 1492. Nicolaus de Batska 1501. Sigismundus Turzo 1504. Steph. Podmanitzki 1505. *Quinqueeccles.* Sigism. ab Ernust ab an. 1475. Georgius Szakmári 1506. *Sirmien.* Steph. Crispus 1490. Nicolaus 1499. Sig. Turzo 1501. Stephanus 1504. Ioannes Orszàg 1505. *Transsiluan.* Ladisl. Gereb ab an. 1476. Dominicus 1502. Nicolaus de Batska 1503. Sig. Turzo 1504. Franc. de Peren 1508. Franc. de Varda 1514. *Tsanad.* Ioan. de Zokol ab an. 1466. Lucas 1493. Nicol. de Chák 1500. Franc. de Chahol 1515. *Vacien.* Nicol. de Bathor ab an. 1475. Ioan. Orszàg 1506. Franc. de Varda 1510. Ladisl. Szalkanus 1514. *Varad.* Valentinus 1490. Dominicus 1495. Georgius 1502. Sigism.

(a) Ad an. MCDXC. L. 2.

Turzo 1506. Franc. de Perén 1513. *Vesprim.* Ioan. Vitezius 1490. Georgius 1499. Greg. Frangepanius 1502. Petrus card. 1504. Petrus Berislo 1512. *Zagrab.* Osualdus ab an. 1466. Lucas 1500. Ioan. Bakáts ab Erdöd. 1511. *Palatini:* Steph. de Zapolya 1492. Petr. Gereb 1500. Emer. de Peren 1504. *Iudices curiae:* Steph. de Bathor 1490. Paul. de Kinis 1494. Petr. Gereb 1495. Petr. C. de Bozin. 1501. *Vaiuodae Transf.* Steph. de Bathor 1490. Ladisl. Losontzi et Barthol. Dragfi 1493. C. Petr. de Bozin 1499. Ioan. de Zapolya 1510. *Bani D. Cr. Sclau.* Lad. de Egervára 1490. Emer. Derentsen 1493. Lad. de Kanisa 1493. Ioan. Coruinus 1495. Georg. de Kanisa 1498. Ioan. Coruinus 1500. Andr. Both et Franc. Balassa 1505. Petrus Berislo 1512. (*a*)

§. XIV.

LVDOVICVS II. REX XXXVI.

Coepit A. C. 1516. desiit A. C. 1526.

A. C. 1516. Ludou. 1. Ind. 4. P. 23. M.

CCCLXXXV.

Ludouicus, anno 1506. kal. Iulii natus, decimum aetatis annum agebat; dum patri hoc anno 13. Martii pleno iure successit. Anno 1508. die 4. Iunii Hungarica, sequente Bohemica corona redimitus, nulla procerum electione vel istic, vel illic opus habuit, vt paternum solium vtrobique conscenderet. Idonea tamen aetas ad moderandas tot tanto-

(*a*) Hist. Cr. T. XVIII. p. 940—956.

tantorumque regnorum habenas quum illi defuisset; magna contentione disceptatum fuit, an illi gubernator ad tantum onus sustinendum addi deberet, an solis tutoribus, suprema patris voluntate constitutis, relinquendus esset. *Ludouicus*, inquit Istuanfius, (*a*) *iustis funebribus parenti Albae persolutis, Budam rediit, comitantibus eum Thoma, card. Strigon. ac Georgio, marchione Brandeburgensi, cui Wladislaus auunculus erat, ac Ioanne Bornemisza, quibus eum pater moriens tuendum educandumque commiserat.* Ista quidem indicant, Ludouicum exsequiis patris interfuisse; sed aliud ipse videtur innuere his verbis: (*b*) „ Quibus (*exsequiis*) ita per„ actis, consiliarii nostri ex Alba huc Budam ad „ nos redierunt, tum vt nos consolarentur; tum „ vt ea, quae ad status nostri honorem et digni„ tatem pertinent, ordinarent.“ *Nonnullis*, pergit Istuanfius, *et potissimum iis, qui factionem vaiuodanam per fas nefasque alendam susceperunt, gubernator eligendus videbatur. — Quibus consiliorum ambagibus neminem alium, quam vaiuodam, tacitis votis designabunt. — Ceteri, apud quos artes vaiuodae, regnum ambientis, suspectae, et pueri regii cura potior erat, magnum palatinum — creandum censebant.* Istuanfius, more suo, suis et suspicionibus indulget, et erroribus inhaeret. Zapolyam, superstite sospiteque Ludouico, rege legitimo, regnum ambiuisse, numquam ego mihi persuasero. Hae suspiciones ex iis, quae post Ludouici mortem acta sunt, male formantur et occupantur. Errorem item, quo Perenyium palatinum ante regem Wladislaum obiisse scripsit, hic continuat. Er-

rat

(*a*) Libr. VI. p. 52. (*b*) Ap. Bel. Not. H. T. III. p. 241.

rat certe, quum turbulenta propter electionem palatini comitia nobis repraesentat. Nulla fuit necessitas eligendi nouum palatinum; quum Perenyium adhuc superstitem fuisse, praeter alia documenta, litterae, quas in fauorem Saxonicarum in Transsiluania sedium, tribus post Wladislai mortem elapsis mensibus, dedit, ostendant, quarum exordium et epilogus ita habent: (a) „ Nos Emericus de Perén, „ comes comitatus Abaujvarien. regni Hung. palatinus ac iudex Comanorum. — Datum Budae, — „ fer. 2. prox. post fest. BB. Viti et Modesti MM. anno „ dom. 1516.“ Vel vnum hoc testimonium ad adultum errorem Istuanfii conuellendum sufficere potest. (b)

CCCLXXXVI. Neque Bakatsius, si comitia tam turbulenta fuissent; ad pontificem scribere potuisset, *in conuentu Pannonico, nuper habito, omnia tranquille atque pacate acta, confecta transactaque fuisse.* Plures Leo pontifex litteras, paternae sollicitudinis plenas, post Wladislai mortem in Hungariam dedit. Ac inprimis ad Ludouicum ita scripsit: (c) „ Ex litteris Thomae, card. Strigon. legati, „ intellexi, Wladislaum, — patrem tuum, magno „ cum illorum populorum moerore et luctu, viuere desiisse. Quo sane nuncio vehementer sum „ perturbatus. — Et quoniam idem legatus scripsit ad nos, patrem tuum, extremo vitae suae „ tempore, mihi te commendasse; omnes meas „ opes, omnem auctoritatem ad te fouendum ornandumque polliceor. — Da operam, vt non „ minus religione, quam aetate; neque magis cor- „ poris

(a) Ap. Benkö Milk. P. I. p. 210. (b) Hist. Cr. T. XIX. p. 6.—9. 29. (c) Ap. Pray Ann. P. V. p. 17.

„ poris viribus, quam virtutibus animi subcrescere „ tui te populi videant. Dat. Rom. 1516. pridie „ non. Apriles, pont. an. 4.“ Curam eiusdem etiam card. Bakatsio commendauit, sociumque curarum Robertum, archiepiscopum Rheginum, eidem addidit, (*a*) *VIII. id. Apr. pont. an.* 4. Haec inter etiam Petrum Berislo, Vesprimien. episcopum, vt, finitimis praesidiis diligenter defensis, regnorum quieti consuleret, admonuit, (*b*) *nonis Aprilibus.* Ab eo certior redditus, in quanto periculo Dalmatia, propter continuas incursiones Turcarum, esset constituta, Franciscum, regem Galliarum, vt auxilia labanti Hungariae submitteret, rogauit, eique significauit, *Iaitzam*, *Tininum*, *Clissum*, *Scardonam* a Turcis obsideri: „ Quamprimum, *inquit*, (*c*) quam- „ que celerrime saltem quindecies mille numum au- „ reorum ad nos mitte, qui vna cum nostris alte- „ ris totidem illuc transmitterentur; quibus se opi- „ bus illa municipia communirent. — Idibus Maiis „ 1516.“ Eodem mense primum quidem Berislonem ad Turcarum conatus fortiter sustinendos iterum adhortatus; deinde, datis ad Bakatsium litteris sequenti mense, de pacato *conuentu Pannonico*, cuius supra meminimus, gratulatus est ac hortatus: (*d*) „ vt in instituendo rege puero aetate- „ que illa tenera et flectenda, et dirigenda, eum- „ dem consensum, eamdem curam adhibeant; quo- „ ad rex se atque sua regere per aetatem possit.“ Cum autem Selimus nouam in Aegyptum expeditionem hoc anno susceperit; legatos Budam induciarum caussa misit, quas iisdem litteris Leo dissuadet, quod non sincere petantur; pollicitus pro

(*a*) Ibid. p. 18. (*b*) Ap. eumd. Prior. Auran. p. 65. (*c*) Ap. Rayn. ad annum 1516. (*d*) Ap. Bemb. Libr. XIII.

pro regno Hung. *defendendo omnes suas opes sanguinemque etiam suum, si expediat, libentissime profusurum. — Dat. Romae MDXVI. VIII. kal. Quintiles, pont. an. IV.* Tantam Hung. curam quis satis aestimet? (*a*)

A. C. 1517. *Lud.* 2. *Ind.* 5. *P.* 12. *A.*

CCCLXXXVII. Idem ille pontifex, ab Hungaris numquam satis laudandus, vt bellum felicius cum Turcis geri posset, quinquennales omnibus Christianis inducias edixit, (*b*) *Romae* 1517. *sextodecimo kal. Apriles, pont. an.* 5. Ludouicus, de neruo belli sollicitus, Hungariae ciuitatibus certam pecuniae summam, vt Leutsouiae florenos 300. Eperiesino 150. Bartfae 175. conferendam imperauit. (*c*) Tum vero testamentum Bakatsii, qui hereditatem amplissimam filiis suorum fratrum addixerat, confirmauit, ac ita litteras suas conclusit: (*d*) „ Sigilla quoque fidelium — Emerici de Peren, — „ regni Hung. palatini, — et C. Petri, — iudicis „ curiae, duximus apponenda. Dat. Budae, in „ festo B. Vrbani papae, anno 1517." Luculentum rursus hoc documentum est ad errorem Istuanfii, quo Perenyii mortem Wladislai morti praemisit, penitus conuellendum; sed omnium illud luculentissimum, quo docetur, illi non ducis Sarosiensis, sed Siklosiensis titulum a Maximiliano collatum esse. (*e*) *Dat. in oppido Badensi, die 27. mensis Septembris, anno dom.* 1517. Caussam praecipuam collati huius honoris ita Maximilianus exprimit: „ Ex in nos

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 9.—29. (*b*) Ap. Pray Ann. P. V. p. 26. (*c*) Sperfogel ap. Wagn. Scep. II. p. 136. (*d*) Ap. Farlat. T. V. p. 524. (*e*) Ap. Wagn. Scep. II. p. 135.

„ nos ſemper fide, diligentia ſedulitateque fuit, „ vt cum optimo quoque in his omnibus, quae „ ad noſtram et dicti regni dignitatem attinent, „ facile certauerit.“ — Quare multo veroſimilius perhibet Reuaius, Perenyium, dum lex de non eligendis regibus exteris in comitiis Rakoſienſibus anno 1505. perlata fuiſſet, ſuam conteſtationem interpoſuiſſe. *Sella per vrbem circumlatus*, inquit, (*a*) *decreti iniquitatem, vt credi volebat, deteſtatus, deprecabatur, regni iura perturbantis, quae nulla exceptione liberum ius Hungaris permitterent, ſiue ex ſuis mallent, ſiue exteris, regem eligendi: neque prius queri deſtitit, quam minis coactus, ſuo ſigno appoſito, decretum obſignauit, non vt palatinus, quemadmodum declarabat, ſed priuatus.* Hanc conteſtationem Iſtuanfius ad illam pactorum nuptialium legem, quae nusquam exſtat, infeliciter tranſtulit. Heduigis quoque, Stephani de Zapolya viduae, mortem ad an. 1515. male defixit, cuius epiſtola, qua Kesmarkienſes ad vtendum conſilio Chriſtophori Warkotſch admonet, exſtat, (*b*) *ex arce Trenchinienſi, ſabbato poſt B. Michaelis, anno dom.* 1517. Nimium igitur Iſtuanfius vtriusque vitae, tam Perenyii, quam Heduigis, ſpatia contraxit. Vnde rurſum apparet, quanti ſint momenti diplomata vel ad confirmandas, vel ad conuellendas hiſtoricorum narrationes. (*c*)

A. C. 1518. *Lud.* 3. *Ind.* 6. *P.* 4. *A.*

CCCLXXXVIII. Poſtquam principum Chriſtianorum oratores ideam belli, contra Turcas communi

muni

(*a*) Ap. Schwandt. T. II. p. 699. (*b*) Ap. Wagn. Scep. IV. p. 138. (*c*) Hiſt. Cr. T. XIX. p. 40.—57.

muni consilio gerendi, designassent; (a) mox illam Leo pontifex cum Ludouico rege communicauit, data potestate, *siquid ipse vel addere, vel demere* vellet, *animi sui sensum atque sententiam* perscribendi. (b) *Dat. Romae, MDXVIII. VII. id. Ianuarii.* Ludouicus, vt suas in bello gerendo partes exsequi posset, duos conuentus particulares sub initium anni huius celebrauit, vt, quum Ioannem Zapolyam ad generalia regni comitia Budam euocat, his verbis indicat: (c) „ — Quamquam autem duas hoc anno conuentiones habuimus, in „ eum finem per nos celebratas, vt in illis de auertendis — periculis consuleretur; — nostra haec „ tam bona voluntas — perduci ad effectum non „ potuit. — Statuimus *igitur* generalem diaetam „ pro festo B. Georgii M. proxime venturo hic „ Budae iterum celebrare. — Dat. Budae, in dom. „ *Laetare* (14. *Mart.*) anno dom. 1518. “ Licet igitur Mosotzius diem et mensem conuentionum illarum non expresserit; ex his tamen litteris intelligimus, illas ante 14. *Martii* hoc anno celebratas esse. *Conuentus Tolnensis articulos potiores* dumtaxat idem Mosotzius exhibet, hoc ordine: (d) „ *Art.* „ *II.* — Vt a colonis 20. vnus eques mittatur in „ bellum, armis instructus. *III.* Ecclesiasticae per- „ sonae — a 20. colonis vnum militem in bellum „ mittant. *IV.* Sanctimoniales et viduae modo „ eodem. — *V.* Nobiles, aliis seruientes, pro se „ alios in bellum mittant. *VI.* Quidam comitatus „ pyxidarios pro equitibus mittere solent. *VII.* Rex „ suos rebelles in Morauia coerceat. *VIII.* Ad

„ bellum

(a) Ap. Rayn. ad an. 1518. (b) Ap. Pray et Bemb. (c) Ap. Pray Prior. Auran. p. 71. (d) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 337.

„ bellum omnes sine damno procedant. *IX.* Con-
„ tributio denariorum 50. — *XVI.* — Quomodo
„ coloni a contributione in posterum saluentur.
„ *XVII.* De iudiciis et caussis, quae etiam in bel-
„ lo discuti possunt. *XVIII.* Coloni abducti red-
„ dantur.“ Articulo I. hic omisso praecipitur, vt de *Iaitzae conseruatione prouideatur*. Periclitanti huic arci quum Ludouicus aliter succurrere non potuisset; coactus est Eperiesinum Perenyio palatino pro certa pecuniae summa pignori dare: quod tamen quamprimum se redemturum, nec insolitis exactionibus exhauriri permissurum, Eperiesinensibus per litteras promisit, (*a*) *Budae, fer. 6. prox. post dom. Quasi modo* (16. Apr.) *anno dom.* 1518. Facta hac inscriptione, praecepit Eperiesinensibus, vt eidem palatino iuramentum praestarent, *Budae, fer. 2. prox. ante fest. BB. Viti et Modesti MM. anno dom.* 1518. Ex Bachiensibus porro constitutionibus hos articulos Mosotzius excerpsit: „ *I.* Gen-
„ tes secundum numerum colonorum teneantur.
„ *II.* Ecclesiasticarum personarum querimonia de
„ intertentione militum. *III.* — Prouentus regis
„ etiam cum gentibus nobilium conseruentur. —
„ *IV.* Rex requisitus exsequutionem facere debet.
„ V. Thesaurarii exsequutionem faciant; si rex et pa-
„ latinus eam facere nequierit. *VI.* In caussa trium-
„ phans exsequutionem facienti viribus — assiste-
„ re debet. *VIII.* — Prouentus regis ab omnibus
„ recuperentur. — *XI.* Ciuitates montanae in liber-
„ tatibus pristinis conseruentur. — *XII.* — Telonia
„ sicca — quae dicantur? — *XIII.* De auro et ar-
„ gento e regno non exportando. — *XIV.* Co-
„ quinae regis prouentus applicati. *XV.* Iura pa-
„ tronatus

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 245.

„ tronatus ecclesiarum reuocantur. *XXI.* Bani ambo ex castris finitimis non prodeant. — *XXVI.* Nobiles praediales ecclesiae Sexardiensis conseruentur in libertate. *XXVII.* Nonas ciues ciuitatum regiarum dominis terrae ex vineis soluant. *XXVIII.* Quomodo puniantur, qui ad diaetam non veniunt? *XXIX.* De nouo iudicio, quo quis se inhibet a iuramenti depositione. *XXX.* Proscribuntur secundo, qui castra finitima amiserunt. *XXXII.* Reintegratio comitatus Temesiensis. *XXXIV.* Quod omnes status gentes suas in locis, ad hoc deputatis, interteneant. *XXXV.* Fures et alii malefactores — exstirpentur. *XXXVI.* Nobiles vnius sessionis ad conseruationem militum non taxentur. *XXXIX.* Consiliariorum et assessorum ex vtroque statu — cooptatio. *XL.* Quod vice - palatinus, vice - iudex curiae et protonotarii consilio interesse possint. *XLI.* Breuia iudicia celebrentur. — *XLIV.* Statuta praedeclarata durent — vsque ad diaetam festi B. Georgii M.“ Haec comitia videri possent ante 14. Iunii celebrata, qua Ludouicus Eperiesinenses Perenyio litteras pro pignoris securitate dare iussit, non iussurus post conditum *art.* *VIII.* quo bona regia restitui iubentur. Sed enim huius rei discussio *pro vigesimo die festi epiphaniarum domini* fieri iubetur. Cibinium tamen prius a palatino Perenyio restitutum fuisse; Ludouicus testatur, (*a*) *Budae, in die B. Luciae virginis, anno dom.* 1518. (*b*)

A. C.

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 196. (*b*) Hist. Cr. T. XIX. p. 62.—130.

A. C. 1519. *Lud.* 4. *Ind.* 7. *P.* 24. *A.*

CCCLXXXIX. Perenyius igitur palatinus, quem Istuanfius ante regem Wladislaum sepeliuit, secundum istud Ludouici diploma superstes adhuc fuit 13. Decembris, cuius obitum Cebanius figit (*a*) ad an. 1519. 5. *Februarii.* Praemortuus illi fuit Maximilianus 12. Ianuarii, cuius quidem beneficio titulum ducis et principis obtinuit; eo tamen numquam vsus fuit: forte, quod palatini, quam principis axioma potius esse duxerit; forte, quod recipiendo hunc titulum caesaris se iuribus obnoxium reddere noluerit; forte, quod Siklosiam arcem, cuius dux creatus est, superstes adhuc Laurentius Ujlakius possederit. Quidquid horum sit, vel non sit; illud tamen certum est, diploma caesareum ante mortem eius expeditum fuisse, neque proinde verum esse, quod Istuanfius his verbis asserit: (*b*) *Dum — diplomata principatus a caesare expediuntur; — ipse — Budae e viuis excessit. — Wladislaus — filium Ludouicum ad Danubium vsque funeri deducendo adhibuit.* Emendata diplomatum fide chronologia, morteque Perenyii huc dilata, potest id admitti, quod Istuanfius ita subiicit: *Mortuo Perenio, Ioannes vaiuoda, et quos factioni suae addictos habebat, ad res nouandas — occasionem inuenere.* Potest enim facile credi, Ioannem Zapolyam palatini dignitatem, qua tam pater, quam patruus eius ornati fuerant, ambiuisse; nec animo satis aequo tulisse, Bathorium sibi praelatum esse. Non tamen aeque mihi credibile videtur, Bathorium Zapolyae promisisse, nullum se magistratum, illo non consulto,

(*a*) Ap. Wagn. Sep. II. p. 135. (*b*) Libr. VI. p. 50.

consulto, petiturum aut admissurum esse. Promissi huius vnicus testis est Isthuanfius, qui tamen illud adeo dubiis verbis refert, vt tuto credi non possit. *Illud*, inquit, (a) *a Bathorio contendere visus est, ne magistratum aut quampiam officii functionem, se ignaro aut inconsulto, ambiendam existimaret, neue oblatam acciperet. — Ad quod quidem Bathorium se obstrictum reddidisse ferunt.* Ludicra tam petitio, quam promissio haec fuisset; praesertim si scopus attendatur, quem, vmbris suspicionum abreptus, ita subiicit: *Quibus artibus non aliud quaerebatur, quam, vt — minorem ad parandum sibi regnum difficultatem experiretur.* Praeter turbulenta haec comitia celebrata sunt alia Bachiae, quorum praecipuos articulos ita Mosotzius recenset: (b) „*Art. VII.* Quod camerariis non sit „ licitum pro se fodinas excoli. *VIII.* Camerarii „ macella et educilla non teneant. — *IX.* Aurum „ et argentum, vti tempore Mathiae regis, ad „ cameram cambiatur. *XXII.* In Sclauonia et Trans„ siluania eodem modo, vti in Hungaria, fiat ex„ sequutio iudiciorum. *XLIV.* Confoederationes „ inter dominos inuicem dissoluantur.“ Qua parte huius anni haec vel illa comitia, in quibus Bathorius Zapolyae praelatus fuit, celebrata sint, incertum est. Id certum, a Ludouico Bathorium iam palatinum appellari die 27. mensis Augusti, litteris pro Zwyneis ad regni iudices datis. (c) Timon ad hunc annum scribit, (d) *pacem ad triennium cum Turco sancitam esse* corrigitque Nicolaum Istuanfium, qui *Barnabam Belaium cum octo annorum induciis*

a Selimo

(a) Libr. V. p. 46. (b) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 343. (c) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 401. (d) Epit. Chron. p. 215.

a Selimo remissum esse, litteris consignauit. Sed enim Belaium, mense Iulio hoc anno reuersum, nec octennales, nec triennales inducias adtulisse, colligimus ex Ludouici litteris, ad Ioannem Ernust 29. mensis Augusti datis, (*a*) quibus Iaitzae, nimium periclitanti, prouideri iubet. Neque, si pax cum Turcis fuisset, Leo pontifex ecclesiasticos et religiosos ad decimas in necessitates regni conferendas adegisset, litteris ad Blasium Paxium et Philippum More datis, (*b*) *die 6. Septembris, anno* 1519. (*c*)

A. C. 1520. *Lud.* 5. *Ind.* 8. *P.* 8. *A.*

CCCXC. Timeri hoc anno Selimus desiit, kalendis Septembris exstinctus, cui Solimanus II. (fatale Hungaris nomen) successit, qui propter inauspicatum cum Parthis praelium iam iam exauctorandus, *ad preces et promissa versus*, teste Dubrauio, (*d*) *quod* „ totam Mysiam, Bulgariam, Bosnam „ cum ipso Bellegrado redacturus breui in potesta- „ tem Turcarum esset, “ *gratiam tandem recuperauit. Audita haec Turcae promissa Budae erant; sed pauci illis animum intenderunt; reliqui cum laetitia stragem hostium praesentem accepere, nihil de futuro solliciti, quasi cum vno praelio tota vis Turcae interiisset. Per incuriam igitur, perque epulas et conuiuia vitam amoenam Hungari transigebant, regemque iuuenem, qua quisque arte nouerat, circumueniebant. Quis vmquam carius emtam vulturem auem audiuit, quam fuit a Ludouico redemta?* Se-

(*a*) Ex MSS. Wagnerianis. (*b*) Ap. Wagn. Scep. II. p. 198. (*c*) Hist. Cr. T. XIX. p. 144.—170. (*d*) Libr. XXXIII. p. 309.

Secesserat Agriam, quam, morte episcopi vacuam, ipse per praefectum suum aliquamdiu tenuit.— Is vulturem cicurem, ad aucupium edoctam, habuit; ipsum praeterea aucupem, vario praestigiarum genere — insignem. Petit vtrumque sibi dari rex. Ad haec praefectus: „ Hac, *inquit*, conditione dono, „ vt liber sim a ratione villicationis reddenda. " *Annuit rex, nutumque litteris et annulo suo roborat:* „ vt a 40. millibus aureum numum, quae penes „ praefectum reliqua erant, liber esset. " — *Ab eiusmodi igitur leuioribus studiis vt Ludouicus abstraheretur; de vxore, ei maturius adducenda, deliberatum.* Haec duo rerum adiuncta, vacans Agriensis episcopatus et proximus ad nuptias apparatus, ostendunt, hanc de vulture narrationem ad hunc potius, quam 1517. annum, collocandam esse. Hoc enim Hippolytus cardinalis, episcopus Agriensis, 3. Septembris obiit; (*a*) cui Ludouicus successorem Ladislaum Szalkanum; huic in Vaciensi cathedra Ioannem Orszàg, isti Ladislaum Macedonium in Sirmiensi dedit, (*b*) *Budae, sabbato prox. ante fest. BB. Innocentium, anno dom.* 1520. De nuptiis quoque Ludouici sub anni huius exitum *deliberatum esse*, patet ex legatis Oenipontum missis, vbi quemadmodum Annae cum Ferdinando, ita Mariae cum Ludouico matrimonium nouo consensu roboratum est *XI. Decembris.* (*c*)

A. C. 1521. *Lud.* 6. *Ind.* 9. *P.* 31. *M.*

CCCXCI. Nuptiis Lincii celebratis, aduentum Mariae cum obitu cardinalis Bakacsii Nicolaus Olahus

---

(*a*) Tim. Purp. Pannon. p. 107. (*b*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 389. (*c*) Hist. Cr. T. XIX. p. 188.—204.

hus ita coniungit: (*a*) *Thomas Bakocz de Erdeodi, card. Strigonienſis, mortuus in menſe Iunio, anno* 1521. *cui ſucceſſit Georgius Zathmar eódem anno. Eodem anno Maria regina, deducta in Hungariam, excepta fuit Budae a rege Ludouico in menſe Iunio.* Poſt taedas nuptiales atrociſſimum cum Solimano bellum exarſit, quo florentiſſimum olim Hungariae regnum totum paene conflagrauit. Eius ſcintillae iam dudum gliſcebant, et adnexas Hungariae prouincias ſaepe ſub infidis induciarum cineribus exurebant ac conſumebant. Sub Solimano grauius ipſam Hungariam incendium corripuit, cuius praeludia fuerunt iactura Srebernici, Teſſenii, Szokolii, Tininii, quibus per ſummam noſtrorum ſocordiam Turcae potiti, Iaitzam item ad ictum et praedam deſcripſerunt. Petrus Kegleuichius, loci praefectus, exploratis hoſtium molitionibus, (*b*) *ſuos in omnes occaſiones paratos eſſe — iubet: excubias duplicat: ac moenia — ſelectis ex ordine peditum manipulariis cuſtodienda attribuit:* — „ centum equites — vltra „ vallem, ab hoſtibus inſeſſam, ſilentio conſiſtere, „ ac, quum ipſe ſignum, exploſo tormento, de- „ diſſet; hoſtes a tergo adoriri " *iubet. Ipſe vero — paullo ante crepuſculum complures mulieres et puellas ex vrbe emittit: easque — choros ducere, ac intenta voce canere praecipit. — Turcae, mulieres ab oppido procul diſceſſiſſe conſpicati, — in eas rapiendas irruunt. Mox Kegleuichius, ex vrbe prouolans, a fronte; equites vero, quos nocte vltra vallem in inſidiis collocatos diximus, a tergo circumfuſi, eos inopinato — terrore perculſos — ita profligauere, — vt pauci, qui rem male geſtam domi ſuis nunciarent, ſuperfuiſſe viderentur.* Apparet hinc, quantum in-

 terſit

(*a*) Ap. Bel. Appar. D. I. p. 39. (*b*) Iſtuanf. L. VI. p. 55.

tersit inter ducem vigilantem ac negligentem. Ludouicus, hoc successu laetus, magnam tamen Solimani potentiam veritus, auditis eius in Hungariam apparatibus, *legatum ad Leonem X. pontificem misit Stephanum Verbötzium, regni praetorem.— Is quum in vrbem venisset; Leonem — votis et supplicationibus vsque adeo intentum reperit, vt e Vaticano ad S. MARIAE, quam maiorem vocant, aedem discalceatus nudisque pedibus processerit, DEVM O. M. fusis precibus et lacrimis orando:* „ vt reuocata animis Christianorum principum concordia, — eos „ ad inferenda arma Turcis — concitaret." — Verbötzium, *non diu Romae detentum, Leo remisit; et* „ se caussae publicae iuuandae minime defuturum " *respondit. — Nec multo post venit Budam a Leone missus Thomas Vius card. — certum auri pondus adferens, ac nomine pontificis Ludouicum exhortans:* „ vt Turcas, sublato formidabili hoste Selimo, languidiores redditos, e propinquo armis aggrederetur: effecturum se, vt ceteri quoque principes „ Christiani, sociatis terra marique viribus, idem „ faciant." *Cardinalem, in Hungariam profectum, sequutus fuit Thomas Nadasdius, honesta nobilique familia iuuenis, eo animi proposito, vt interpretis munere fungeretur.* (*a*)

CCCXCII. Multarum id genus legationum Istuanfius ante bellum, cum Solimano gestum, meminit; at legationem, ad Carolum imp. et comitia Vormatiensia destinatam, ad sequentem annum reiicit: cuius tamen, hoc anno peractae, certissimum indicium est (*b*) *oratio, in imperiali conuentu* Ver-

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 209.—242. (*b*) Ap. Pray Ann. P. V. p. 46.

Vormatiensi, coram diuo Carolo caesare ac principibus totius imperii, die 3. *Aprilis*, 1521. *per incliti regis Hung. ac Boh. — oratores habita;* typoque iam olim vulgata, quae tristissimam eorum temporum imaginem, velut in speculo, repraesentat. E tot legationibus, vltro citroque missis, apparet, magnum Hungariae discrimen a Turcis impendisse, magnamque Ludouicum sollicitudinem ad illud auertendum habuisse. Nullis tamen curis efficere potuit, quominus Belgradum, fortissimum illud non modo Hungariae, sed omnis Christianae reip. propugnaculum, a Turcis occuparetur. *Duo erant*, inquit Istuanfius, (*a*) *praefecti, quibus tuendae eius vrbis munus delatum erat: Emericus Enningius, cognomento Turcus, et Franciscus Hederuarius; quorum ille — ante aliquot dies e viuis excesserat, relicto filio iuuene Valentino; hic vero certis de caussis — a rege successorem sibi mitti postulauerat, nec tamen eo exspectato, domum se receperat. Quum autem Ludouicus Andream Bathorium — istuc misisset; — a Valentino et Hederuario non admissus. — Administrabant praefecturae munus duo illorum legati, Blasco nempe Olahus ac Michael Moraeus, — quorum hic postea ad Solimanum nefarie transfugisse fertur; ac in eius locum — Ioannes Morgaius successit; in arce autem Ioannes Bothus — res curabat. Hi crebrioribus nunciis et litteris opem a rege ac pecuniam et tormenta cum pilis et puluere sulphureo, quod ea superioribus annis a Ioanne Zapoliano — amissa essent, inprimis postulabant. — Sed ea omnia tam lente administrabantur, vt, dum nautae et remiges conquiruntur; — expediendarum nauium occasio — praetermissa sit. — Hac in perturbatione*

(c) Libr. VII. p. 57.—63.

batione — erant res Nandoralbae, *quum* „ Solimanum „ — Samandriam appulisse" *allatum est. Ast Ludouicus — ad omnes prouincias regni — mandata dedit:* „ vt, — maiori, quo possint, militum nume„ ro Tolnam sub signis conueniant." *Sed homines, reip. et patriae immemores, — adeo negligenter ea exsequuti sunt, vt pauci admodum ex iis, qui in propinquo habitabant, obtemperarent. — Solimanus, e castris Samandrianis Pyrrhum praemittendum duxit; — Achomatem autem — ad oppugnandum Sabacium ire iussit, —* qui — *propugnatores spe et opinione sua constantiores reperit.* Postquam hi diu hostium omnes conatus feliciter elusissent; *vigiliis et continuis laboribus adeo fessi, vt vix corpora sustinerent; — — tandem vniuersi — eo, quem viuentes tenuerant, loco haud inulti cecidere. — Sabacio in potestatem redacto, Solimanus Sauum ponte — sternendum existimauit. — Quo confecto, ipsemet cum — maiori exercitus parte transiecit.* (a)

CCCXCIII. Postquam Solimanus Semlinum ad deditionem adegisset, ac Balibegum ad vastandas Sirmii plagas misisset; *Ludouicus*, iam *Tolnam profectus*, — *Bathorium palatinum — dare operam iussit, ne hostis — impune grassaretur.* Hic Balibegum quidem fugauit; sed Tolnam reuersus, eiusdem populationi Sirmium rursus exposuit. His igitur praemissis, Solimanus ad Belgradum liberius oppugnandum omnes vires suas conuertit. *Nostris tamen insigni virtute se defendentibus, — longior in dies et difficilior oppugnatio reddebatur. — Iam vigesimus dies irritae oppugnationis praeterierat;* dum duo Rascii transfugiunt: a quibus hostis edoctus

qua

(a) Hist. Cr. T. XIX. 242.—282.

qua parte muri debiliores essent, eo tormenta dirigi iussit. Dirutis magna parte moenibus exterioribus; oppidanisque Rasciis in arcem refugientibus; 800. ianitsaris, quum in vrbem irruissent, ex arce procellosa grandine pilarum prostratis; eadem arx tribus ex locis magna vi tormentorum oppugnari coepit. *Blasco et Bothus praefecti summa industria — milites, per stationes passim excubantes, quorum iam vix 400. supererant, inuisere; — sua munia — ea fide — obire, vt — 20. hostiles impetus, in arcem et vrbem acerrime illatos, inuicto corporum et animorum robore et constantia pertulissent. — Iam ipse Solimanus, — tot irritis suorum conatibus permotus, Hungaros ad mutandam fidem, aut ad vrbis deditionem subigi posse vix sperabat. — Iam 40. dies obsidionis agebatur; quum — ad extremum quidam — ex iis, qui, Christiana religione abiurata, Mahometanae superstitioni se addixerunt*, ad Turcarum duces profectus, vt, cuniculis actis, arcem subruerent, monuit. Eorum vno subinde succenso, Rascii territi, litteras sagittis alligatas eiaculati, de deditione cum hostibus agere coeperunt. Quum igitur illi numero Hungaris superiores essent; nec vllis seu minis, seu promissis ad saniora reduci possent; *Pannonii adacti, ne domi intra moenia deserti et proditi a sociis; foris vero a truculento hoste vno eodemque tempore expugnati, extremae sortis aleam subire cogerentur; ipsi quoque de tradenda arce — cum Thracibus conuenire — coacti fuere. — Profectione in diem sequentem instituta, qui fuit 29. mensis Augusti, quum inter armatos — Turcarum ordines — progredi iuberentur; Hungari, contra fidem datam, omnes extemplo caesi — fuere. — Amisso Belgrado, Ludouicus, — vehementi dolore affectus, — copias suas in opportuna loca distribuit.* Triduo

post

post Belgradi iacturam ad montanas ciuitates litteras de mutatione monetarum dedit (a) *ex castris, ad oppidum Tolna positis, in festo B. Aegidii abbatis* 1521. Obsesso Belgrado, Statilium ad Venetos pro sollicitandis auxiliis misit, (b) qui 30. millia nummum aureorum Hungaris periclitantibus addixerunt. Sigismundus quoque, Poloniae rex, auxilia cum ipse misit, tum Bohemos et Morauos, vt mitterent, admonuit, (c) *dom. prox. ante fest. S. Mariae Magd. A. D.* 1521. (d)

A. C. 1522. *Lud.* 7. *Ind.* 10. *P.* 20. *A.*

CCCXCIV. Quorum culpa Belgradum sit amissum, scriptores variant. Blaskonem, seu Blasium Olahum, Ioannem Morgaium ac Ioannem Bothum egregie munus vicarium sustinuisse, tam Istuanfius, quam Tubero, qui hic desinit, testantur. Primarius vterque praefectus, iisdem testibus, abfuit; dum Belgradum oppugnatum ac expugnatum erat. Vter eorum *a rege successorem sibi mitti postulauerit; nec tamen eo exspectato, domum se receperit;* Istuanfius quidem ambigue ponit; vterque tamen, eodem teste, punitus est. *Comitiis*, inquit, (e) *postea habitis, quum Valentinus Turcus — ac Franciscus Hederuarius, quorum incuria et inobedientia Belgradum amissum erat, citati non comparuissent; omnium suffragiis proscripti, et bona eorum publicata fuere.— Et Franciscus quidem in exsilio periit; Valentinus vero, quod iuuentae vitio potius et malorum hominum prauis consiliis, quam sponte deliquisset, — in gratiam*

(a) Ap. Wagn. Scep. IV. p. 82. (b) Ap. Pray Annal. P. V. p. 58. (c) Ap. Dogiel T. I. p. 28. (d) Hist. Cr. T. XIX. p. 280.—308. (e) Libr. VII. p. 63.

tiam receptus fuit. In comitiis quidem nulla disserta mentio fit alterutrius; generatim tamen omnes auctores amissi tam Szabatsii, quàm Belgradi bonis multantur. De his comitiis Mosotzius ita scribit: (*a*) *Contributio extraordinaria regi ingens promissa; de qua hic articulos adscribere piguit, ad militiam et iura pertinentibus contenti.* Hos igitur dumtaxat articulos excerpsit ex decreto IV. „ *XIX.* Fidelis „ quispiam per regem constituendus, qui cusori„ bus monetarum assistat. *XXXIV.* Capitanei, non„ dum iurati, primo quoque tempore iurent. *XXXV.* „ Capitaneorum officium et salarium. *XXXVI.* „ Ecclesiarum et mulierum violatores capite ple„ ctantur. — *XLIV.* Tributa, in regnum arma et „ victualia importantes, non tenentur soluere. *LII.* „ Stipendiarii comitatuum, qui pecuniam comita„ tus leuarunt, et in bellum non sunt profecti, „ pecuniam restituant. — *LIV.* Expeditioni qui „ non interfuerunt, bona — auferantur. — *LV.* „ Actus potentiarii, qui, expeditione durante, sunt „ patrati, — cognoscantur. *LVI.* Iudicia comita„ tuum et vicariorum infra expeditionem suspensa „ maneant. *LVII.* Bona, post obitum Wladislai „ R. occupata, remittantur. *LVIII.* Coloni abdu„ cti, vel motu proprio discedentes, restituantur.— „ *LIX.* Si comes nouiter quid occupet; — id co„ mitatus regi rescribat. — *LX.* Infideles, qui ca„ stra Nandoralbense et Sabach amiserunt, pronun„ ciantur." Qui hic non nominatur Hederuarius, nominatim a Ludouico proscribitur, (*b*) *Budae, in festo cathedrae B. Petri, an.* 1522. Cui vitio datur inter cetera: „ quod Michaelem More, homi-

„ nem

(*a*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 344. (*b*) Ap. Pray Ann. P. V. p. 54.

„ nem sceleratissimum, — sui loco reliquit, qui „ ad tyrannum ipsum Solimanum de eodem castro „ — noctu egrediens, ipsum illi prodere non fuit „ veritus.“ (a)

CCCXCV. Quum Ludouicus, mense Martio Pragam profectus reliquam huius anni partem in Bohemia transegerit; vltra mensem Februarium ea comitia differri non potuerunt, quo dotem etiam, a patre superstite Mariae reginae constitutam, recensuit, (b) *in festo purificationis BB. V. M. an. dom.* 1522. Quatuor equitum, peditum autem 20. millibus in comitiis imperii decretis; *fuisset*, inquit Praius, (c) *Hungariae optime consultum; sed eam subsidiorum spem importunum prorsus nouandae religionis studium — intercepisset.* Sophius quoque, Persarum princeps, suam aduersus Solimanum opem Ludouico pollicitus est; (d) qui quum alcoranum aliter, ac Turcarum potissima pars, interpretatus fuisset; magnas inter Turcas et Persas dissensiones excitauit. Sed Ludouicus prae remotis ac incertis his auxiliis, certiora, quia propinquiora, suis in ditionibus conquisiturus, Bohemiam cum Maria coniuge petiit, et quantam illic rerum Hungaricarum curam habuerit; suis ad palatinum litteris expressit (e) *datis in Broda Almanicali, feria 2. post dom* Oculi, *anno dom.* 1522. „ Omnibus, *inquit*, aliis „ negotiis nostris postpositis, ad ordinanda auxilia „ omne studium nostrum — conuertemus.“ Id ipsum aliis ad eumdem litteris, 31. Martii Praga datis, significat; sequenti vero mense Hungaros auxiliorum partim

(a) Hist. Cr. T. XIX. p. 312.—352. (b) Ap. Koller. Ac. Dipl. p. 317. (c) Ann. P. V. p. 67. (d) Ibid. p. 63. (e) Ap. Pray Prior. Aur. p. 78.

partim a Carolo caesare promissorum, partim ab aliis speratorum, certiores reddidit. (*a*) *Dat. Pragae, tertia festi resurrectionis, anno* 1522. „Quod autem, „ *inquit*, ad personam nostram attinet; pro salute „ omnium vestrum et pro totius regni nostri Hung. „ defensione, omnem bellorum fortunam forti ani- „ mo experiri, sanguinemque ac vitam etiam no- „ stram, si opus fuerit, effundere non dubitabimus: „ et — nostrum reditum in Hungariam maturabi- „ mus. — " Sed Ludouicus, multis in Bohemia negotiis retentus, adhuc in Octobri Pragae litteras in fauorem prioris Auranae dedit, (*b*) *feria 6. ante fest. B. Galli conf. anno dom.* 1522. Erat tunc prior Auranae Mathias de Barath, suffectus Petro Beriszloni, Turcarum insidiis intercepto caesoque, cuius loco Ludouicus, vt Istuanfius perhibet, (*c*) *Ioanni Carlouicio, — ac Francisco Batthyanio, in Wladislai patris aula ac deinde cum ipso simul a teneris educato, viris domi militiaeque claris, prouinciam* (Dalm. Cr. Sclau.) *administrandam tuendamque demandauit.* Hic Batthyanius ad Thomam Nadasdium serius de quadam confoederatione, non tam contra regem, quam pro rege conflata, scripsit, cuius conditiones hoc anno confectae sunt (*d*) inter episcopos *Transsiluan.* Franciscum de Varda; *Varadien.* Franciscum de Perén; *Chanad.* Franciscum; *Sirmien.* Ioannem; proceres: Ioannem Drágfi, Anton. Palochi, Andr. de Báthor, Steph. de Rozgon, Petrum de Peren, Lad. Kanisai, Franciscum Országag, Gasp. Raskai, Sigism. Bánfi, Franciscum Homonnai. — *Dat. Budae, fer. 4. prox. ante diem B. Augustini E. et C. A. D.* 1522. (*e*)

A. C.

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 26. (*b*) MSS. Heuenes. JJ. p. 248. (*c*) Libr. VII. p. 64. (*d*) MSS. Wagneriana. (*e*) Hist. Cr. T. XIX. p. 352.—388.

A. C. 1523. *Lud.* 8. *Ind* 11. *P.* 5. *A.*

CCCXCVI. Quum, Solimano bello cum Rhodiis distento, remotius ab Hungaria periculum fuerit; Ludouicus suum in Hungariam reditum accelerandum non censuit. Nondum illum 8. Martii Praga disceſſiſſe, liquet ex eius litteris, ad palatinum de reperto *S. Paulli I. haeremitae* capite datis, (*a*) *Pragae*, *in dom.* Oculi, *anno dom.* 1523. Die 12. mensis Aprilis Olomucii; sed 2. Maii iam Budae litteras dedit. His seueriſſime *Martini Lutheri*, *iam pridem a sancta sede apostolica vna cum sequacibus eius excommunicati*, librorum venditionem, emtionem, lectionem prohibet. (*b*) Et iam prius in comitiis, Budae festo S. Georgii M. celebratis, aduersus nouitii huius dogmatis sectatores seueriſſimam legem pertulit, (*c*) Decreti V. hic conditi praecipuos articulos ita Mosotzius exhibet: „ *Art. XVII.* Officia „ Hungaris conferantur, et non exteris. *XVIII.* „ Banderia rex interteneat in confiniis. *XIX.* — „ Nobiles de singulis decem seſſionibus vnum equitem dare tenentur. *XX.* Nobiles vnius seſſionis — ad expeditionem vadant. *XXI.* Exercituantes ne tempore progreſſionis in bellum damna „ incolis inferant. — *XXIII.* Argenti marca 6. florenis et 50. denariis redimatur. — *XXXIV.* Argentum et antiquae monetae non educantur. „ *XXXV.* Monetarum veterum permutatio. *XXXVI.* „ Merces non pluris vendantur, quam prius venditae sint. *XXXVIII.* Obuli quoque cudantur. „ *XXXIX.* Libertas detur omnibus colendi fodinas. „ — *XL.* Nemo pecunias aliquas sub nota infidelitatis

(*a*) Ap. Pray. de S. Dextr. p. 72. (*b*) Ap. Pray Hier. P. II. p. 224. (*c*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 346.

„ litatis cudere in regno praesumat. *XLI.* Poena „ eorum, qui vocati ad generale bellum, venire „ noluerint. *XLII.* Exercituandi spiritualium mo„ dus. *XLIV.* Capitanei in singulis comitatibus „ constituantur. *XLV.* Capitaneorum officia quae „ sint? *XLVI.* Tricesimae et loca exactionis ea„ rumdem. — *XLVII.* Saxones Transsiluani con„ numerentur. *LIV* Lutherani et illorum fauto„ res puniantur. *LV.* De protonotariis. *LVI.* „ De taxis litterarum. *LVII.* De litteris sententio„ nalibus. *LVIII.* De hominibus regiis vel palati„ nalibus." Leoni X. 2. Dec. 1521. defuncto Hadrianus VI. 9 Ian. prioris anni suffectus, Paullum Tomorium, votis, quibus ordini Seraphico fuit adstrictus, exsolutum, ob insignem rei militaris scientiam, archiepiscopum Colocensem a Ludouico renunciatum confirmauit; neque haec Tomorii promotio potest vltra hunc annum, quo Hadrianus 14. Sept. obiit, ac 19. Nou. successorem Clementem VII. accepit, differri. Caussam Istuanfius, cur is potissimum delectus fuerit, hanc assignat, (*a*) quod *amisso Belgrado, non Bacia tantum et Colocia,* — *sed etiam proximae regiones frequentioribus hostium excursionibus* exponerentur; Tomorius autem *non solum sacerdotii auctoritate, sed etiam armis militarique virtute* clarus, — *ad id muneris aptissimus haberetur.* Natus is in prouincia Gömöriensi, duarum sponsarum ante nuptias obitu territus, S. Francisci religionem iniuit. *Eum igitur vel reluctantem — Ludouicus — Colocensi dignitate ac earum partium militari praefectura honestauit.* (*b*)

A. C.

(*a*) Libr. VII. p. 64. (*b*) Hist. Crit. T. XIX. p. 388.—441.

CCCXCVII. Haec omnia Clemens VII. confirmat, DEVMque laudat, quod illum *ex milite monachum, ex monacho episcopum, ex episcopo ducem militum* regno Hungariae praestiterit. (*a*) *Dat. Romae, — die* 20. *Febr.* 1524. Paullo post expromendae virtutis occasionem Tomorio Ferhates obtulit, qui (*b*) 15. *circiter equitum millibus ac* 1000. *peditibus* collectis, *traiecto Sauo, in Sirmium, irrupit. — Tomoraeus, de eorum consiliis et conatibus per exploratores certior redditus, — quum e peditibus pugnacem et impigrum quemque selegisset; eos Georgio Batthyanio, praefecto Varadini Petri, attribuit, additis mandatis:* „vt Turcas, qui ad nauium custodiam relicti erant, aggredi, eisque fugatis, „naues — inutiles reddere conarentur." *Quibus dispositis, ipse in Ferhatem, incendiis et populationibus longe lateque metum et pauorem circumferentem, — exercitum mouere — constituit. — Ferhates,* de his edoctus, *suos palantes, — in ordinem aciemque cogit, atque in nostros omnibus copiis prouehitur. — Quamquam autem Turcae pugnam aegerrime sustinerent; quia tamen nullus fugae locus, nauesque procul erant; certamen ad occasum fere solis protraxere; —* sed, *nostris acrius prementibus, fusi et fugati, terga dedere. — Ferhates, suos fugientes sistere conatus, a Bardio — multis confossus vulneribus, interficitur. — Omnibus fere trucidatis, pauci equitum ad socios, qui nauibus custodiendis relicti erant, peruenire potuerunt. Sed, quum — naues flammis consumtas reperissent; — aut in profluentem*

se

(*a*) Ap. Schmitth Ep. Agr. T. II. p. 255. (*b*) Isthuanf. l. VII. p. 65.

se praecipites proiicere; — aut nostrorum gladiis se se interficiendos obiicere, aut — in seruitutem tradere compellebantur. — Nostris 800. desideratis, — munera Ludouico Budam missa sunt — signa circiter 40. — Quae Ludouicum, tot tantisque aduersis successibus accumulatis animo moestum, et deiectum, non parum recrearunt. Fastum autem Solimani, qui Belgradum vsque hoc anno profectus, insolentissimas ad eum litteras 20. Febr. dederat, nonnihil depresserunt. Ad eas Ludouicus modestum quidem, sed masculum Christianoque principe dignum responsum reddidit, (*a*) *Budae*, *6. Martii*, *an.* 1524.
„ Quantum, *inquit*, ad fidem et DEVM nostrum
„ crucifixum, humani generis redemtorem, adti-
„ net, cuius tu cultum velle te exstinguere scribis;
„ facis id quidem, vt omnia, more tuo, qui non
„ satis esse putas omnium mortalium publicum te
„ hostem iudicari; sed, vt grauius corruas, etiam
„ ipsi DEO immortali, more gigantum, bellum
„ paras. — " Dum ferox Solimanus tanto cum fastu non tantum terris, sed etiam caelo bellum denunciauit; Clemens VII. omnem operam impendit, vt Hungariam a tanto discrimine, Germaniam a nouitio Lutheri dogmate liberam praestaret, pluribus in eam rem litteris tam ad metropolitas Strigonienses, Georgium Szakmarium, eoque mortuo 7. Aprilis, ad Ladislaum Szalkanum, quam alios praesules et proceres datis. (*b*)

A. C.

(*a*) Ap. Bel. N. H. T. III. p. 259. (*b*) Hist. Cr. T. XIX. p. 416.—480.

CCCXCVIII. Vt Ludouicus pro tanta victoria DEO se gratum praestaret; religionis auitae studiosissimus, quum intellexisset, quosdam in superiore Hungaria sacerdotes nouitiam carnique blandientem doctrinam amplexos esse; comitatui Saarosiensi praecepit, vt comprehensos, ad Agriensem vicarium pro merito plectendos, transmitterent. (*a*) *Dat. Budae, die dom. post fest. S. Paulli. 1. herem. anno dom.* 1525. Sequenti mense consimile mandatum ad Bartfenses misit, (*b*) *sabbato prox. post fest. purificat. BB. V. M.* Nec Szalkanus archiepiscopus officio suo defuit, qui, celebrata Strigonii synodo, plebano Bistriciensi significauit, duos errorum praecones, de quibus is antea questus erat, Budae captos attineri, (*c*) *Bud. in dom. rogationum*, 1525. Quum patriam fidei hostes ita discerpebant; Turcae nihil non agebant, vt acceptam anni superioris clade notam delerent. Vsressus igitur, Ferhati suffectus, vt Istuanfius perhibet, (*d*) *coacto ad* 20. *et amplius millium Turcarum exercitu, ad obsidendam Iaiciam contendit.* —, *Ludouicus*, — *quamquam proreges Illyrici — Ioannes Carlouicius et Franciscus Batthyanius designati essent*, — *munus tamen ferendorum obsessis auxiliorum Christophoro C. Frangepani ante alios committendum duxit.* Is, celeriter coacto promotoque 16. millium exercitu, haud procul vrbe, diutius iam obsessa, consedit; *ibique, quum eius diei reliquum et insequens nox processisset, quiete militi concessa, dispositisque per loca idonea excubiis, cetera in diem crastinum distulit. Postero die* dissipatis

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Sar. p. 31. (*b*) Ibid. p. 152. (*c*) Ex autographo. (*d*) Libr. VII. p. 67.

dissipatis hostibus obuiis, annonam obsessis immissurus, Petrum Crusitzium cum commeatu, clitellariorum equorum dorsis imposito, paratum esse iubet. Ipse cum exercitu versus castra Turcarum mouet. Hostibus in pugnam effusis ac vltra tres horas acerrime praeliantibus, *Crusitzius feliciter vrbem intrauit, et deposito commeatu ac certa pulueris sulphurei copia, nec non centuria sclopetariorum ibidem praesidio relicta, incolumis ad suos rediuit.* Tribus postea diebus noctibusque transactis, Frangepanius, *ante auroram paucis suos cohortatus, — tubis ac tympanis crepantibus, signum inuadendi hostis indicit. — Nostris in confertos hostes acerrimo impetu ruentibus, pari vtrimque pertinacia et vario euentu aliquot horis pugnatum est. — Tandem, quum, signiferis caesis, aliquot a nostris capta essent signa, hostes dissipantur. — Magna promiscui et gregarii militis strages passim edita. Castra ac tormenta — in nostrorum potestatem deuenere. — Munera Ludouico — missa sunt — 60. signa militaria; —* qui Frangepanium *regnorum Dalm. Croat. et Sclau. defensorem* appellauit. (*a*)

CCCXCIX. Gemina haec victoria satis ostendit, nondum in Hungaris virtutem bellicam exoleuisse, Turcasque, modo conniterentur, ab illis vinci posse. At illi, seditionibus domesticis distracti, non ea, qua par erat, cura vires aduersus hostem adeo potentem compararant. Auctorem harum seditionum Istuanfius Stephanum Verbötzium facit, eam potissimum ob caussam, (*b*) *vt, quum Ludouicus quartum iam annum, ducta vxore, nullam prolem*

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 482.—502. (*b*) Libr. VIII. p. 69.

susceptisset, siquid ei humanitus contingeret, vaiuodae ad consequendum regnum certiora fundamenta iacerentur. Nimis quidem cito spes Ludouico, nondum annos 20. nato, tollendae prolis adimitur: praepostere vaiuodae seniori, post mortem Ludouici multo iunioris, regnum despondetur. Et huic arenae totum suspicionum suarum aedificium Istuansius instruit. Non igitur hac de caussa Verbötzius turbulenta comitia reddidit; sed, quod videret, regnum alias opulentissimum ad incitas redactum esse. Quaesiuit ille malo huic remedium; sed male quaesiuit. Non enim erat priuati hominis, comitia, regis auctoritate Pestinum indicta, Hatuaninum transferre. Magnus et optime de historia patriae meritus Transsiluaniensis antistes, C. Ignatius de Batthyan, *articulos, in conuentu generali pro festo natiuitatis SS. V. M. editos* 1524. *et in diaeta similiter generali, pro dom.* Iubilate *in campo Rákos celebrata, reformatos* 1525. edidit. (*a*) Quos quidem auctoritate sua Ludouicus confirmasse non videtur; quum comitiis, auctoritate horum articulorum pro festo natiuitatis Hatuaninum indictis, intercesserit, (*b*) *Budae, fer.* 2. *prox. post fest. pentecostes* (2. Iunii) *anno dom.* 1525. Etsi vero Ludouicus sub graui poena prohibuerit, nequis ad Hatuaniense conciliabulum accederet, ipseque negauerit, eo se profecturum; ad vitanda tamen maiora mala Hatuaninum postea concessit. Licet autem Istuansius neget, illum in scita Hatuaniensia consensisse; litterae tamen baronis Burgio, sedis apost. legati, quibus acta horum comitiorum ad Sadoletum Romam perscribit, id affirmant (*c*) „ Rex, *in-* „ *quit*,

(*a*) Leg. Eccl. T. I. p. 595. (*b*) Ex MSS. Wagnerianis. (*c*) Ap. Kovachich Vest. Com. p. 558.

„ *quit*, omnibus (quid enim aliud faceret?) subscripsit. Dolenter tamen se ferre addebat, quod, „ exauctorato palatino, — in ius regium inuolassent." Nam ita regis auctoritas euiluit, vt Stephanus Verbötzius, exauctorato Bathorio, palatinus regni creatus fuerit. Sed acta haec anno sequente penitus antiquabuntur. Ex articulis, in campo Rákos decreto VI. conditis, hos dumtaxat Mosotzius excerpsit: (*a*) „ *Art. III.* Sigilla regis et reginae annularia Hungaris cancellariis seruanda „ dentur. *IV.* Externae nationis officiales amo- „ ueantur. — *XXIII.* Monetarum extranearum in- „ ductores comburantur. *XXX.* Nobilibus partium „ inferiorum libertas retineatur." Multa hic Isthuanfius indigna refert, (*b*) Christophorum Frangepanium archiepiscopi Szalkani *faciem pugno contudisse*, triduoque propterea manca turri clausum fuisse: *promiscuum vulgus Bohemici cancellarii supellectilem ingentis pretii diripuisse: nec multo post Emerici Fortunati* (Szerentsés) *domum inuasisse, ablatis amplius 60. millibus numorum aureorum.* His audaciae sceleribus nobilissimum regnum in ruinam praeceps ruebat. (*c*)

A. C. 1526. *Lud.* II. *Ind.* 14. *P.* I. *A.*

CD. Vt Clemens VII. discrimen, quod Hungariae magnis passibus imminebat, auerteret; crebris legationibus et litteris apud Europaeos principes agebat, vt arma tandem, excusso letargo, contra iuratum Christiani nominis hostem capesserent. Hac de caussa scripsit ad Carolum imp. et Franciscum, Galliae

(*a*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 348. (*b*) Libr. VIII. p. 71.
(*c*) Hist. Cr. T. XIX. p. 522.—567.

Galliae regem, 22. Febr. Kal. vero Martiis ad Franciae proceres. Ab Angliae rege Henrico VIII. non contemnendis auri suppetiis impetratis, ipse 50. millia numum aureorum Ludouico destinauit. (*a*) Quod inter Carolum imp. et Franciscum regem bellum recruduerit; mirum non est, nullum ab his auxilium Hungaris missum fuisse. Cur vero Ferdinandus, pontificlis itidem litteris interpellatus, affini periclitanti non succurrerit; Cochlaeus ita caussam reddit: (*b*) *Non solum plebs et rustica turba, verum etiam plerique optimates et nobilium trahebantur in fauorem noui euangelii atque in odium antiquae religionis et cleri. — Hinc — factum est, vt nemo Germaniae principum opem tulerit regi Hung. — Nam et domi nihil erat securum a seditiosis subditorum animis, et omnis miles a Luthero inuoluntarius iam pridem redditus fuerat ad proficiscendum contra Turcas. Scripserat enim ille:* „ quod praeliari aduersus Turcas, sit repugnare DEO, visitanti iniquitates nostras per illos: — non licere Christianis bellare; sed vim et iniurias pati. — " *Derelictus itaque ab omnibus Germaniae principibus pius, innocens ac inclitus rex Ludouicus*; cui non minus cum interno, quam cum externo hoste colluctandum erat. Quum magnas in montanis ciuitatibus turbas nouae doctrinae sectatores excitassent; missus ad eas componendas Verbötzius, *regni Hung. palatinus*, inter alia hoc constituit: (*c*) „ Haeresi „ Lutheranae perpetuo renunciabunt: ac monitio„ nibus et mandatis ecclesiasticis, iuxta commissio„ nem et edictum plebanorum, — canonice tamen „ ingredientium, et sub obedientia Romani ponti„ ficis

(*a*) Ap. Pray Ann. P. V. p. 92.—95. (*b*) Ibid. p. 96. (*c*) Ex autographo.

„ ficis ac archiepiscopi ecclesiae Strigonien. degen„ tium, — tamquam veri catholici obtemperabunt: „ — et praemissa se se semper obseruaturos, iure „ iurando promiserunt. — Datum in ciuitate Byz„ thricien. in profesto BB. Tiburtii et Valeriani MM. „ A. D. 1526." His ille die 13. mensis Aprilis Neosolii peractis, ad comitia Rakosiensia, festo S. Georgii celebranda, se contulit. (*a*)

CDI. Quum istic comparuisset, sibique periculum intentari comperisset; cum Michaele Zoby noctu discessit, vt instrumentum proscriptionis, confectum *Budae, quarto die termini* (4. Maii) *testatur.* (*b*) *Quum*, inquit Istuansius, (*c*) *dies, comitiis praestitutus, aduenisset; etiam eorum magna pars, qui cum Verbötzio et Zobio in partes secesserant, poenitentia tacti, adfuere. Sed, quum, ceteris silentio praetermissis, Verbötzius et Zobius, veluti perduellionis capita, semel atque iterum citati, ad nomen non respondissent; singulorum suffragiis proscripti et in exsilium pulsi sunt. — Stephano autem Bathorio magistratus palatinalis, sedente pro tribunali rege, maxima cum honoris praefatione restitutus est.* Conditum ibidem decretum VII. cuius articulos 41. Mosotzius ita recenset: (*d*) „ *I.* Rex „ auctoritate sua regia vtatur. II. Rex officiolatus, „ quos vult, abrogare, et alios officiales substitue„ re potest · *III.* Thesaurarius probus eligatur. — „ *IV.* Thesaurarius ante omnia confiniis prouideat. „ *V.* Thesaurarius prouideat, vnde — rex bande„ rium disponere possit. *VI.* Prouentus regii et

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 574.—588. (*b*) Ap. Pray Ann. P.V. p. 87. (*c*) Libr. VIII. p. 72. (*d*) Corp. Iur. Hung. T. I. p. 349.

„ dissipationes prouentuum inquirantur. *VII.* The-
„ saurarius factores probos et fideles eligat. *VIII.*
„ Rex ad expeditionem se praeparet. — *IX.* Belli
„ onus vltra solitum — omnes assumere debent
„ *X.* Coloni per singula capita assumantur in bellum
„ in extrema necessitate. *XI.* Apparatum belli,
„ quo maiorem poterunt, leuent. *XII.* Constitu-
„ tiones Transsiluanienses de modo exercituandi
„ perlegantur. *XIII.* Regia maiestas de expeditio-
„ ne futura cum peritis rei bellicae tractet. *XIV.*
„ Auxilium contra hostes ab externis Christianis
„ principibus imploretur. *XV.* Amissores castro-
„ rum finitimorum puniantur. *XVI.* Regnicolae,
„ nonnisi magna vrgente necessitate, ad diaetam
„ conuenire cogantur. *XVII.* Diaetae Hatuanien-
„ sis constitutiones et decreta nullius sint firmita-
„ tis. *XVIII.* Capitaneus generalis eligatur. *XIX.*
„ Res Boemorum direptae inquirantur. *XX.* Octa-
„ uarum maioris et minoris celebratio. *XXI.* Be-
„ neficia solus rex conferre possit. *XXII.* Palatini
„ officium vita comite duret. *XXIII.* Bona reli-
„ giosorum locorum in medium comitatus commu-
„ merentur. — *XXIV.* Litterae ex cancellaria, con-
„ trariae sibi inuicem, non edantur. *XXV* Lit-
„ terae obligatoriae, externis datae. — *XXVI* Lit-
„ terae proscriptionales contra Stephanum Verböcz
„ et Michaelem Zobi infideles edantur. *XXVII.*
„ Pecuniae exercituales — in medium comitatus
„ conferantur. *XXVIII.* Georgius archiep. pecu-
„ niam ad redimenda bona Hung. legauit *XXIX*
„ Milites conscribere omnes sine mora debent
„ *XXX.* Gentes dominorum, qui sine herede de-
„ cedunt, — conseruentur. *XXXI.* Ad consilium
„ 8. personae ex ordine nobilium eligantur. *XXXII.*
„ Litterae, sub titulo palatinatus Stephani Verböczi

„ rite

„ rite confectae, confirmentur. *XXXIII.* Praero-
„ gatiuae super exemtione a iudicio comitis paro-
„ chialis cassentur. *XXXIV.* Monetae cupreae
„ permutatio. *XXXV.* Capite plectantur cupream
„ monetam inducentes in regnum. *XXXVI.* Mo-
„ netarum cuprearum campsores et eductores pu-
„ niantur. *XXXVII.* Monetae externae, durante
„ expeditione, currant. *XXXVIII.* Subsidium, non-
„ dum exactum, exigatur. *XXXIX.* Oblatio sub-
„ sidio 50. denariorum. — *XL.* Officia regina Hun-
„ garis conferat. *XLI.* Metae inter Cumanos et
„ Philistaeos — restaurentur." Regis auctoritas, prius depressa, his legibus vindicata fuit. (*a*)

CDII. De his comitiis Stephanus Broderichius, regis cancellarius, ex quo Nicolaus Istuansius sua pleraque depromsit, ita loquitur: (*b*) *Decernuntur ibi ea, quae ad regni defensionem pertinere videbantur, illudque inprimis:* „ vt ad diem — 2.
„ mensis Iulii — omnes regni proceres — et tota
„ nobilitas viritim cum certa rusticorum parte Tol-
„ nam armati conueniant, hosti inde cum rege
„ obuiam ituri." *Rex interim ad bellum necessaria parat: principes Christianos, maxime vicinos, per oratores communis periculi admonet: Boemos et Morauos ac Slesitas tam nunciis, quam litteris vrget ad auxilia — praestanda: neque omittit pontificem Rom. vrgere, quantum maxime possit, ad pecuniam — adaugendam. — Permittitur praeterea in eodem conuentu regi:* vt, si — videretur ei thesauri
„ ecclesiastici pars aliqua attingenda; id ei facere
„ liceret." *Quod vt fieri sine aliqua noxa posset; Roma-*

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 588.—615. (*b*) App. ad Bonfin. p. m. 758.

Romanus etiam pontifex suo iam diplomate indulse-rat. Designantur postremo — duo huic bello gerendo duces: Christophorus comes Frangepanius — *et Nicolaus C. de Salm. — Rex, rebus omnibus rite consultatis, conuentum dimittit: Praeficit dimidii argenti, ex ecclesiis accipiendi, summae Ladislaum Macedonium.* Quamuis autem Ludouicus, bona pontificis venia, hoc ageret; publicis tamen litteris cauit, indemnes ecclesias se redditurum; si res feliciter acta contra hostes fuerit. „ Animaduertentes, *scribit ad dioecesim Varad.* (*a*) quam atrox „ malum, quamque horrida procella huic regno „ nostro immineat a truculentissimo persequutore „ Christiani nominis perpetuoque hoste Turca, qui „ gregi dominico semper infestus, — regnum hoc „ nostrum inuadere molitur; — statuimus, tum „ extrema necessitate id exigente, tum etiam SS. „ D. N. papae permissione accedente, — ab omnibus ecclesiis, — item capitulis ac monasteriis, — „ dimidium omnium, pecuniarum, ornamentorum „ vasorumque aureorum et argenteorum, — diuino „ cultui dedicatorum, — exigere; — magis pium „ ducentes, — Christi fideles a pernicie — thesauro ecclesiae seruare, quam populum Christianum „ vna cum thesauro ecclesiae in detestabilem cruentissimi hostis seruitutem venire. — Assecuramus „ praesentibus vniuersos, quod — id totum — ex „ fisco nostro, post finitam expeditionem, integre „ refundere — volumus. — Dat. Budae, in vigilia „ B. Ioannis Bapt. anno dom. 1526." Ex libro rationum regiarum inter cetera Praius notat, (*b*) *Thomam Zophka* missum esse *cum litteris suae maiestatis, secundo ad dominos et comitatus expeditis,* *in*

(*a*) Ap. Pray de S. Dextr. p. 54. (*b*) Annal. P. V. p. 102.

in hanc sententiam: „Vt statim, visis litteris ipsis, „comes cruentatum gladium *circumferri* faciat, vt „vniuersi mouere se debeant." Primum nempe sunt expeditae sub initium Iunii, similes illis, quas ad Cibinienses in haec verba dedit: (*a*) „— Pro „re certissima sciatis, caesarem Turcorum, cum „omni potentia et viribus suis accinctum, iam se „mouisse contra nos, — contra quem nos quoque, „cum toto regno nostro et totis viribus nostris, „statuimus in expeditionem, DEO iuuante, pro- „ficisci. Quum itaque — mandamus — sub nota „perpetuae infidelitatis, quatenus — 25. pedites — „Budam mittere debeatis tam tempestiue, vt hinc „possint descendere ad oppidum Tolna ad festum „visitationis BB. V. M. — Dat. Budae, fer. 6. „prox. post fest. SS. Corporis Christi (1. *Iunii*) „anno dom. 1526." Quum his litteris parum profecisset; nuncios alios misit, gladiumque cruentatum per comitatus circumferri iussit. (*b*)

CDIII. Etsi 2. Iulii praestituta fuerit, qua Tolnam omnes armati conuenire debuissent; Ludouicus tamen ante 24. Iulii Buda mouere non potuit, quod, vt Broderichius scribit, (*c*) *paucas admodum copias apud se haberet. — Habuit tunc rex — equitum ac peditum ad 3000. Eo die, quo Buda egressi sumus, ad suburbanum Ambrosii Sarkani* (tunc Erd, nunc Hansabék dictum) *peruenimus: — vbi quum aliquot diebus rex fuisset, commoratus; neque quisquam ad eum venisset; cum iisdem copiolis — vlterius ad vicinum pagum, Erchi vocatum procedit. Ibi etiam multis diebus inutiliter consumtis, — ad Penteletum est*

(*a*) Ap. Waga. Dipl. Saros. p. 199. (*b*) Hist. Cr. T. XIX. p. 615. — 638. (*c*) App. Bonf. p. 762.

est itum: — *vbi nobis a vaiuoda Transsiluano* nunciatum est: „ se ancipitem esse, quid agere debeat:
„ —venisse ad se primum aliquot regias litteras,— quibus ad regem venire iuberetur: venisse postea Vrbanum Batthyani, qui consilia quaedam de hoste, a tergo cum vaiuoda Transalpino aggrediendo ad se detulerit: venisse postremo Stephanum Bathori de Somlyo, qui rursus priora illa mandata repetiuerit."
— *His— cognitis, rex inde ad Feldvár — profectus,* nunciatur: vt, consiliis aliis postpositis, vaiuoda cum omnibus copiis — ad regem festinet. " — *Et ecce, infaustus nuncius:* „ Varadinum Petri, per plures dies a nostris viriliter defensum, omnibus fere defensoribus interemtis, — in hostium potestatem venisse. " — *Rex, hoc nuncio consternatus,* dimissis in omnem partem ad suppetias accelerandas mandatis, in Paks *biduum commoratus, et erat dies transfigurato saluatori sacra, Tolnam peruenit, aucto iam aliquantulum exercitu.* Confluentibus istuc 4. millibus pontificiorum militum aliisque, *designatur rursus, qui properet ad Draui transitum contra hostem occupandum idem C. palatinus,* — *quem quum ad Mohatsium progressum ceteri, qui mittebantur, sequi recusarent, priuilegia sua allegantes, rex — subito in iram versus:* „ video, *inquit*, ego, vnumquemque capite meo — excusationem et salutem capiti suo quaerere. Ego personam et caput meum ideo in haec pericula adduxi, vt illud pro huius regni et vestra salute omni fortunae discrimini obiicerem. Nequis igitur sit, qui possit excusationem aliquam suae ignauiae capite meo praetendere; — ibo ego, DEO optimo bene iuuante, cras vobiscum in persona eo, quo alii sine me ire nolunt. " — *Ex Tolna igitur sequenti die* (14. Aug.) *profecti — Zekzardum, in*-

binis

binis castris Batham peruenimus. — Quum itaque — tempus exigere videretur, — imperatorem aliquem exercitui praeficere; rex, — suffragiis omnium — secreto exploratis, quum multo maioris partis vota in monachum (Tomorium) *inclinare videret; eum cum C. Georgio Scepusiensi, fratre vaiuodae, totius exercitus imperatorem declarat. Nam C. Nicolaus de Salm valetudinem aduersam excusauerat.* (*a*)

CDIV. Multi Tomorium grauiter redarguunt, quod prius monachus, nunc archiepiscopus, militaribus se negotiis, ab instituto suo penitus alienis, immiscuerit. Verum et alias iam vidimus, inuitum illum monasticam vitam deseruisse, et nunc Broderichius testatur, *quum regis voluntatem eam circa se esse videret, vt curam ducendi exercitus omnino susciperet, diu multumque reluctatum illum esse:* „ nunc regularem professionem, nunc imperitiam ac virium suarum tanto oneri ferendo imparitatem " *caussatum.* Frustra tam ille, quam Georgius Zapolya prouinciam deprecati, *ad locum castris prope oppidum Mohach capiendum proficiscuntur. — Non procul a Mohách aqua quaedam palustris — Krasso —* fuit, *vltra quam habebat Tomori 5. aut 6. equitum millia in castris. — Loco igitur castrorum cum collega prope Mohachium capto, — ipse rursus ad suos — proficiscitur, illos quoque — in castra regia secum adducturus. — Tum vero milites ad vnum omnes fremere:* „ — fugam meditari, „ non pugnam principes, qui talia regi suaderent, „ otio et inertiae assuetos: veniat modo rex, et „ secum in hostem arma ferat; victoriam fore in „ manibus suis. — " *Dum haec in illis castris aguntur; iam apud Mohachium omnes loca, in castris sibi designata, occupauerant.* — Interea, dum rex

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 638—670.

rex medio Batham inter ac Mohatsium loco noctem agit; *aduolat repente ex castris nocte intempesta* — *Michael Podmanitzki*, *ab optimatibus missus*, *afferens pro re certa*: caesarem Turcarum Drauum iam „ transiuisse: — orare optimates regiam maiestatem, „ vt — ad eos in castra veniret. — “ *Occurrebat regi consilium vaiuodae Transsiluani et C. Christophori*, *quorum vterque per nuncios* — *damnarat consilium eorum*, *qui regem ante tempus ad locum*, *hosti adeo propinquum*, *adduxerant*; *hortati*: — „ ne „ ante suum saltem aduentum manus cum hoste „ consereret. “ — *Mittitur ergo in castra* — *cancellarius*, — *suasurus primoribus praelii dilationem*. Sed, quum nihil ille profecisset; *rex sub primam lucem in castra venit*, *et* — *in domum episcopi*, — *oppido adiacentem*, *diuertit*; *tentaturus ibi quoque*, *quod per cancellarium* — *frustra tentauerat*. — *Aderat his consultationibus Paullus etiam Tomori*, *proxima nocte ex aliis castris* — *accersitus*, *qui* rogatus *primum de suorum*, *deinde hostium numero*, — *respondit*: in vtrisque castris esse circiter 20. millia militum; apud hostes 300. millia; sed armis instructorum nonnisi 70. millia. — *Superuenere repente* — *missi ex aliis castris*, *qui* — *dixerunt*; — *monentes senatum* „ ne „ regem a pugna — dehortentur: — castra — cum „ suis castris — iungerent: *secus* se ab hoste contra „ nos — venturos “ *affirmabant*. Omnibus igitur *tam atroci denunciatione deterritis*, *pugna decernitur*. — *Fuit inter alios Franciscus Peréni*, *episcopus Varadiensis*, *festini ingenii iuuenis*, qui *regi* — *dixit*: „ eum diem, quo pugnandum esset, — 20. „ millium Hungarorum martyrio — fore consecran„ dum. — “ (*a*)

CDV.

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 670.—680.

CDV. Postridie castris regiis cum aliis infra Mohatsium coniunctis, Turzoiani 200. pedites, ex Croatia 3000. equitum, Erdödiani 700. Bornemisziani 300. Szeretseniani 2000. *venerunt, et alii plures intra triduum. — Disputatum — fuerat diligenter de regis persona. — Decretum igitur postremo est:* „ — vt essent, qui regis seruandi curam ha-
„ berent; si quid grauius accidisset.“ — *Aciem eo die, quo est pugnatum, qui fuit 29. Augusti, — ita exstruere placuit:* „ — In primo agmine duces
„ belli erant nullo certo loco: — dextrum eius
„ cornu banus Croatiae, — sinistrum — Petrus Pe-
„ réni curabat. — Secundum agmen, — in quo rex
„ erat, ex equitatu magis constabat. — In eo —
„ triplex erat ordo — ante regem. — Ad regis dex-
„ tram erant antistites Strigoniensis et Zagrab. —
„ Varad. Quinqueecclesien. Sirmiensis; — (Iaurien-
„ sis et Vacien. ad laeuam positi erant) post can-
„ cellarium Nitrien. Bosnen. praepositus Alben. — “ *Contra nos collis erat, in longum protensus, — vltra quem caesar Turcarum castra habebat.* — Nobis diu *suspensis et exspectantibus apparuit, iam sole in vesperam inclinante, agmen hostium, per vallem — incedens, sola hastarum summitate illud prodente. — Signo belli dato, viriliter cum hoste concurrere hi, qui in prima acie erant: — plures ex hostibus, quam ex nostris cadunt: — et repente aduolat ad regem Andreas Báthori:* „ hostes terga dare: victoriam esse nostram: promouendum esse gradum.“ — *Properamus igitur. — Interim, nostris hosti instantibus, — agmine regio eodem — properante, inclinari cornu dextrum coepit, et plerique ex eo cornu fugam capessere. — Regis exercitu — ad fugam spectante, diu tamen etiam postea est pugnatum — ante ipsa tormenta, — a nobis 10. passibus non remota; donec*

non

non solum terrore, sed et fumo tormentorum omnia replente, — coacta fuit magna exercitus pars — descendere, reliquis adhuc ante tormenta viriliter pugnantibus. Ceterum, quum — iam vlterius vis tormentorum et fumi sustineri posse nullo modo videretur; — ipsi etiam sunt fugere coacti. — Hostes, visa nostrorum fuga, vel fraudem subesse rati, vel pugna fatigati, diu se intra aciem suam continuerunt. — Durauit certamen iustum per vnam fere et mediam horam. — Perierunt in eo praelio — ex antistitibus: „ Ladislaus Zalkanus, archiep. Strigonien. „ Paullus Tomori, Coloc. dux belli; Franciscus „ de Perén, Varad. Philippus More, Quinqueeccl. „ Blasius Paxi, Iaur. Franciscus Chaholi, Chanad. „ Georgius de Palina, Boznen. episcopus; *ex baronibus*: Georgius de Zapolya, C. Scepus. alter „ belli dux; Ioan. Drágfi, iudex curiae; Franc. „ Orszàg, — Petr. Korláthi, Andr. Trepka, Sim. „ Horuáth, Thom. Zechi, Gabr. Perini, Ambros. „ Sárkán, Ant. Palótzi, Math. Czethini, C. de „ Frangepanibus, Sig. Bánfi, Franc. Hampo, Ioan. „ de Batthyán. —" *Praeter hos nobiliores vsque ad 500. Quin tum, praeter tria vel quatuor millia peditum, paucissimi euaserunt. — Nocte et die, quae pugnam insequuta est, hostes — obuia quaeque vastauerunt et combusserunt, nulli mortalium parcentes.* (*a*)

CDVI. Praecipua funesto hoc bello victima cecidit Ludouicus rex, quum annum aetatis vicesimum duobus mensibus superasset, a morte patris 10. annos et sex fere menses in Hungaria regnasset. Is, signo pugnae dato, capiti galeam imposuit, vt Broderichius tunc praesens narrat, (*b*) quitem-

(*a*) Ibid. p. 681.—693. (*b*) App. Bonfin. p. 771.

tempore magnus in ore eius pallor apparuit, quasi futuri mali praescius. — Globorum, iam nostris etiam, qui penes regem eramus, capitibus superuolantium, crebri iactus non parum terroris omnibus incusserunt: et eo ipso tempore rex in ordine nostro non comparuit, siue priores ordines — praegressus, — siue sublatus ex acie ab his, quos a tergo habuit, nempe Czetricz, Majlath et Horuath. — *Illud mihi certo constat, eum tunc a nostro ordine et a suo loco abfuisse, quando tormenta hostilia tonare coeperunt. — Regis corpus — fuit postea repertum in hiatu quodam terrae praerupto, supra Mohachium milliario medio, sub pago, quem Czelie vocamus; qui locus tunc Danubii inundatione aquam solito maiorem habebat. Ibi simul cum equo ita, vt erat armatus, ab aquis fuit suffocatus.* Quomodo haustum aquis corpus regis repertum fuerit; ad eumdem Broderichium Franciscus Sarsius, Iaurini praefectus, ita perscripsit: (*a*) „ His diebus ser. reginalis maiestas Vdalricum Czetricz — ad me miserat, „ mandaueratque, vt ipsi Czetricz, pro requisitione corporis maiestatis regiae proficiscenti, 12. „ equites meos dare — deberem. — Ego — in persona mea propria cum eodem Czetricz ad hoc „ ipsum peragendum profectus sum. — Dum loco „ appropinquaremus; Czetricz mihi a longe locum digito monstrauit. Festinanter illuc venimus. — Czetricz, — spretis paludibus, luto se „ iniecit: sub eis corpus regium cum reliquis comitibus quaesiuit; nec reperit: arma tamen maiestatis suae ibidem inuenit. — Non longe ab „ eisdem paludibus sepulturam nouam vidimus:

„ — accur-

(*a*) Ap. Sommersberg et Pray ad h. a.

„ — accurrimus omnes: ante omnes alios Cze-
„ tricz vnguibus suis coepit terram vellica-
„ re; nos quoque similiter. Primum a parte pe-
„ dum aperta sepultura, dextrum pedem sepulti
„ Czetricz arripuit: aqua duorum pileorum diligen-
„ tissime lauit: signumque, quod maiestas regia
„ dextro pede habebat, deprehendit: exclamauit-
„ que voce magna: *Hoc est regiae maiestatis— corpus!*
„ flexisque genibus, cum lacrimis osculatus est. —
„ Numquam vidi corpus exsangue hominis tam in-
„ corruptum, tamque non fastidiosum et minus
„ terribile. — Ex arce Iaurinensi, feria 6. post Lu-
„ cae euang. " seu 19. Octobris. (a)

CDVII. Regis optimi lacrimisque dignissimi characterem Broderichius, cui familiariter notus erat, ita depingit: (b) *Erat Ludouicus iuuenis procerus, forma corporis supra alios aequales egregia, naturae singulari bonitate et praeclara indole, virtutis ita insignis, vt, si eum ad maturiorem aetatem peruenire contigisset; habuissemus in eo procul dubio longe optimum et praestantissimum principem. Ingenio erat miti admodum, — ad omne rectum et honestum mire flexibili, et sua etiam sponte procliui. Praeterea armorum tractandorum, equitandi, venandi, et alia huiusmodi iuuenilia et militaria opera exercendi studiosus: verax, constans et secreti, si quod ei credidisses, tenacissimus.* Eo regnante, Hungaricam ecclesiam rexerunt, archiepiscopi *Strigonienses*, post Thomam Bakatsium, Georgius de Szakmár 1521. Ladislaus Szalkanus 1524. *Colocensis*, post Gregorium de Frangepanibus, Fr. Paullus Tomori 1522.

(a) Hist. Cr. T. XIX. p. 693.—703. (b) App. Bonfin. p. 757.

1522. Episcopi *Agrienses*, post Hippolytum Estensem, Ladislaus Szalkanus 1520. Paullus de Varda 1524. *Bosnensis*, post Michaelem Keserü, Georgius de Palina † 1526. *Chanadiensis* Franciscus de Chahol 1514. *Iaurinensis*, post Ioannem Gosztonium, Blasius Paxi † 1526. *Nitrien.* Stephanus Podmanitzki 1505. *Quinqueecclesiensis*, post Georgium Szakmári, Philippus More 1524. *Sirmienses*, post Ioannem Orszàg, Ladislaus de Macedonia 1520. Stephanus Broderich 1526. *Transsiluaniensis*, post Franciscum de Varda, Ioannes Gosztoni 1525. *Vaciensis*, post Ladislaum Szalkanum, Ioannes Orszàg 1520. *Varad.* Franciscus de Perén 1513. *Veszprimienses*, post Petrum Beriszlo, Paullus de Varda 1521. Thomas de Zalaháza 1526. *Zagrabiensis*, post Ioannem Bakatsium, Simon ab Erdöd 1519. Profanos magistratus gesserunt, *palatini*, post Emericum Perenyi, Stephanus Báthori 1519. Stephanus Verbötzi 1525. restitutus Báthori 1526. *Iudices curiae:* Laurentius Újlakius, dux Bosniae, 1520. Ambrosius Sárkán 1524. Ioannes Drágfi † 1526. *Vaiuoda Transsiluaniae*, Ioannes de Zapolya, *bani Croatiae* Franciscus Batthyanius et Ioannes Karlouichius, quorum iste domi relictus, ille fuga cladi Mohatsianae subductus, in communem regni salutem, cum palatino, seruati sunt. Solimanus, exustis Quinqueecclesiis, ac aliis oppidis et villis obuiis, Budam profectus, (a) *eam, sine omni praesidio relictam, reperit et combussit, arce sola cum stabulo regio ac viuario ferarum relicta. Inde dimissis — praedatoribus, quicquid inter Danubium et lacum Balatonem iacet, vsque ad Iaurinum, omnia ferro et flamma vastauit. — Regnum vastare tantum contentus*

(a) Ibid. p. 773.

tus, *de arcium et locorum munitiorum expugnatione nihil habuit pensi.* Plurimis ad Marothum caesis, *affirmare ausim*, *ex his*, *quae cognoscere potui*, *periisse hac clade prope* 200. *millia hominum.* — *Ponte super Danubio ad Pestum facto*, *decimo quarto*, *quum Budam venerat*, *die caesar in Hungariam vlteriorem transiit.* — *Omnibus*, *quae* — *occupauerat*, *locis*, *atque ipsa etiam arce et ciuitate Budensi*, *sine vllo praesidio relictis*, *domum est reuersus.* Hic desinit Broderichius, testis locupletissimus, sub hac clade cancellarius et episcopus Sirmiensis, deinde Vaciensis 1537. mortuus 7. Nouembris 1539. (*a*)

§. XV.

IOANNES ZAPOLYA, REX XXXVII.

Coepit A. C. 1526. *desiit A. C.* 1540.

A. C. 1526. *Ioan.* 1. *Ind.* 14. *P.* 1. *A.*

CDVIII.

Ioannis Zapolyae maiores, origine Sclauones, ex prouinciae Poseganae pago, Zapoly nuncupato, scribit ortos fuisse Thurnschwambius, (*b*) *quae vox Zapoly vel Zapolye significat post campum*, *vel*, *ex hac parte siluae.* Primi pater eius Stephanus et patruus Emericus, vterque regni Hungariae palatinus, hic anno 1487. ille 1499. mortuus, stirpem eatenus obscuram illustrarunt. Quamuis autem Emericus ob insignem litterarum cognitionem *Deák* seu litteratus fuerit appellatus; id tamen vocabulum, quum non familiae

(*a*) Hist. Cr. T. XIX. p. 70?.—722. (*b*) Ap. Wagn. Sep. IV. p. 2.

familiae, sed scientiae fuerit, nec ad eius fratrem, nec ad huius heredes est deriuatum. At axioma *perpetui comitis Scepusiensis*, quod ille primus egregie factorum praemium a Mathia Coruino consequutus fuerat anno 1465. tam ad fratrem Stephanum, quam ad nepotem Ioannem transmisit. Ita vero laudati fratres ditiones suas auxerunt, vt 72. arces eos possedisse, memoriae proditum sit. (*a*) Tantarum opum heres Ioannes, licet obscuris progenitoribus ortus, geminum tamen cum regia stirpe Iagellonica nexum habuit. Nam et sororem eius, Barbaram, Sigismundus, Poloniae rex, Ludouici II. patruus, connubio sibi iunxit, et ipse paullo prius, quam moreretur, eiusdem Sigismundi regis ex altera coniuge filiam, Isabellam, vxorem accepit, ex eaque filium, Ioannem Sigismundum, sustulit. Immo, quia matrem Heduigem, ducem Teschinensem, habuit; per eam quoque, Poloniae regibus affinitate propinquam, eisdem principibus Iagellonicis innexus erat. (*b*)

CDIX. Istuansius Ioannem de Zapolya saepius in suspicionem affectati regni iam antea vocauit; sed inanibus ad id coniecturis adductis, vt alias vidimus. Mohatsiana clade narrata, rursus eamdem suspicionem ita proponit: (*c*) *Iam vaiuoda cum exercitu Szegedinum — peruenerat, in quo ad 40. millia hominum censebantur; et Christophorus Frangepanus 15. millia Illyrici nominis armatorum ad S. Andreae oppidum, haud procul a Drauo situm, adduxerat; Bohemi praeterea et Moraui iusto numero, partim Albam regiam, partim Iaurinum, — attigerant;*

(*a*) Ibid. p. 3. (*b*) Hist. Cr. T. XIX. p. 725.—728. (*c*) Libr. VIII. p. 83.

Sed, audita funestae cladis fama, *hi quidem omnes eo, vnde venerant, agminatim reuertebantur. Vaiuoda, suo vsus consilio, exercitum retinuit, et munitis castris, aliquamdiu ad Szegedinum statiua habuit, vt, quorsum consilia Solimani tenderent, ibi opperiretur. Fuere, qui* „ eum occulta cum hoste „ consilia iam tum tractare *dicerent*, vt, postquam „ Ludouicus, nullo herede superstite, fato functus „ esset, Solimani ope regnum consequeretur. — " *Nobilitatis sane animos statim post praefatam cladem largitione et peramplis muneribus, aliisque bonis simul et malis artibus sibi deuincire non destitit; donec — voto potitus est.* At eumdem ante cladem Mohatsianam ab ambitu regni videtur absoluere studium opem ferendi periclitanti regi, quod inter alia Broderichius his verbis expressit: (*a*) *Dum haec agerentur, iam vaiuoda circa Zegedinum erat cum copiis Transsiluanis: quae quum ita cito subsequi non possent; ipse, conscensis leuibus rhedis, cum paucis ad regem properabat, vt vel solus praelio, quod intellexerat minime dilatum iri, interesset.* Maiore fide dignus est hic auctor, qui rebus gestis interfuit, quam Heltaius, qui medio post seculo chronicon suum edidit, ac Zapolyam ad Szegedinum id dumtaxat exspectasse scribit, *vt Ludouicus occumberet, seque deinde regem Hungaris obtruderet;* immo noctu clam ad Solimanum se subduxisse, cum eoque foedus infame pepigisse. Cur igitur regnum, quod eidem addixisse fingitur, igne ferroque vastauit? cur tantam subinde Laszkius in conficiendo cum barbaris foedere difficultatem habuit? Vltro decipi vult, qui testimonio, tam male digesto, fidem adhibet.

Ad-

(*a*) App. ad Bonf. p. 773.

Adhibuit tamen Ioannes Sambucus; aitque, (*a*) *exercitu quoque ad Mohachium tardius moto, — ſpem concepiſſe de Solimani erga ſe adque regnum tradendum propenſa liberalitate.* Sed quo tandem ille merito hanc ſpem prudenter concipere potuit, qui ſaepe iam antea Turcis ſe hoſtem exhibuit? An etiam Frangepanius, quod ante pugnam non aduenerit, licet nec contraria mandata, ſicut Zapolya, habuerit, nec tam procul a campo Moháts abſuerit, affectati regni reus peragi propterea poteſt? (*b*)

CDX. Ex his aliisque rationibus ego quidem Ioannem Zapolyam ante cladem Mohatſianam ambitus ſuſpicione liberandum eſſe cenſeo; poſt eam tamen ambitus merito poſtulatur; nec ab hoc crimine liberari; nec vllo colore, qui regni vaſtationem otioſus ſpectauerit, excuſari poteſt. Poterat, accinctus tam validis florentibusque copiis, Turcarum populationibus plusquam barbaris frenum iniicere. Nam, ſi his antea Hungari, licet inferiores numero, cladem ad Moháts inferre coeperunt; ipſe, viribus integris dimidioque fere pluribus armatis inſtructus, acciſos multumque iam debilitatos hoſtes facile terrere prohibereque potuiſſet, ne per Hungariam impune diſcurrerent, tamque libere praedas agerent, et captiuos abducerent. Id autem eo facilius praeſtare poterat, quo promtius reliqui Hungari ſuas illi vires iungere volebant, vt ex quorumdam procerum et nobilium litteris, ad Bartfenſes et alios datis, apparet. — „Rogamus, *inquiunt*, per fidem Chriſti et per communem patriae ſalutem, DD. veſtras, — vt huic communi patriae, in cuius viſcera hoſtis iam pridem

(*a*) Ibid. p. 774. (*b*) Hiſt. Cr. T. XIX. p. 728.—732.

„ penetrauit, et recenti victoria exsultans et inso-
„ lescens, longe lateque omnia partim ferro et igni
„ vastat, partim praesidio occupat, — velociter
„ auxilium feratis, et quamprimum ad oppidum
„ Verpeléth — veniatis; vbi nos quoque — castra
„ metabimur vsque ad aduentum D. vaiuodae, qui
„ per litteras suas et nuncios certa fide nobis
„ promittit, — se ad nos cum numeroso et instru-
„ ctissimo exercitu, venturum. — Datum in Mis-
„ koltz, die dom. post fest. exaltationis S. Crucis,
„ anno dom. 1526. Paullus, ep. Agr. Ioannes
„ Bebek — ac nobiles electi comitatuum Heves,
„ Gewmer, Borsod, Torna et Abaujvár." (*a*) Sed enim Ioannes Zapolya, de sua potius dignitate, quam publica regni salute sollicitus, non in hostes, Hungariam foede diripientes, copias suas eduxit; sed, postquam Solimanus Octobri mense reuersus est, *Budam ire constituit*, vt Istuanfius scribit. (*b*) *Ex itinere vero ad arcem oppidumque suum Tokaium — diuertit, copiis in subiectis campis castra metari iussis. Hunc in locum plurimos ex proceribus ac nobilitate conuocat; atque inprimis Petrum Perenium, quem in seruanda, Visegradiana in arce, regni corona collegam habuerat, — sibi conciliat. Is paullo ante, quum ex praelio Mohatsiano domum profugisset; Antonii Palotzii, qui ea clade, nullo relicto herede, perierat, arcem et oppidum Sárospatakum armis occupauerat, neque aliter vaiuodae postulatis consensurus videbatur;* „ nisi eam arcis et oppidi iam
„ dicti occupationem — regia — auctoritate ratam
„ habuisset." *Quod quum vaiuoda facile ei indulsisset; Perenius haud minore ambitione, quam auaritia, non solum coronae regiae potestatem obtulit; sed*

(*a*) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 155. (*b*) Libr. IX. p. 84.

sed etiam ceteris — auctor fuit, vaiuodam, praeterito Ferdinando, regem declarandi: eique confestim vaiuoda praefecturam Transsiluaniae — de manu tradidit. — Aderant alii quoque — complures viri, — quos partim plurimis largitionibus; partim amplissimarum dignitatum consequendarum spe ad se pertraxerat. Sed ante alios Stephanus Verbötzius, — partium eius acerrimus propugnator. Eius potissimum opera factum est, *vt magno applausu, magnisque sublatis clamoribus Ioannes rex passim acclamaretur, decretumque — fieret:* „ vt comitia Albamregiam „ coronando regi ad D. Martini ferias indicerentur, „ atque absentes quicumque proceres ad ea conuo- „ carentur." Hanc Ioannis electionem Tokaini peractam fuisse, his verbis Olahus quoque testatur: (*a*) *Ioannes rex in Tokay per alteram factionem praeelectus est in regem.* (*b*)

CDXI. Quum igitur aliqui scriptores Ioannem et electum, et coronatum fuisse regem in Albensibus comitiis perhibent; nonnisi confirmationem prioris electionis intelligere dicendi sunt. Istuanfius locum electionis a loco coronationis bene discreuit. *Itum est*, inquit, (*c*) *Budam: quam quum vacuam miroque modo deformatam vidisset; — lacrimas dicitur minime tenuisse. Nouum ergo principatum, occupata arce exorsus, eam expurgatam, praesidio imposito, firmauit; ciuesque et incolas, qui in Germaniam variasque regiones profugerant, reuocauit; data spe laxandi ad certum tempus tributi. Inde ad comitia, suscipiendo coronae fastigio indicta, iter aggressus est. — Coronatio peracta fuit, praesentibus*

(*a*) Ap. Eel. App. D. I. p. 39. (*b*) Hist. Cr. T. XIX. p. 732. —740. (*c*) Libr. IX. p. 85.

sentibus fere omnibus proceribus, etiam iis, qui Ferdinando Austriaco, Annaeque, coniugi eius, in occulto fauebant. Sed, quia in superiorem Germaniam profectus, procul comitia agitabat; quid haberet de repetendo regno animi, non sine summo dolore ignorabant. Eam autem, e pontificalibus libris depromtam, Paullus Vardanus, quem vaiuoda archiepiscopum Strigonii declarauerat; ac Stephanus Brodericus, episcopus Vaciensis; Ioannes Statilius, quem ex praeposito veteris Budae episcopum Albae Iuliae non ita pridem fecerat, solitis ceremoniis perfecere. Iouius Istuansium in geminum hunc errorem induxit, vt crederet, et Stephanum Broderichium iam tunc Vaciensem episcopum fuisse, et Paullum Vardaium Zapolyae coronam imposuisse. Primum illum errorem detexit et conuulsit Praius, certis documentis ostendendo, (*a*) tunc illum Sirmiensem; Ioannem Orszagium etiam anno 1527. Vaciensem episcopum fuisse; alterum Wagnerus, in lucem producto hoc Ferdinandi diplomate: (*b*) „ Ferdinandus — notum „ facimus, quod, quum R. — Stephanus Podmanitz- „ ki, episcopus Nitriensis, maiestati nostrae exponi „ fecerit, se accepisse, nos eidem indignari, ob „ id maxime, quod Ioannem, C. Scepusiensem, — „ superioribus mensibus in assertum Hungariae regem „ coronauerit; ipse vero episcopus asserat, se ab „ eodem comite vocatum: et quum inibi compa- „ ruisset; discedere non potuerit; nisi eidem comi- „ ti morem in his, quae petebat, gereret, aut vi- „ tae suae discrimen subiret; huius ergo commissi „ sui veniam petens, — supplicauerit, vt eum ab „ omni culpa, quam propterea commeruisset, ab- „ sol-

(*a*) Hier. P. I. p. 350. P. II. p. 390. (*b*) Anal. Scep. P IV. p. 87.

„ soluere et liberare — dignaremur; maxime, quum „ de praesenti, iuri et electioni legitimae, quae „ de persona nostra Posonii facta est, sponte ac- „ cesserit; — idcirco — eidem episcopo culpam „ omnem — remisimus. — Dat. in ciuitate nostra „ Viennae, die 29. Iulii, anno 1527." Vel hinc apparet, violente, nec bonis artibus, procuratam fuisse coronationem Ioannis Zapolyae, cuius res dehinc cum Ferdinandaeis ita connexae sunt, vt narratio quoque rerum earumdem coniungenda videatur. Ioannes porro, Budam Alba reuersus, Eperiesinenses de residuo pecuniae soluendo per litteras admonuit, (a) *in festo B. Clementis papae, an. dom.* 1526. Litteris aliis solutionem illis relaxauit, *Strigonii, fer. 4. prox. ante fest. S. Thomae apost.* (b)

CDXII. Quod in fine regum Arpadianae stirpis praestitimus; idem, absolutis mixtae stirpis regibus, agendum rati, scriptores, qui praecipuam hac periodo mixta memoriam merentur, exhibemus. Primus ex his occurrit ANONYMVS chronicorum patriorum auctor, quem Turotzius suum describendo fecit. Nam, vt bene Petrus Lambecius obseruat, (c) *falso hactenus a quibusdam creditum est, Ioannem Turotzium — operis istius, quod sub titulo* chronicae Hungarorum *edidit, partem I. et II. suo marte et suopte ingenio conscripsisse. Contrarium enim demonstrat augustissima bibliotheca caesarea Vindobonensis, vtpote in qua etiam nunc adseruatur antiquus anonymi cuiusdum auctoris codex membranaceus MS. in folio, — scriptus anno MCCCLVIII. — ex*

quo

(a) Ap. Wagn. Dipl. Saros. p. 251. (b) Hist. Cr. T. XIX. p. 740.—756. (c) Diat. Itin. Cell. p. 61. 267.

quo Ioannes Turocienſis omnia, quae duabus illis partibus continentur, mutuatus eſt. Hic igitur anonymus chronicorum Turotzianorum partem primam et ſecundam confecit. IOANNES, archidiaconus de Kikullew, auctor eſt tertiae partis de Ludouico, cui fuit a ſecretis. Hic fontes ſuae commentationis ita pandit: (*a*) *Aliqua per me ipſum didici, et aliqua per alios, fide dignos, rerum notitiam habentes, intellexi.* Saepius etiam ad ipſa regis diplomata prouocat. (*b*) Eumdem vero Ludouico ſuperſtitem fuiſſe, patet ex his de Sigismundo Mariaque verbis illius: (*c*) *Qui nunc conregnant in regni ſolio ſublimati.* Huic igitur tam antiquo, tam idoneis fontibus vſo ſcriptori tuto fides adhibetur. Hungariae chronica, tres iſtas partes complexa, paſſim Turotzii nomine laudantur; licet earum non tam ſcriptor, quam deſcriptor Turotzius haberi debeat. Quod quum obſeruamus; plagii litterarii crimen illi non intentamus. Nec enim ipſe diffitetur, aliunde ſe haec ſumſiſſe, dum ita loquitur: (*d*) *Rebus in his ex me feci nihil: veteres in omnibus ſequutus ſum hiſtorias.* Certe nomen ipſum Ioannis, archidiaconi de Kiküllö, tertiae parti praefixit: quumque huic per modum appendicis adiecit (*e*) *deſcriptionem miſerabilis caſus Caroli regis, cognomento Parui, nec non lugubre factum reginarum Hungariae;* vnde profecerit, ipſe his verbis prodit: (*f*) *Huius regis Caroli lugubre exitium quidam Laurentius de Monach, Venetus, — ipſa geſtarum rerum aetate compendioſo pariter et metrico carmine perſtrinxit. Quem in magna ſui parte ſequutus, maxime,*

(*a*) Edit. Tirn. p. 303. (*b*) Ibid. p. 296. 302. (*c*) Ibid. p. 318. (*d*) Ibid. p. 64. (*e*) Ibid. p. 321. (*f*) Ibid. p. 322.

xime, ne ex me aliquid facere videar, ea quae ipse contexuit, tum vero illa, meis iuuenilibus quae in annis a viris aetate pariter et fide plenis — audiui amplius, conscribere curaui. Habemus igitur huius etiam appendicis fontem et auctorem synchronum, Laurentium de Monacis, insulae Cretae cancellarium sub annum 1388. creatum.

CDXIII. Ad aetatem Ludouici I. sub quo trium Hungaricae historiae partium auctores floruerunt, referri potest etiam MICHAS MADIVS de Barbazinis, qui de *gestis Romanorum imperatorum et summorum pontificum* historiam, 29. capitibus absolutam, edidit, resque nonnullas, etiam in Hungaria Dalmatiaque gestas inter annum 1290. et 1330. attingit. Hanc primum quidem Lucius anno 1666. deinde Schwandtnerus vulgauit anno 1748. (*a*) praemissa Belii praefatione, qui scriptum hoc, propter rerum apparatum et orationis habitum, merito *leuidense* vocat. Huic laudatus Schwandtnerus adiecit *summam historiarum tabulam* ACVTHEIS, *de gestis ciuium Spalatinorum*, ad annum vsque 1366. Ieiunam hanc historiarum tabulam excipit *series archiepiscoporum Salonitanae et Spalatinae ecclesiae;* tum vero *scriptoris anonymi libri II. obsidionis Iadrensis, an. 1345. et 1346.* Hunc auctorem Belius appellat *oscitabundum, immo somnolentum; neque siue ad rei gestae accurationem, siue ad dictionis, qua abiecta vtitur, ingenium vel tantillum attentum; — retinendum tamen, — quod non superaret facile, qui Iadrensium haec fata quomodocumque praeter eum expromsisset.* His adiungitur *Memoriale* PAVLI de PAVLO, *patricii Iadrensis,* ab

(*a*) Scriptor. R. Hung. T. III. p. 636.

ab anno Christi 1371. *vsque ad an. Christi* 1408. De hoc opere Belius iudicium suum ita promit *Schedae sunt memoriales prudentis non minus, quam rebus agendis idonei viri, plenae egregiae frugis.* Ornauit etiam aetatem Ludouici IOANNES, archidiaconus de GVERCHE, seu Goriczensis in ecclesia Zagrabiensi, cuius quidem nullum opus typis vulgatum est; eius tamen MSS. nonnullis saepe cum laude Kerchelichius vsus est. Hic illum obiisse scribit sub Nicolao I. Zagrabien. episcopo, (*a*) sub an. 1354. Laudat alibi fundationem, ab eodem factam ecclesiae S. Ioannis Bapt. parochiaeque Nououillanae 1347. (*b*) Plures igitur aetas Ludouici, quam anteriora secula, scriptores protulit, quo regnante, praeter Athenaeum Quinqueecclesiense, cum alibi, tum Varadini gymnasium floruit, vt ex litteris, a Praio productis, liquet. (*c*)

CDXIV. Ludouicus, pace belloque maximus, sibi tamen non satis magnus videbatur; nisi bellicae politicaeque virtuti scientiarum quoque gloriam adiecisset, vt Ioannes archidiaconus apud Turotzium in haec verba testatur: (*d*) *Qui etiam post bellicam gloriam scientia litterarum clarus fuit.* Eamdem, ac etiam maiorem laudem Mathiae Coruino plerique scriptores circumponunt. Hic enim in Hungaria scientias ad eum florem euexit, vt vnum hoc regnum, quicquid apud alios doctum ac eruditum esset, siue scientiarum adminicula, siue viros multiplici doctrinarum genere conspicuos attendamus, sinu suo complecteretur. Vtprimum sacra corona redimitus est; lycaeo seu Quinqueecclesiensi, seu Bu-

(*a*) Hist. Eccl. Zagr. p. 132. (*b*) Not. Prael. p. 413. (*c*) Hier. P. II. p. 175. (*d*) Chron. P. III. cap. 39.

Budensi nondum debitis adiumentis instructo, nouum scientiarum omnium emporium Posonii condidit. Excitauit praeterea Budae locupletissimam bibliothecam, plurimorum calamis subinde celebratam. Hunc scientiarum amorem inspirasse videtur illi IOANNES de ZREDNA, vulgo Vitezius, quem Bonfinius *liberorum Coruini moderatorem et magistrum* appellat. (*a*) Hic primum ab epistolis Ioanni Hunyadio gubernatori fuit; tum, eius commendatione, Varadinensem infulam obtinuit anno 1445. demum a Mathia Coruino Strigoniensis metropolita renunciatus anno 1465. viuere desiit anno 1472. Exstant plures eius epistolae, hoc titulo vulgatae: (*b*) „ Ioannis de Zredna, cancellariae regis Hungariae olim protonotarii, epistolae in diuersis negotiis, statum publicum regni Hungariae concernentibus, ab anno Christi MCDXLV. gubernatoris, nec non praelatorum et baronum huius regni nomine exaratae. " Has PAVLLVS de IWANICH, dioeces. Zagrabiensis, ex qua Vitezius quoque fuit, presbyter, *altaris S. Paulli in ecclesia Varadiensi rector, et cancellariae regiae olim notarius, viuente adhuc auctore*, congessit et notis historicis illustrauit. Post Ioannem Vitezium laudandus est eiusdem e sorore Barbara nepos, vulgo IANVS PANNONIVS, alias Ioannes Cesinge, cuius ingenii partus sunt: (*c*) *Annales Hungariae, heroicis versibus compositi; Tomyris laudes; Trottae constantia; vitae Bruti et Galbae, ex Plutarcho Latine versae.* Supersunt poemata diuersa, mira suauitate fusa, postremum edita Budae 1754. Huic addendus est PELBARTVS de TEMESVAR, ord. min.

(*a*) Dec. III. Libr. VIII. p. 521. (*b*) Ap. Schwandt. T. II. p. 1. (*c*) Ap. Wall. Tentam. p. 30.

min. feruentiſſimus verbi diuini praeco, cuius *Pomerium ſermonum de tempore* Hagenoae prodiuit annis 1475. 1498. 1509. Eiusdem ſunt: *Pomerium ſermonum de B. virgine; Pomerium de ſanctis; Vita S. Ioannis Eleemoſynarii; Commentaria in Pſalmos; quadrageſimale triplex; aureum S. Theologiae roſarium, iuxta IV. ſententiarum libros quadripartitum.* Quartum tamen librum, morte praeuentus, abſoluere non potuit, quem OSVALDVS a LASCO, diſcipulus eius ſuppleuit.

CDXV. Sub eodem Mathia Coruino, tres hiſtorici floruerunt: Ioannes Turotzius, Petrus Ranzanus, Antonius Bonfinius; hi quidem exteri, ſed in Hungaria Mathiae beneficiis alti. Domeſticus vero Turotzius, vnde tres chronicorum partes depromſerit, iam diximus. Solius quartae partis auctor, tam Ranzano, quam Bonfinio vetuſtioribus in rebus praeferendus eſt. Quamuis enim omnes iſti fontibus iisdem, librariorum incuria iam antea vitiatis, vſi fuiſſe videantur; eos tamen Turotzius intactos reliquit; nec erroribus veteribus nouos addidit. Alii contra, quaedam e ſuo cerebro commenti, ſimplicem nudamque veritatem iis rerum adiunctis veſtiuerunt, vt in veris quoque narrationibus ſuſpecti nonnumquam habeantur. TVROTZIVS igitur prae duobus illis in teſtem a me vocatus plerumque fuit. RANZANVS porro, Siculus Panormitanus, ex ord. praedicat. epiſcopus eccleſiae Lucerinae creatus anno 1478. legatus ad Mathiam Coruinum a Ferdinando, rege Neapolitano, miſſus, acceptis a Beatrice regina quibusdam documentis, *epitomen rerum Hungaricarum* in indices 36. diſtinxit, ac poſtea Luceriae deceſſit anno 1492. BONFINIVS, Aſculi natus in Italia, mul-

tis

tis regionibus perlustratis, ad Mathiam Coruinum venit anno 1485. Iussus ab eodem rege Hungarorum historiam scribere, post eius obitum eamdem continuauit ad annum vsque 1495. Primus Sambucus omnes eius libros in lucem produxit, ac tribus iam antea vulgatis decadibus, quartam cum dimidia quinta, Basileae typis edidit an. MDLXVIII. Vt Bonfinius, ita plures alii, fama Mathiae regis in Hungariam exciti, lucubrationibus suis res Hungaricas illustrarunt. Ex his erat NALDVS NALDIVS, patria Florentinus, qui de laudibus Coruinianae bibliothecae libros IV. carmine heroico conscripsit, quos notitiae Hungariae nouae tomo III. Belius inseruit; item GALEOTVS MARTIVS, Narniensis Italus, qui scriptis libris in Mathiae gratiam ita semet insinuauit, vt inter familiares et quotidianos mensae regiae conuiuas censeretur, Budensique bibliothecae praeficeretur. Apud Hungaros plurimum innotuit *commentario de Mathiae Coruini, Hungariae regis, egregie, sapienter, iocose dictis et factis*, Schwandtnerianae collectioni scriptorum rerum Hungaricarum inserto. AVRELIVM BRANDOLINVM, oratoriae primum Istropoli, deinde Budae professorem; item IOANNEM MÜLLERVM REGIOMONTANVM, vtrumque multis operibus illustrem, aliosque minutiores sub Mathia Coruino scriptores silentio praetereo.

CDXVI. Vt aliae res, Mathiae rebus florentes, ita litterariae quoque, Wladislao regnante, sensim defluxerunt. Celeberrimae Coruini Bibliothecae plus fere damni regis huius ignauia, quam Turcarum furor et ignorantia, videtur intulisse. *Quam,*

inquit Vrſinus Velius, (*a*) *complures bibliocleptae postea expilarunt, rege Wladislao ac filio, vt aliarum rerum negligentibus, ita et conſeruandae rei incomparabilis parum ſtudioſis.* Wladislaum certe non paucos ex hoc ſcientiarum ſacrario codices abalienaſſe, donumque viris eruditis dediſſe, pluribus exemplis Schierius docet. (*b*) Etſi vero Coruiniana bibliotheca his gradibus ſenſim in ruinam impulſa fuerit; eruditorum tamen numerus, iactis ſub Coruino fundamentis, adeo non defecit, vt Boluslaus Lobkouitzius, litteris anno 1501. kalendis Augusti datis, ad Bernardum Alderman ſcribere non dubitauerit: (*c*) „ Poſtremo id te cupio ſcire, inter omnia Pannoniae potiſſimum hoc mihi placere, quod multos inuenio cupidos litterarum et omnifariam doctos, quorum colloquio atque familiaritate vti, in deliciis habeo." Wladislaum ipſum, cuius inſtitutor Dlugoſſus erat, ab eruditione Nagonius, qui libros IV. poematum in eius laudes conſcripſerat, extollit. (*d*) Eiusdem certe mandato Bonfinius hiſtoriam ſuam continuauit; quam ille tanti fecit, vt eum, a quo deſcripta fuerat, in numerum Hungariae nobilium propterea retulerit. (*e*) Floruit etiam, eodem regnante, ſocietas eruditorum in Hungaria, *quorum fama* cenſet Boehmius, (*f*) *excitum Celtem longinquum iter in Pannoniam molitum eſſe.*

CDXVII. Ex pluribus ſub Wladislao ſcriptoribus duorum dumtaxat, Tuberonis et Verbötzii, quorum

(*a*) De bello Pannon. p. 16. (*b*) Bibl. Coruin. p. 28. 31. (*c*) Ap. Wall. Tentam. p. 74. (*d*) Edit. Prag. A. 1777. p. 119. (*e*) V. Wagn. Sep. P. II. p. 113. (*f*) De Aug. Olom. p. 124.

rum opera plurium manibus teruntur, hoc loco meminisse iuuat. Omnem paene, quam de TVBERONE notitiam capere possumus, exhaurit titulus, eiusdem historiae praeiectus, in haec verba: (*a*) „ Ludouici Tuberonis, Dalmatae abbatis, commen„ tariorum de rebus, suo tempore, nimirum ab „ A. C. MCCCCXC. vsque ad A. C. MDXXII. in „ Pannonia et finitimis regionibus gestis, Libri XI." Belius tamen cum nonnullis suspicatur, (*b*) *Ludouici Tuberonis nomen commenticium esse, atque ab auctore ei fini adscitum, vt latere possit securus, et quod sibi proposuerat, scribendi libertatem eo commodius exsequi; abbatemque se dixisse, vt procul odio gratiaue in viros sacros, ipse sacerdos, inueli posse crederetur.* Multas ille voces Hungaricas ita vitiauit, vt nec ab Hungaris intelligi facile possint, vt quum pro Báthor *Báter*, pro Szilágyi *Solágii*, pro Banfi *Damphii*, pro Hunyiades *Cugniades*, Erdödius *Herdondius*, Ujlakius *Huuilacenus*, Hederuarius *Hederimus* corrupit; et ex *Kints-tartó*, seu thesaurarius, *Quincitartonum* effinxit. Post hunc memoria dignus est VERBÖTZIVS, magnus iuris Hungarici Tribonianus, qui patrias leges opere *tripartito* complexus est. Hunc Hanerus, nescio, cuius fidei versibus Francisci de Homorod — Sz. Pál persuasus, (*c*) *in Transsiluania, comitatu de Küköllö, pago speciatim Szökefalua* natum esse credidit; at Seuerinius Neogradiensis illum prouinciae ciuem facit. (*d*) Hanc gloriam etiam Belius Neogradiensibus ita tribuit: (*e*) *Verbötzius, — laudatissimus ille Hungarorum Vlpianus, ista regione prodiit.* A Zapolya

(*a*) Ap. Schwandt. T. II. p. 107. (*b*) Ibid. Praef. p. IX. (*c*) Scriptor. R. H. et Tr. p. 98. (*d*) De vet. incol. Hung. p. 102. (*e*) Not. H. N. T. IV. p. 26.

polya cancellarius subinde renunciatus; a Solimano, Buda per fraudem potito, praetor constitutus anno 1541. non multo post, Istuansio teste, (*a*) *in morbum incidit, expiatisque Christiano ritu criminibus, cuius per omnem vitam tenacissimus fuit, pecuniaque haud contemnenda in usus calamitosorum hominum ac reficienda templa testamento legata, Budae mortuus est.*

CDXVIII. Eodem morbo res litteraria sub Ludouico, quo sub Wladislao, laborabat: peraeque bibliotheca Coruiniana, priusquam barbarus hostis Budam occupasset, magnis passibus in interitum ruebat: facilitate Ludouici, non modica parte viris eruditis in praedam cesserat. Ex his Ioannes Brassicanus, Viennae ius ciuile professus, ita gloriatur, (*b*) *Ex munificentia atque liberalitate optimi regis Ludouici quosdam Graecos auctores consequutus sum, nec protritos, nec etiam aspernandos.* Eumdem vero codicibus etiam Latinis, indidem sublatis, suas opes litterarias auxisse, Schierius ostendit, et negat, *thesaurum istum a Turcis incensum fuisse, quod nonnulli; aut eo tempore direptum, quod complures, fama potius, quam visu testes, asseruere. Non equidem,* subiicit, *ibo omnino inficias, aliqua damna, vel inuito Solimano, a militibus Turcicis illata fuisse; eorum praesertim codicum splendore rapaces manus allicientes, qui aureis aut argenteis laminis vestiti erant, alioue pretioso inuolucro — tegebantur; verum — horum spoliatio neque priori sub regibus Wladislao et Ludouico, ubi rarioribus inhiabatur, neque posteriori militum Germanorum — erat comparanda. Sed Turcis imputabatur, quicquid mali*

(*a*) Libr. XIV. p. 151. (*b*) Ap. Schier Bibl. Coru. p. 35.

li actum fuerat. Ipsam quidem *ciuitatem Budam exustam;* at *domum regis integram*, vbi Coruinianus ille thesaurus asseruabatur, Ibraimus vezirius postea, Hieronymo Laszkio commemorauit. (*a*) Quare male Martinus Schesaeus interitum bibliothecae his carminibus ad eumdem annum deplorat: (*b*)

„ Hic et Coruini, totum cantata per orbem,
„ Bibliotheca perit: non sacra volumina patrum
„ Effugere rogum: serpens neque flamma pepercit
„ Caussidicis Baldi tricis: nil scripta Galeni
„ Huicce malo auxilii, medicamine plena, tulere.

CDXIX. Qui funestissimam Hungaris cladem Mohatsianam omnium optime descripsit, erat STEPHANVS BRODERICHIVS, regis cancellarius, eique sub decretorio certamine proximus. Iam alias diximus, perperam illum a quibusdam iam tunc Vaciensem episcopum scribi, qui Sirmiensis episcopus, legitur etiam anno 1535. Nicolaus Olahus eidem, anno 1539. defuncto, hoc epitaphium concinnauit: (*c*)

„ Hac iacet inclusus gelida Brodericus in vrna,
„ Cui decus et nomen pulchra corona dedit.
„ Phaebus in aethereo donec clarescet olympo;
„ Dum tenebras densas Cynthia clara fugat;
„ Semper erit Stephani virtus, doctrina, perennis,
„ Sancta fides, probitas et pietatis amor.
„ Pontificis sacro vixit decoratus honore,
„ Cuius in officio sedulus vsque fuit.

„ O

(*a*) App. Bel. Mon. IV. p. 159. (*b*) Ap. Wall. Tentam. p. 86. (*c*) Ap. Pray Hier. P. I. p. 351.

„ O felix, claros patriae qui vidit honores;
„ Illius ast cladem cernere non voluit.
„ Dum nullam potuit nostris adhibere medelam
„ Hisce malis; subito migrat ad astra poli.

O. A. M. D. G.

INDEX

CHRONOLOGICUS

P. II.

1348.

